AD CASUS CONSCIENTIÆ
DE MANDATO

OLIM

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

PROSPERI LAMBERTINI

S. R. E. CARD. AC BONONIÆ ARCHIEP.

DEINDE

SANCTISSIMI D. N. PAPÆ

BENEDICTI XIV.

APPENDIX OCTAVA,

CONTINENS CASUS RESOLUTOS

Ab Anno MDCCLXXII. uſque ad Anno MDCCLXXIII. incluſive:

Opus Confeſſariis, atque animarum curam gerentibus perutile ac neceſſarium.

VENETIIS,

MDCCLXXIV.

TYPIS BARTHOLOMÆI OCCHI,

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

CASUS IN DIŒCESI
AD RESOLVENDUM PROPOSITI, NUNC VERO RESOLUTI.

ANNO MDCCLXXII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. Defuncto Alberto ære alieno gravato, Fridericus ejus creditor in aureis Ducentis, retinet apud ſe plurimas merces ejuſdem Titii, ejus nomine vendendas, & horologium aureum loco depoſiti.

Qu. An in hiſce mercibus, & in hoc horologio uti poſſit compenſatione, licet noverit, Albertum habere Creditores anteriores.

Reſp. Communiorem Doctorum partem ſententiam negativam tueri, tum quia Fridericus hac uſus compenſationem retineret ſibi rem alteri obligatam; tum quia Albertus ſi viveret prius teneretur priora debita ſolvere, ſi non poſset omnibus ſatisfacere. Quia tamen rationes, quas afferunt, generales ſunt, & intelligendæ videntur de debitis tantum perſonalibus, propterea non videntur includere creditum Friderici, quod habet ſpecialem hypothecam aut pignus.

Dicendum eſt itaque cum Comitolo lib. 3. q. 39., quem poſtea ſequuti ſunt Homobonus, atque Fernandez, licere Friderico in caſu propoſito compenſationem. Ratio autem eſt quod non tenemur ita providere rebus alienis; ut faciamus jacturam rerum noſtrarum, & ſinamus e manibus labi quod præ illis habemus. Præterea nulla eſt lex, quæ in compenſatione facienda præſcribat hunc ordinem; Et quamquam ſi viveret Albertus, in debitorum ſolutione ipſum ſervare teneretur, tamen ſi non ſervaſset, putat Molina quod creditor non teneretur ad reſtitutionem, ſed poſset retinere pecuniam illam, contra ordinem reſtitutionis ſibi ſolutam.

Hæc tamen, quæ ſatis probabilia videntur ſi loquamur de mercibus, Alberti nomine a Friderico vendendis, novam induunt difficultatem ſi ſermo ſit de horologio ejuſdem Alberti, quod ab Federico ſervabatur loco depoſiti. Depoſitum enim, ut habetur in lege poſtremos Cod. de pact. & communiter docent Doctores, compenſationem non admittit. Docet tamen Navarrus, Tannerus, & Leſſius legem hujuſmodi vel ſolum ſpectare ad forum externum, vel eſſe intelligendam in iis circumſtantiis, in quibus aliter obtineri poſſit compenſatio, quam doctrinam ſi ſequimur dicendum videtur poſſe Fridericum, tum in hiſce mercibus, tum in horologio uti compenſatione, licet noverit habere Albertum creditores anteriores.

CAS. II. Dubitat Nerius, an equus ſibi commodatus, & inſignis pictura apud ſe depoſitata, ſua culpa perierit.

Q. An teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Communiter docere Theologos certum de debito, & dubium an

ſolverit, ad ſolutionem teneri, non quidem ad totam, ut limitat Laymani, ſed ſolum ad partem pro rata dubii, niſi tamen debitor ſit etiam dubius an debito fuerit ſatisfactum, quia tunc Tannerus exiſtimat debitorem non teneris ad reſtitutionem, quia in tali caſu melior eſt conditio debitoris poſſidentis. Preſſius vero ad caſum propoſitum; ut in dubio Nerii decidamus pro ejus obligatione ad reſtituendum; juvat prius animadvertere quæ, & quotuplex culpa in re noſtra ſit attendenda, & quæ ſit ratio ſive commodati, ſive depoſiti. Culpa enim aliter ſumitur apud Theologos, aliter apud Juriſtas. Culpa enim Theologica eſt peccatum contra legem, & mores. Culpa juridica eſt omiſſio alicujus diligentiæ præſtari debitæ, unde ſequitur damnum, quæ omiſſio aliquando poteſt coram Deo omni peccato vacare. Hæc autem culpa, quæ ad præſens ſpectat dividitur in latam, levem, & leviſſimam. Culpa lata eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam paſſim homines ejuſdem conditionis in eo genere adhibere ſolent. Culpa levis eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam ſolent adhibere homines diligentiores; Culpa leviſſima eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam non niſi diligentiſſimi præſtant.

Hinc porro colligitur quod dubius de culpa debet inveſtigari de qua culpa ſit ſermo. Hæc autem diſtinctio attendenda eſt etiam in commodato. Aliud enim eſt commodatum in gratiam ſolius commodatarii, aliud in gratiam ſolius commodantis, aliud in gratiam utriuſque. Si commodatum ſit in gratiam ſolius commodatarii, obligatur commodatarius etiam ex leviſſima culpa, quia quo majus eſt beneficium, eo magis cavendum eſt ne pro beneficio damnum inferatur; atque id verum eſt non ſolum pro foro externo, ſed probabilius etiam pro foro interno, ita quidem ut cum tanto rigore accipiendum non ſit, cum in damno dato nulla intervenit culpa theologica. Si autem commodatum ſit in gratiam ſolius commodantis, tunc obligabitur commodatarius ſolum ex culpa lata. Cum enim commodatarius potius præſtet, quam accipiat beneficium, conveniens non eſt ut ad tam arctam diligentiam obligetur. Si denique commodatum ſit in gratiam utriuſque, tunc commodatarius tenetur de culpa lata, & levi, non autem de leviſſima, cum propriæ utilitatis aliquid quidem accipiat ex commodato, ſed aliquid etiam in commodatum redundet. Id vero quod de commodato aſſeruimus dici poteſt aliqua ratione etiam de depoſito. Poteſt enim etiam depoſitarius aliquando beneficium recipere, aliquando præſtare, aliquando vero partim recipere, partim præſtare.

Nerius itaque ut ſuæ difficultatis ſolutionem acquirat, debet Primo, inveſtigare rationem ſui dubii, debet Secundo, attendere ad qualitatem culpæ, ſuper quam dubium verſatur, debet Tertio, inquirere cujus commodo vertat ſive commodatum, ſive depoſitum. Hac enim facta animadverſione, ex varia quæ naſci poteſt circumſtantiarum combinatione, applicando Doctrinam ſuperius allatam, quæ communiter traditur, facile poteſt reſponſionem eruere.

CAS. III. Enricus famulus pluris animadvertens, fures domeſticos, & extraneos plura Domino ſurripere, neque impedivit, neque Domino indicavit.

Qu. An teneatur reſtituere?

Reſp. Si Cajetanum audimus v. reſtit. c. 5. videretur dicendum, nulla præterea facta inveſtigatione, teneri Enricum ad reſtituendum. Putat enim eos etiam ad reſtitutionem teneri, qui etſi ex officio non tenerentur, tamen tenebantur ratione articuli neceſſitatis, & facile poterant ſine ſuo incommodo damnum impedire, ut ſi ſcias aliquos ſtatuiſſe ſpoliare do-

mum

inum ; vel occidere , & niſi indices , ſequatur damnum ; cenſeris enim cauſa illius damni ſaltem indirecte , quod ſufficit . Hanc tamen opinionem communiter deſerunt ſi excipias Angelum , & Richardum paucoſque alios , qui hanc addunt limitationem , ſi quod non impedias , malo animo facias . Duo itaque antevertere oportet , ex quibus enaſcitur noſtra ſolutio.

Primum eſt . Neminem ratione damni non impediti teneri ad reſtitutionem , niſi ad hoc obligatus fuerit ex officio , ut colligitur ex Divo Thoma q. 62. art. 7. ad 5. Qui enim non obligatur ex officio , obligatur ſolum ex charitate . Violatio autem obligationis ex charitatis lege naſcentis , non inducit neceſſitatem damni reſarciendi , cum hoc proprium ſit obligationis , quæ naſcitur ex juſtitia , ut omnes facile norunt . Alterum eſt . Teneri ad reſtitutionem eos omnes , qui obligati ex juſtitia impedire damnum alterius , ex gravi culpa id facere negligunt ; quæ eſt communis Doctorum ſententia . Dum enim tenetur aliquis , alterius damnum ex juſtitia impedire ; ejus impeditionis omiſſio eſt contra juſtitiam ; ergo ſi ex illa omiſſione ſequatur damnum , omittens eſt cauſa illius damni contra juſtitiam . Sicuti enim damnum quod ſequitur ex injuſta commiſſione eſt injuſtum , ita etiam quod ſequitur ex injuſta omiſſione . Cum ergo tenearis ad reparationem damni quod alteri datur ex opere tuo contra jus ipſius facto , ita etiam teneris ad reparationem damni, quod datur ex omiſſione , quæ ſit contra jus ejuſdem , quemadmodum debitor tenetur ad intereſſe quod ſequitur ex non præſtita ſolutione debita ; ut recte Medina q. 9. [illegible]

Hinc autem apparet quid ſit reſpondendum ad caſum propoſitum . Oportet enim diſtinguere an Henrico cura domus cuſtodiendæ commiſſa fuerit , adeo ut ex juſtitia ejuſdem rationem reddere teneretur ; in hoc enim caſu cum ex juſtitia teneretur aut furta impedire ſi poterat , aut ſi non poterat Domino indicare ; ſi huic muneri deſit , tenebitur utique ad damni reparationem . Si autem Henrico cura cuſtodiendæ domus peculiariter demandata non erat , & ſe habebat ad inſtar aliorum famulorum , tunc licet ex lege charitatis hæc furta impedire teneretur , cum tamen non habuerit obligationem ullam ex juſtitia provenientem non tenebitur damnum reſarcire . Excipe tamen niſi fortaſſe alii famuli certiores facti ejuſdem diſſimulationis , majorem ad furandum anſam arripuerint , & facti fuerint animoſiores . Atque hæc quo ad fures domeſticos.

Quod enim attinet ad fures extraneos , cum omnibus indiſcriminatim famulis demandata ſit cura cuſtodiendi domum contra extraneos invadentes , ſi hoc facere prætermittent , peccabunt contra juſtitiam , & tenebuntur ad reſtitutionem . Ita cum Layman , Navarro , Leſſio &c.

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. Liborius Sacerdos læthalis criminis conſcius , repente vocatus ad Confeſſionem hominis graviter vulnerati , ſtatim accedit, & cum periculum ſit in mora , non cogitans ſibi conſulere de contritione , pœnitentiam , viaticum , & extremam unctionem ſumma celeritate ipſi adminiſtrat.

Qu. An graviter peccet ?

Reſp. plura eſſe attendenda ut appoſite huic difficultati occuramus ; cum eadem reſponſio omnibus circumſtantiis aptari non poſſit . I. enim attendere

dere oportet an Liborius ſuper peccato ſuo non reflectat, an vero ejuſdem meminerit. II. an Sacerdos de ſua exiſtimatione periclitetur, ſi ſacramenta non adminiſtrat, licet ſuæ contritionis ſibi conſcius eſſe non poſſit. III. an quod dicitur de confeſſione, ſit etiam dicendum tum de viatico, tum de extrema unctione.

Principio autem notam ſuppono communem doctrinam, ſancta nempe ſancte eſſe tractanda & Sacramenta in ſtatu peccati, ſine peccato miniſtrari non poſſe, ſi baptiſmum excludeas in caſu neceſſitatis. An autem ſumpta a baptiſmo ſimilitudine, detur ab hac doctrina exceptio aliqua, etiam pro aliis ſacramentis, & qualis judicari debeat caſus neceſſitatis, ſive in conferente, ſive in miniſtro, id porro eſt, quod ex varia Doctorum mente debet exponi. Docet Marchi tract. 1. de Sac. c.4. Quod Sacerdos extra ſtatum gratiæ vocatus ad ægrum morientem, ob repentinam accelerationem peccato ſuo non attendat, excuſatur a novo peccato abſolvendo talem moribundum ſine contritione, ſi vero peccati meminerit, non excuſatur ab elicienda contritione ob feſtinationem & anguſtiam temporis, quia ſufficit breviſſimum tempus, ad eliciendam contritionem, ita ut ſine novo peccato non poſſit miniſtrare, niſi bona fide putet ſe habere.

At vero ſuper hanc Marchantii doctrinam licet omnes exiſtiment teneri Liborium ſibi ſtatim conſulere de contritione, eamque breviſſimo tempore, elici poſſe, cum ipſo tamen non ſatis conveniunt in eo caſu, in quo conatur quidem pro contritione, ſed de ea ipſi ſatis non conſtat, & neceſſitas urget. Joannes enim de Lugo diſp. 8. de Sac. ſec. 9. utitur paritate baptiſmi, & illam extendit ad abſolutionem ſacramentalem, quæ aliquando poteſt exiſtimari neceſſaria homini ad ſalutem, nec poteſt Sacerdos in illa temporis anguſtia ſe præparare per actum contritionis, & frequentius poteſt caſus in abſolutione evenire, quam in baptiſmo. Cum enim ſacramenta inſtituta ſint in remedium animarum, non videtur irreverentia, ſi in extrema illa neceſſitate, ut ſubveniatur proximo, miniſtrentur a peccatore. Sic enim videmus multa fieri circa perſonam Regis, vel Principis in caſu neceſſitatis, quæ ſi extra illam fierent, graviſſimam irreverentiam continerent. Itaque ex Doctrina Marchantii colligi poteſt, quod ſi Liborius dum hac premitur urgenti neceſſitate ſuper peccato ſuo non reflectit, novum peccatum non committit dum miniſtrat pœnitentiam, & propter eamdem rationem ſi pergat non reflectere, neque de novo peccabit miniſtrando viaticum, & extremam unctionem, niſi fortaſſe in peccato perſeverans eſſet habitualiter diſpoſitus ſacramenta miniſtrare quoties occurreret. Ex Doctrina autem Joannis de Lugo poteſt inferri neque peccare, quamquam reflectat, in adminiſtranda pœnitentia, ſi ipſam moribundo judicet neceſſariam.

An autem, ſaltem in ea circumſtantia, in qua de ſuo honore periclitetur, excuſari poſſit a novo peccato, dum ſumma celeritate miniſtrat etiam viaticum, & extremam unctionem, afferam in hac re Doctrinam ejuſdem de Lugo diſp. 9. de Sac. ſec. 1. Scribit enim quod ſi quis in altari recordetur peccati a ſe commiſſi, & ita arctetur anguſtiis temporis, ut non poſſit attendere ad habendam contritionem, niſi ceſſando a Sacrificio inchoato cum ſui honoris diſpendio, tunc abſque novo peccato poſſet ſacrificium conſumare, & Euchariſtiam ſumere, quia reverentia ſacramenti non obligat cum tanto honoris diſpendio. Poſita autem hac opinionem dicendum etiam videretur quod ſi Liborius in magna populi frequen-

frequentia; prope ipſam Eccleſiam ad hominem graviter vulneratum vocaretur, & miniſtrata jam pœnitentia nulla eſſe poſſet excuſatio, qua ſe ſubtraheret a miniſtrandis aliis ſacramentis, ad ſuam famam tuendam poſſet ipſa miniſtrare ſine novo peccato. An autem hæc, vel hypotheſis, vel doctrina ſit admittenda, quiſque pro circumſtantiarum opportunitate poterit judicare.

CAS. II. Aliprandus morti proximus, monetur a Confeſſario de magna pecuniæ ſumma incertis creditoribus debita, atque adeo in pios uſus eroganda. Hoc audiens Aliprandus, qui bona fide proceſſerat, & hanc pecuniam ſine incommodo familiæ diſtrahere nequit, dicit Confeſſario, ſe magnas Eleemoſynas continuo feciſſe, quas aut omiſiſſet hujus conſcius obligationis, aut feciſſet in eum finem.

Qu. An Confeſſarius ab hac reſtitutione poſſit ipſum eximere?

Reſp. Ut certa ab incertis ſeparemus, diſtinguere oportet an Eleemoſynæ ab Aliprando factæ præceſſerint obligationes ab ipſo contractas, propter quas magnam pecuniæ quantitatem incertis creditoribus debet, vel ipſas obligationes ſubſecutæ ſint. Si præceſſerunt, certum videtur non potuiſſe per ipſas obligationibus poſtea contractis ſatisfieri. Eleemoſynæ enim illæ, cum novæ obligationes contractæ ſunt, in proprietatem pauperum jam tranſierunt, nec Aliprandus earum amplius dominium habebat, ut quavis ratione ejus voluntas interpretari poſſet pro ſolutione debitorum, quæ poſtea acceſſerunt. Si poſtea Eleemoſynæ ſubſequutæ ſunt, diſputant de more Theologi ~~an per ipſas~~ Aliprandi debitis fuerit ſatisfactum. In hac tamen ambiguitate, id quoque certum videtur, quod ſi Aliprandus explicite voluit Eleemoſynas dare liberaliter, etiam ſi adeſſet aliqua obligatio alicujus debitis obliti, cui per Eleemoſynas ſatisfieri debeat, certe non poterit ea reſtitutio ſupplere, quæ fiat per Eleemoſynas, etiam poſt contractum debitum erogatas. Sed hoc omiſſo. —

Communior Theologorum pars cum Sanchez l. 1. c. 13. docet, quod debitor ex juſtitia, ſi debiti immemor liberaliter aliquid donet Creditori, non poſſit id computari in partem reſtitutionis debitæ, quando deinde debiti recordatur, quia ſecus donatio illa non fuiſſet liberalis.

Oppoſitum tamen probabiliter docuit Baldellus cum aliis apud Dianam. Sic enim habet t. 1. l. 5. d. 25. Nec negari poteſt quod etiam in materia juſtitiæ poſſit ſufficere ad illas obligationes tollendas intentio generalis, & implicita, quæ de facto habetur ab unoquoque ſatisfaciendi omnibus ſuis obligationibus, quibus abſolute poteſt ſatisfacere per unamquamque ſuam actionem. Neque oblivio, vel incogitantia hujus, vel illius obligationis ſpecialis, poteſt tollere, vel impedire voluntatem generalem, & implicitam ſatisfaciendi omnibus, quæ habentur, ſed ſolum tollit aut impedit, voluntatem ſpecialem & explicitam ſatisfaciendi huic aut illi obligationi in ſpecie, ut ex ſe patet, & ideo etiam in caſu poſito obligationes juſtitiæ dicendæ ſunt vere tolli dependenter a voluntate eorum, qui per illas ſunt obbligati.

Dicitur enim expreſſe l. *cum ex pluribus ff. de ſol.* quod qui pluribus cauſis uni alicui debet pecuniam, neque exprimit, aut demonſtrat, dum illam ſolvit, ex qua cauſa ſolvat, & cui obligationi intendat ſatisfacere, conſendus eſt pro illa ſolvere, quæ apud ipſum eſt prior. Et ratio ſubditur quia veriſimile eſt diligentem debitorem, ſi eſſet admonitus, ita fuiſſe geſturum ſuum negotium. Ex quo textu clare habetur, quod voluntas implicita & generalis, quam unuſquiſque habet ſatisfaciendi, prout poteſt, per unumquemquem actum ſuis obligationibus, poteſt habere

bere

bere locum etiam in materia juſtitiæ; idque non ſolum eſt verum quando in actu ſolvendi nulla cauſa exprimitur ex qua fiat ſolutio, ſed etiam cauſa exprimitur minus principalis, ex aliarum oblivione, aut incogitantia; nam hæc oblivio, aut incogitantia facit ſolutionem pro illo alio titulo prorſus involuntariam, eamque reſolvit in hanc conditionalem: trado vel ſolvo ex hoc titulo, niſi tenear alio potiori. Sua itaque probabilitate non caret potuiſſe Aliprandum illis Eleemoſynis ſuis debitis ſatisfacere, nam diligens debitor ſi fuiſſet admonitus, eas in eum finem feciſſet.

At inquies in contractibus, non conditionalis, ſed actualis voluntas attenditur. Præterea cenſeri non poteſt Aliprandum duas oppoſitas voluntates ſimul habuiſſe alteram donandi, alteram ſolvendi debitum. Tertio ex dictis ſolum eruitur probabile eſſe Aliprandum ſatisfeciſſe. Notum eſt autem debitum certum probabili ſatisfactione non compenſari. Denique attendere oportet prop. 33. Dam. ab Al. 6. in hæc verba *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerat*.

Dico autem ad I. excludi in contractibus voluntatem conditionalem, quæ in actu nunquam adfuerit, ſecus atque accidat in caſu noſtro, in quo habetur vera voluntas, antea, ut ſupponitur abſolute habita ſolvendi debitum, quæ ſemper perſeverat quamdiu non revocatur, — Ad alterum non habuit Aliprandus duas oppoſitas voluntates, ſed non cogitans de debito, ex prima voluntate habita potius cenſetur velle ſolvere, quam velle donare. Ad III. Axioma illud procedit quando ſola habetur probabilitas facti, non autem quando etiam accedit probabilitas juris. Eſt enim aliud v. g. eſſe ſolum probabile ſolutionem eſſe factam, & prorſus aliud eſſe probabile ſolutionem certo factam ſatisfacere. Patet autem in caſu probabilitatem non verſari circa factum ſolutionis, ſed unice circa effectum illius. Ad ultimum præoccupata eſt difficultas cum diximus ſermonem eſſe de eleemoſynis factis poſt debita jam contracta. Propoſitio autem de iis loquitur quas beneficiatus *antea* fecerat. Patet ergo in circumſtantiis expoſitis probabile eſſe, poſſe Confeſſarium ab hac reſtitutione Aliprandum eximere.

CAS. III. Alipius Sacerdos celebrans ultimam Miſſam, poſt conſecrationem animadvertit, ſe oblitum fuiſſe conſecrandi aliam Hoſtiam pro expoſitione Veſpere facienda; qua de re extrahit Pyxidem, & in ipſa reponens Hoſtiam ab ipſo conſecratam, cætera peragit cum Hoſtia minori ab alio jam conſecrata.

Qu. An hoc ipſi licuerit?

Reſp. Viguiſſe olim abuſum apud quoſdam Parochos, ut dum renovarent Euchariſtiam, conſumerent Hoſtiam ab alio conſecratam, eam vero quam conſecrabant reponerent in Sacrario. Fortaſſe autem abuſum hunc, conſuetudinem arbitrantes Henriquez, & Facundez, id abſolute licitum docuerunt exemplum deſumentes ab eo quod accidit, ſi Sacerdos poſt conſecrationem moriatur, tunc enim Sacerdos alter perficit Miſſam illius, & ex utroque celebrante fit unus miniſter, & unum eſſentiale Sacrificium, cui qui aſſiſtit præcepto ſatisfacit; quod etiam confirmatur ex eo, quod die Paraſceves poteſt conſumare Hoſtiam, ab alio, die præcedente conſecratam.

Hos tamen auctores tamquam loquutos parum Theologicæ jure redarguit Jo. de Lugo de Euc. diſp. 19. ſec. 5. aperte aſſerens hoc eſſe contra ſenſum Eccleſiæ, omniumque Doctorum. Eccleſia enim in rubricis Miſſalis

ſæ-

ſæpius admonet, ſi poſt conſecrationem contigerit ſpecies Sanguinis omnino effundi, aut in ipſis vel in Hoſtiam venenum apparere, debere Sacerdotem, aliud vinum, vel aliam Hoſtiam conſecrare, quam ſumat. Hoc autem nec eſſet neceſſarium, nec licitum, ſi Doctrina illorum auctorum vera eſſet. Si enim ad Miſſæ integritatem ſufficit conſecratio, & ſumptio utriuſque ſpeciei, ſive ſumantur, quæ tunc conſecrata ſunt, ſive quæ in alia Miſſa fuerant conſecrata, non oporteret in illis caſibus aliam Hoſtiam conſecrare, ſed ſufficeret ſumere unam particulam conſecratam ex ſacrario, & cum illa proſſequi Miſſam inceptam, & conſumare Sacrificium, ſi ad ipſum ſufficeret conſecratio, & ſumptio Sacramenti ab alio conſecrati. Male ergo præcipit Eccleſia ut in iis caſibus iterum conſecratur, quod idem omnes Theologi dicunt neceſſarium propter perfectionem debitam Sacrificii.

Ratio autem ex eo deſumitur, quia debet eadem victima conſumi, & ideo jure non ſolum dicunt debere Sacerdotem partecipare in Miſſa de hoc Sacramento, ſed debere participare de eodem Sacrificio. Dicitur enim in Conc. Tolet. 12. c. 5. in c. relatam de conſc. diſt. 2. Nam quale erit *Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe cognoſcitur?*

Non urgent autem duo illa exempla, quæ in oppoſitum afferebantur; nam in I. inquit Tamburinus adeſt ſumma neceſſitas perfectionis Sacrificii; adeſt in poſteriori Eccleſiæ diſpenſatio, & ex utroque ſolum colligitur illud non eſſe contra omnimodam Sacrificii integritatem, ſed eſſe contra morem, & intentionem Eccleſiæ, volentis juxta ipſius Sacrificii requiſita, ut Sacerdos participet de Sacrificio a ſe confecto, in quo ſolum diſpenſavit, urgente illa neceſſitate, & ſtante illo paſſionis Dominicæ myſterio exhibendo. Dicendum eſt itaque non licuiſſe Alipio reponere in Sacrario majorem Hoſtiam a ſe conſecratam, & Miſſam proſequi cum alia minori Hoſtia conſecrata ab alio.

M E N S E   M A R T I O.

CAS. I. Contractis ſponſalibus inter Titum, & Roſam impuberes; Titus Roſæ pertæſus, durante adhuc impubertate, ipſa invita reſilire quærebat; mox vero reconciliatis animis ſe juramento obligarunt, ne amplius reſilire poſſent, etiam adepta pubertate.

Qu. primo, an durante impubertate poſſet Titus reſilire?

Qu. ſecundo, an obſtaret juramentum, ne poſſet amplius reſilire adepta pubertate.

Reſp. ad I. durante impubertate non potuiſſe Titum reſilire. Habetur enim in hac re textus expreſſus *cap. de illis* 7. *de ſponſ. imp.* ubi Alex. III. ſic loquitur. *De illis qui infra annos aptos matrimonii ſponſalia contrahunt, ſive uterque, ſive alter reclamet antequam ad annos matrimonii aptos pervenerint, poſtulent ſeparari, non ſunt ullatenus audiendi.* Cujus diſpoſitionis ea eſt ratio, ut immaturitati impuberum ſuccurratur, quia ut ait Gloſſa ob fragilitatem ætatis non cenſentur habere maturam deliberationem, ſæpe enim ob ætatis inconſtantiam contraherent ſponſalia, & eadem diſſolverent; & ideo pubertatis tempus eſt expectandum.

Ad alterum paulo ſubtilior eſt inquiſitio. Habetur enim duplex ſententia, & quidem utraque gravibus auctoribus, gravibuſque fundamentis innixa. Tenent quippe Cardenas, Henricus, Paludanus, aliique plures ex antiquioribus, non obſtare juramentum, ne Titus, & Roſa poſſint re-

 ſilire,

ſilire ; quorum duplex eſt ratio . Primo enim *cap. pueri , & cap. parvuli* 22. *q.* 5. impuberes prohibentur jurare . Si autem prohibentur jurare , haberi debet ut nullum juramentum præſtitum tempore impubertatis . Secundo . Ex communi ſententia juramentum additum contractui, ſortitur conditiones ejuſdem contractus . Sponſalia autem impuberum in ſe habent tacitam conditionem , niſi facti puberes reclamaverint . Ergo hac conditione ſpoliari non debent etiam addito juramento.

At vero longe probabilior videri debet illorum ſententia , quæ utique impedimentum agnoſcit in juramento , ne Titus & Roſa facti puberes poſſint reſilire . Hanc enim ſequitur ſive Canoniſtarum , ſive Theologorum pars maxima , atque hæc habet fundamenta . Primo . Enim *c. ex litt. de Sponſ.* 2. expreſſe dicitur *impuberes jurantes Sponſalia cogendos eſſe ea perficere* . Neque obſtat quod opponunt oppoſitæ ſententiæ defenſores , illos impuberes non reclamaſſe poſt pubertatem , atque adeo jure fuiſſe cogendos ; nam prorſus ad libitum , & abſque fundamento ab ipſis aſſeritur illos non reclamaſſe . Secundo : quamvis non conſtet apud Doctores an alii contractus impuberum juramento firmentur ; id tamen provenit quod ſecluſo juramento invalidi erant . Cum ergo ſponſalia impuberum ſecluſo juramento valida ſint licet diſſolubilia , dicendum videtur juramentum adjectum ea confirmare , indiſſolubiliaque reddere.

Corruit autem utraque ratio ſuperius allata . Reſpondetur enim ad primam : Textus loqui de impuberibus qui ad teſtimonium ferendum apti non ſunt ; non enim cogendi ſunt jurare . Reſpondetur ad alteram , id verum eſſe jure aliter non diſponente . At in re noſtra jus canonicum diſponens *c. de illis c. al.* 1. *de ſp.* ineſſe tacitam conditionem ſponſalibus impuberum niſi poſt pubertatem reſiliant &c. Diſponit ; ut vidimus c. ſuperius citato , id deficere quando juramento firmata ſunt .

Doctores tamen hoc aſſerentes quorum longum ordinem referunt Salmanticenſes tract. 9. de Mat. cap. 2. Duo animadvertunt . Alterum eſt,quod hoc juramentum , ut firmet ſponſalia , præſtandum eſt ab impuberibus doli capacibus , tunc vero dici doli capaces , quando ita proximi ſunt pubertati , ut intellectum ac diſcretionem habent ad firma omnino reddenda ſponſalia . Alterum eſt , quod ſi puer ita doli capax non eſſet , ut poſſet ſponſalia confirmare , tunc indigeret juramenti relexatione , facile ab Epiſcopo concedenda propter imbecillitatem ætatis ; potuit enim Deo obligari , cum haberet uſum rationis.

CAS. II. Emericus poſt contracta ſponſalia cum Thereſia , emiſit votum ſimplex caſtitatis , deinde obtinuit diſpenſationem.

Qu. primo an licuerit Emerico caſtitatem vovere , præſertim ſi ſponſam cognoviſſet ?

Qu. ſecundo , an obtenta voti diſpenſatione , reviviſcat obligatio ſponſalium ?

Reſp. ad Primum . Duplici modo potuiſſe Emericum poſt ſponſalia cum Thereſia contracta , votum caſtitatis emittere . Primo ſcilicet ſincero animo , amore virtutis , ut honeſtam ageret vitam , & cœlibatum ſervaret . Secundo . Animo fraudolento , ut eluderet priora ſponſalia , & ope diſpenſationis poſtea obtinendæ alteri nuberet . Si animo fraudolento emiſit , concedunt omnes peccaſſe graviter ; atque teneri priora ſponſalia adimplere , alioquin dolis & fraudibus additus aperiretur . Concedunt pariter , neque ſecluſa fraude potuiſſe votum emittere ſi ſponſam violaverit , atque ipſi , ratione damni illati , implendam eſſe obligationem matrimonii potius , quam voti. An autem etiam ſincero animo , atque

ad cœlibatum ſervandum potuerit Emericus caſtitatem vovere, maxima eſt Auctorum diviſio.

Negantem ſententiam defendunt Leſſius, Layman, Caſtropalaus, aliique apud Sanchez, qui l. 1. Diſp. 46. uſque ad 20. ipſos commemoret, quoniam, ut ipſi inquiunt nequit Deo promitti, quod debitum erat homini. Sed per contractum ſponſalium, erat promiſſum homini proprium corpus, ergo nequit amplius offerri Deo. Confirmatur ex *c. veniens*, *qui Clerici*, *vel voventes*, ubi pœnitentia imponitur fœminæ, quæ poſt contracta ſponſalia voverat caſtitatem.

Altera ſententia licitum, validumque hoc votum propugnat, quamquam ſponſalia hæc fuiſſent juramento firmata. Defendunt hanc graviſſimi Theologi Cajetanus, Suarez, Vaſquez, Azorius, Gonetus, Pontius, aliique, atque ad ipſam probabiliorem exiſtimandam, attendere ſufficit ad communem Doctrinam, quod nempe in promiſſionibus, quæ ſtatum conſtituunt, ſemper in promiſſione facta homini includitur conditio *niſi meliorem ſtatum elegero*, & quamquam Cœlibatus non conſtituat ſtatum meliorem ſtatu matrimonii. Eligitur itaque ſtatus melior per caſtitatis votum, quod ſuum corpus Deo offert, & conſecrat. Ergo huic electioni cenſetur locum relinquere promiſſio facta in contractione ſponſalium.

Parum vero nos urgent rationes oppoſitæ. Non enim in præjudicium tertii dici debet hoc votum, quia omnes creaturæ Deo ſubjectæ ſunt, nihilque perdunt, cum ipſi promiſſioni inſit ſemper conditio reſcindendi contractum quoties voluntas advenerit corpus proprium Deo conſecrandi. Auctoritas pariter ex adducto cap. *veniens* nihil favet adverſæ ſententiæ, quia illa mulier poſt dilationem matrimonii, in ejus fraudem votum emiſerat, ut votum eluderet, & nubere alteri poſſet, quo factum eſt, ut illam Pontifex pœnitentia multaverit. Atque hæc cum Concina lib. 2. de matr. diſ. 2.

Ad ſecundum. Reſpondeo auctores qui docent iicitum eſſe poſt contracta ſponſalia caſtitatem vovere, docere etiam, quod ſubſequente voto caſtitatis ſponſalia præcedentia dirimantur. Si autem poſt votum emiſſum dirimuntur ſponſalia, qui votum emiſit ab iis liber evadit, & obtenta diſpenſatione, cui voluerit nubere poterit. Advertit tamen Concina loco laudato, quod ex honeſtate debet nubere illi, cui antea promiſerat, tum ut vitentur murmura & ſcandala; tum ob periculum ne votum in fraudem editum ſit.

CAS. III. Damianus Proviſor Franciſci hac conditione, ut pro ſuo labore unum lucretur pro quolibet centenario, accipit ab ipſo mandatum emendi 100. modios tritici taxato pretio decem librarum. Accidit vero, ut Damianus inveniens venditorem paratum ad vendendum triticum pretio ſeptem librarum pro quolibet modio, emit hoc pretio nomine proprio, mox ſibi vendit tanquam Proviſori Franciſci, pretio librarum decem, & inſuper retinet unum pro quolibet centenario.

Qu. an utrumque lucrum, vel ſaltem primum poſſit retinere?

Ut facilius deveniam ad hujus caſus reſolutionem, plura mihi ex uſu communi ſunt ſupponenda. Primo. Enim ſuppono Damianum non ſolum fuiſſe Proviſorem Franciſci, ſed etiam mercatorem; ita ut a ſe ipſo emere potuiſſet Franciſco vendenda. Secundo. Fuiſſe Damianum virum induſtrium ſolertiſſimumque, non tamen eo majori ſtipendio a Franciſco conductum, ut ſua omnis induſtria ipſi locata præſumi deberet. Tertio. Sine induſtria peculiari non potuiſſe triticum emi pretio 7. librarum. Quarto. Pretium librarum 10. non ſolum fuiſſe intra latitudinem juſti

prætii, ſed fuiſſe pretium quo fere communiter triticum habebàtur. His enim ſuppoſitis dicendum videtur eſſe ſatis probabile potuiſſe Damianum utrumque lucrum pro ſe retinere.

Quæ enim obſtare viderentur hæc potiſſimum ſunt. Primo. Quod ex eadem re, duplex lucrum provenire non poſſit. Secundo. Quod idem Mercator, duas perſonas ræpreſentare nequeat, quo nempe ſia ut ſibi vendat, & a ſe ipſo emat. Tertio. Fuiſſe triticum emptum a Damiano prætio 7. librarum pecunia Franciſci, atque adeo ſtatim, in ejus dominium tranſiiſſe. Quarto, pretium 10. librorum fuiſſe a Franciſco taxatum, non ut illo majus, ſed ut illo minus atque adeo ejus mentem fuiſſe, ut minoris emeret, ſi forte contingeret. Denique legem haberi: quod non valet emptio rei propriæ. Hæc tamen omnia facile refelluntur.

Dico enim ad primum: plures eſſe caſus in quibus ex eadem re multiplex lucrum poteſt reportari. Rem enim vendens ſuſpecto de fuga poteſt reportare lucrum ratione mercaturæ, & ratione periculi. Dico ad ſecundum: poſſe utique unum negotiatorem duas perſonas repræſentare; ita ut eadem perſona poſſit emere a ſe ipſo nomine Titii, & vendere ſibi ipſi nomine alieno, & omnes alios ſimiles contractus exercere; cum eadem Perſona poſſit eſſe duplici juris reſpectu diverſorum. Allegat in hac re caſus & jura Menochius *De recet. Rem.* 1. *n.* 36., & quotidiana nundinarum experientia facile comprobat. Dico ad tertium: quod ſi excipias pecuniam Eccleſiæ, pecuniam pupilli, pecuniam vel ab uxore vel a marito invicem donata, poteſt quæcumque res emi etiam aliena pecunia, &, ſi emens intendat tam lucrum quam damnum ad ſe pertinere, vere ſit Dominus rei, licet pecunia, qua emit ſit aliena. Dico ad quartum: non ob hanc rationem putare nos poſſe Damianum duplex hoc lucrum retinere, quia Franciſcus taxaverit pretium librarum 10., ſed quia: quamquam putaverit ſolum pretium majus excludere, tamen ratione ſtipendii quod Proviſori ſolvebat, non poterat ab ipſo exigere quod ſuam omnem induſtriam etiam peculiarem & extraordinariam pro ſe inſumeret. Dico denique ad ultimum caſum, illius legis a propoſito noſtro omnino differre. Ibi enim lex decidit, quod ſi res mea ſit penes alium, & ego illam emam ſciens, vel ignorans eſſe meam, emptio non tenet, ſed poſſum ſemper a venditore pretium repetere, cum ſit iniquum me rei meæ pretium perſolvere. At in re noſtra, non ego nomine meo emo rem meam, ſed nomine alieno, & ideo ceſſat etiam ratio legis, quod ſit iniquum me ſolvere pretium rei meæ, nam eodem modo pretium rei a me ipſo recipio, ac ſi reciperem a quocumque alio. Si enim mandatarius triticum emat ab alio mercatore, nemo negabit poſſe Mercatorem vendentem lucrari pretium ex venditione, & Mandatarium retinere poſſe pretium ſibi debitum ratione commiſſionis. Ergo emens a ſe ipſo poterit lucrari ratione ſui officii, & vendens nomine proprio poterit lucrari ratione mercaturæ.

Hæc autem ſpeculative ſint dicta, ex communiori doctrina, ſi vere concurrant circumſtantiæ omnes in hac reſolutione ſuppoſitæ. Practice enim raro admodum accidet Damianum ſic agere, quin parum fideliter negotium domini gerat, & in re propria judicem ſe conſtituens, tantum ſibi lucrum, cum ejus damno non comparet, cui propterea ſatisfacere debeat.

MEN-

MENSE APRILI.

CAS. I. VEnceslaus opem fert Ambroſio extreme indigenti, exigens juramentum de reſtituendo, ſi pervenerit ad pinguem fortunam.

Qu. an Venceslaus pactum hoc adjicere poſſit, & Ambroſius ſolvere teneatur?

Resp. Ambroſium in triplici ſtatu dici poſſe extreme indigentem. Primo. Enim ita dici poteſt extreme indigeas, ut hic & nunc in exterma neceſſitate verſetur quin ulla ſit ſpes melioris fortunæ. Eſt exemplum in paupere incurabili infirmitate, & egeſtate laborante, qua ipſi ſpes omnis aufertur perveniendi ad ſtatum meliorem. Secundo. Ita dici poteſt extreme indigens, ut quamquam hic & nunc extrema neceſſitate laboret, qeatenus nihil habet in bonis, ſi tamen evadat ab illo periculo, ſpes magna eſt ſtatus melioris. Eſt exemplum in paupere infirmitate non incurabili ſed extrema egeſtate depreſſo, qui ſi convaleſcat a morbo, non caret induſtria, qua ſibi & aliis non ſine emolumento poſſit opitulari. Tertio. Ea eſſe poteſt extrema Ambroſii indigentia, ut hic & nunc ejus vita verſetur in extremo periculo, ſi tamen illud evadat, non ſolum non amplius conſtituitur in extrema neceſſitate, ſed valde dives, & locuples eſt. Exemplum eſſe poteſt in divite mercatore a latronibus undequaque vallato qui eorum inſidias nequit effugere, quin mille aureos perſolvat, quos tamen in illo diſcrimine ſecum non habet, & licet domi habeat multo plures, illis tamen adjuvari non poteſt.

Hoc poſito dico quod ſi Venceslaus opem tulit Ambroſio in primo ſtatu extreme indigenti, quatenus nec in re, nec in ſpe quidquam haberet unde ſibi ſuccurreret, non poterat Venceslaus hoc pactum adjicere: Eſt enim præceptum erogandi Eleemoſynam ſine ſpe retributionis, quod ipſum indicat eleemoſynæ munus, quod largitionem importat ſine pacto recipiendi, cum ſit eleemoſina opus miſericordiæ ad relevandam indigentiam hominis, ex compaſſione, & propter Deum, ut ſæpe docent Scripturæ & Patres, & late explicatur apud Doctores ubi ſermo inſtituitur de præcepto dandi eleemoſynam, & quando nos obliget.

Si vero Ambroſius opem expoſcens a Venceslao in ſecundo, aut tertio ſtatu reperiebatur, quatenus ipſi extreme tunc indigenti melioris conditionis ſpes affulgeret, dico Venceslaum fuiſſe quidem adſtrictum ad ſublevandam illius egeſtatem, ſed jure potuiſſe onus retributionis in pactum deducere.

Id porro facile oſtenditur quia charitas obligat ad faciendum cum proximo, quod nobiſcum fieri vellemus rationabiliter. Sicuti autem rationabile eſt nobis ſubveniri in neceſſitatibus, eſt etiam rationabile deducere in pactum retributionem, ſi illa ſit nobis poſſibilis. Præterea illa eſt extrema neceſſitas, ultra quam major dari non poteſt. Ergo ſi Ambroſius quamquam egeſtate prematur, ſpem tamen habet melioris fortunæ, in ea neceſſitate verſatur, qua major eſt altera, quæ hac ſpe deſtituatur; atque adeo non habet neceſſitatem extremam pro qua cenſeatur urgere præceptum ſubveniendi, quin poſſit adjici pactum retribuendi, ſi forte ipſi ſors melior advenerit. Denique res tota conficitur ex *cap. ſi quis de furtis*, juncta, gloſſa. Habetur enim in textu quod *ſi quis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus propter neceſſitatem famis, aut nuditatis, pœniteat hebdomadas tres, & ſi reddiderit non cogatur*

tur jejunare, & gloſſa, habet, illud *neceſſitatem* intelligendum eſſe non de *extrema*. Quomodo autem, hæc ſibi cohærent; aut quæ neceſſitas erit extrema, niſi neceſſitas nuditatis aut famis? Iſta certe erat extrema, quia famem, aut nuditatem alia ratione depellere non poterat; in eo ergo ſtatu erat extrema. At vero quia famen paſſus, aut nuditatem alio tempore poterat compenſare, ideo non erat ſimpliciter extrema. Hinc ipſe textus pro ablatione nullam injungit pœnitentiam, ſed ſolum quia non reddidit. Sequitur ergo quod non peccavit auferendo, peccat autem retinendo, quia licuit accipere, non licet autem retinere, cum qui accepit factus eſt potens reddere, & cum accepit hac ſpe deſtitutus non erat.

At inquies ſi hoc verum eſſet, etiam cum pauper egeſtate preſſus ſibi petit ſubveniri, nullaque pacti adjectione ſubſidium accepit, ſi ſortem mutaverit tenebitur. Verum reſpondeo, quod quando datur, nec pactum adjicitur retributionis, cenſetur donari; atque adeo nulla remanet obligatio, niſi qui petit ſe pauperem ſimulet, ut paſſim Doctores de eleemoſyna differentes.

Hæc autem de pacto ſimpliciter. At vero cum in caſus propoſitione ſermo fuerit de juramento, quid eſſet reſpondendum ſi Ambroſius, quamquam conſtitutus in primo ſtatu neceſſitatis acceptaſſet pactum inique propoſitum a Venceslao, & juramento confirmaſſet; tenebitur, ne reſtituere ſi forte pervenerit ad pinguem fortunam?

Dicendum videretur teneri. Nam ex Giribaldo *tract. 7. de jurej. cap.* 2. Docet communis ſententia contractus invalidos ob utilitatem privatam confirmari juramento, nam jurans illius obſervantiam renunciat beneficio legis contractum irritantis in ſui favorem, & utilitatem, & ſe obligat ſecundum ſuam naturalem, & primordialem inſtitutionem; perinde ac ſi non eſſet irritatus a jure; cum unuſquiſque poſſit renunciare ei, quod ſui favorem, eſt introductum.

Verum reſpondeo ex eodem Giribalbo citato loco oppoſitum colligi. Hoc enim aſſerit de contractibus & pactis ſolo jure humano, aut canonico irritis, cum ſuperius affirmaverit contractus, omnes contrarios juri naturali, aut divino; aut verſantes circa materiam illicitam, & peccaminoſam, non poſſe confirmari juramento. Eſſet autem, ut quiſque videt juri naturali contrarium pactum oppoſitum a Venceslao.

CAS. II. Euſebius relinquit Catharinæ legatum 50. aureorum quolibet anno ſolvendum; ſi virginitatem ſervaverit in habitu Urſulinarum, quem ſumpſerat. Catharina vero habitum quidem Urſulinarum retinuit, ſed a viro cognita eſt.

Qu. An tuta conſcientia frui poſſit hujuſmodi legato?

Reſp. Quatuor eſſe inveſtiganda ut hujus caſus reſolutio clarius proponatur. Primo: an illa conditio utpote matrimonio contraria ſervanda non ſit tanquam inutilis. Secundo. An Catharina hoc ipſo quod permanſerit in ſtatu Urſulinarum, habenda ſit in ordine ad hoc legatum, quaſi virginitatem ſervaverit. Tertio. An requiratur ſententia judicis, ut non attenta hac conditione, legato privanda ſit. Quarto. An copula habita, quæ occulta ſupponitur, hoc ipſo quod ſit occulta, Catharinæ præjudicare non debeat.

Dico itaque ad primum. Aliud eſſe legare puellæ ſi non nubat, vel niſi nubat, aliud eſſe ſi permanſerit virgo, ſi monaſterium intraverit, ſi ſervaverit caſtitatem &c. Primum legatum involvit conditionem quæ præſumitur in odium matrimonii, & ideo multi docuerunt diſpoſitionem,

cum

eum hac conditione eſſe inutilem, neque ſervandam. Secundum autem legatum non involvit conditionem in odium matrimonii, ſed in favorem virtutis, quapropter inutilis cenſeri non debet, & hanc diſpoſitionem ſuſtinendam eſſe probat Covarruvias *lib. 1. verſ. 1. 19.*

Ad alterum dico aliud eſſe legare Catharinæ ſi permanſerit in ſtatu virginitatis cum habitu Urſulinarum, & aliud eſſe, ut habetur in caſu, ſi virginitatem ſervaverit in habitu Urſulinarum. Licet enim uterque iſte modus legandi ſit in favorem virtutis, non in odium matrimonii, cum virtus ſuadeatur, & matrimonium non prohibeatur, attamen inter ipſos magna eſt differentia. Nam poteſt aliquis eſſe caſtus, & virgo, & tamen non eſſe in ſtatu caſtitatis, vel virginitatis, & e contra poteſt quis eſſe in ſtatu caſtitatis, & tamen non eſſe neque caſtus, neque virgo, ut colligitur, ex Divo Thoma 2. 2. q. 183. Cum autem caſus propoſitus ſupponat ſtatum Urſulinarum, & præterea viginitatem intendat, virtutem, non ſtatum videtur intendere.

Ad tertium, reſpondet cum pluribus Sanchez *l. 7. De Mat. Diſp. 91.*, quod licet regulare ſit pænam minime obligare ante ſententiam Judicis, id tamen fallit in pæna adjecta a Teſtatore. Debetur enim ſtatim ac incurritur foro conſcientiæ, nulla expectata judicii ſententia aut executione, quia vere, & proprie non habet rationem pænæ, ſed habetur tanquam conditio, ſub qua, & non alios Teſtator legare voluit, quod integrum illi eſt efficere. Præterea voluntas teſtatoris omnino eſt implenda; unde ſicut in aliis a Teſtatore diſpoſitis non deſideratur ſententia judicis ut executioni mandentur; ita neque deſideratur ad pœnam ſuſtinendam; maxime cum inter Teſtatorem, & legatarium quidam habeatur contractus do, ut des, vel do, ut facias, qui firmus redditur legatario legatum acceptante; quare ſicut dominium acquiritur per acceptationem, ita ſuo ſe conſenſu obligavit ad conditionem ſervandam, eaque non ſervata erit reſtituendum.

Ad IV. reſpondet idem Sanchez loco citato n. 4. non referre quantumvis occulto non pareatur conditioni. Cum enim non loquamur de pœna pertinente ad forum externum, non oportet delictum probari. Item quia deficit tunc relictum ex defectu voluntatis in Teſtatore, qui noluit legare violanti conditionem. Quamquam ergo id ſit occultiſſimum ſupereſt obligatio reſtituendi relicta ſub ea conditione.

His porro ſic diſputatis facillimum eſt, caſum reſolvere. Si enim conditio illa eſt omnino ſervanda; ſi ipſam afficit virginitatis virtutem, non ſolum ſtatum virtutis, ſi amiſſio legati non habetur ut pœna, nec ut obliget poſtulat ſententiam judicis; ſi non officit quod copula ſupponatur occulta, ſupereſt concludendum non poſſe Catharinam tuta conſcientia frui hujuſmodi legato.

CAS. III. Anna partui proxima, graviter reprehenſa a Confeſſario, ſi forte cogitet, prolem naſcituram lactandam tradere alteri mulieri, ſcrupulis agitatur.

Qu. ergo ab alio Confeſſario, an cine culpa id poſſit efficere?

Reſp. Jure quidem prudentem Confeſſarium Annam partui proximam redarguiſſe, ſi nulla cauſa impellente, prolem naſcituram alteri mulieri lactandam tradere cogitabat. Redarguendus eſt enim enormis abuſus, ad quem avertendum tota ſemper declamavit antiquitas. Eſt vero ſuperfluum ad hoc oſtendendum alios fontes adire, cum caſus reſolutionem nobis ſuppeditet; Benedictus XIV. in aureo ſuo opere de Synodo Diœceſana l. 11. c. 7. Docet enim n. 11. ſe plures audiviſſe Epiſcopos inſinuantes

ut

ut gravi precepto compellant matres ad proprios filios ſuis uberibus lactandos, quorum inſinuatio rite expenſa, non eſt prorſus irrationabilis; etenim non ſolis Eccleſiæ Patribus, ſed etiam Ethnicis philoſophis turpe & abſonum viſum eſt, ut mater filium, quem in utero aluit, poſtquam peperit alteri tradat enutriendum. Illas certe reprehendit Phavorinus philoſophus apud Gellium inquiens. *Quod eſt enim contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus, peperiſſe, ac ſtatim ab ſe abjeciſſe? Aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non viderat, non alere nunc ſuo lacte quod videat jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem?* Ex Patribus vero S. Ambroſius l. 1. de Abraham c. 7., ex eo quod Sara lactaverit Filium infert. *Provocantur Fœminæ meminiſſe dignitatis ſuæ*, cum in hoc gratia matrum, & honor poſita ſint. Pariter Gregorius Magnus l. 4. ep. 64. docet pravam conſuetudinem eff-ciſſe, *ut mulieres, Filios quot gignunt nutrire contemnant; eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quæ videlicet* (addit) *ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventa, quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt?*

Poſtquam vero alia teſtimonia in eam rem erudite congeſſerit, pergit n. 10., & magis intime difficultatem expendens, animadvertit nonnullos Theologos apud Cornelium a Lapide a gravi culpa non excuſare matrem, quæ abſque legitima cauſa ſe ſubtrahit ab onere ſibi a natura impoſito propriam lactandi prolem, quod obſervante magno Baſilio h. 9. in exameron nulla quantumvis crudeliſſima fera ſubire detrectet. Horum tamen commemorata ſententia laudat opinionem Navarii, quæ illam ſolius peccati venialis ream facit, urgente vero legitima cauſa ab omni culpa abſolvit.

Hinc autem ſatis colligitur quid agere debeat poſterior Confeſſarius cujus conſilium ab Anna requiritur. Debet enim & ipſe morem hunc commendare tanquam officio matris maxime conſonum, & illum hujuſmodi, ut ſi nihil obſtet, ſine culpa veniali eximi nequeat. Si vero gravis culpæ timore turbatam inveniat, ejus agitationem compeſcere debet, & ipſam interrogare qua potiſſimum ratione ad hoc faciendum moveatur. Qua in re ut cautius ſe gerat, eumdem audiat Benedictum XIV., qui n. 11. rem ita concludit = Cum autem non una, ſed multe occurrere queant legitimæ cauſæ, propter quas matres licite ſe a prædicto onere ſubducunt, ut puta ſi lacte careant, ſi mala afficiantur valetudine, ſi numeroſa indigeaut prole, & propterea huic procreandæ priuſquam conſeneſcant, operam dare cupiant, idcirco Epiſcopus ne Novatoris notam obtineat, abſtinere debet a præfato præcepto ferendo, ſed potius nobiles, & divites mulieres, a quibus ſolent Filii lacte enutriendi nutricibus tradi, ſerio monebit, atque hortabitur, ut Sanctiſſimas fœminas imitentur quæ ſuis uberibus filios lactarunt, uti Sara Iſaac, Rabecca Jacob, Anna Samuelem, ac ipſa Dei genitrix Sanctiſſima Virgo Filium ſuum Chriſtum Dominum. Qua de re inquit Natalis Alexander Chriſtianas mulieres adhortari pretium eſſe; ut filios ſuos propriis lactent uberibus, non alienis nutricibus tradant.

M E N S E   M A J O.

CAS. I. CAmilla a partu recens proprium exponit Hoſpitali, ut viri nobilis Filium lactandum ſuſcipiat.

Qu. An graviter peccet, ſive contra charitatem in Filium; ſive contra juſtitiam in Hoſpitale?

Reſp.

Reſp. eſſe expreſſum in jure graviter peccare parentes, qui cum filios aut per ſe, aut per alios commode alere poſſint, alendos exponunt Hoſpitali. Legitur enim in *l. necare ff. de lib. Necare videtur non tantum is qui partum præfocat, ſed & is, qui abjicit, & alimenta denegat, & is, qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet, & in l. 2. de infant. expoſ. ſuum dicere non poteſt, quem enutrire contempſit*; atque ita communiter docent, cum Azorio, Navarro, Saurio, &c. Hinc *cap. ſi a Pater de inf.*, & *long.* Pater, qui hoc ſcelus admiſerit patria poteſtate privatur. Ait enim textus *Si a Patre, ſive alio, ſciente ipſo, vel ratum habente, & relegato pietatis officio, infans expoſitus extitit, hoc ipſo a poteſtate Patris fuit liberatus.*

Dixi autem ſi filios per ſe, aut per alios commode alere poſſint, nam ideo exponentes, quod ipſos præ inopia alere nequeant, communiter excuſantur a culpa, quia in hoc caſu ceſſat obligatio quam habent parentes ſuos filios alendi, & conſulunt fœtui meliori modo, quo poſſunt exponentes illum hoſpitali expoſitis deputato. Id ipſum vero de hoſpitali dicendum, videlicet, hoſpitali exponentes filios ſuos legitimos ob neceſſitatem, non teneri hoſpitali pro expenſis, quia neceſſitas excuſat. Si tamen neceſſitas non eſt adeo gravis, quin poſſint aliqua ex parte ſatisfacere, putat Moronus ad hoc teneri, quia hoſpitalia pro legitimis non ſunt creata, niſi tamen ſint talia, quæ etiam pauperes legitimos recipiunt, tali enim caſu, non adeo rigoroſe procedendum exiſtimat, cum expoſitus vere ſit pauper.

Hinc autem apparet quid ſit reſpondendum ad caſum propoſitum. Si enim Camilla gravi ægeſtate premebatur, pluresque filios habebat, quibus alendis ſatis eſſe non poterat, niſi in eorum alimoniam lucrum converteret, quod a viro nobili reportare ſperabat, tunc utique gravis neceſſitas ipſam excuſabit; ne contra charitatem peccet in filium, & contra hoſpitale injuſtitiam committat. Si autem id præſtitit majoris lucri aviditate commota, cum aliunde, familiæ indigentiis alia ratione conſulere poſſet, tunc utique, Navarrus, Reginaldus, Coaruvies, Sylveſter, aliique communiter, docent ipſam peccare mortaliter, ſuam enim obligationem naturalem contemnit, & Filio inurit maximum dedecus, nulla legitima cauſa excuſante.

An autem etiam peccet contra juſtitiam in hoſpitale, putat laudatus Moronus reſp. 89. attendendam eſſe hoſpitalium inſtitutionem. Si enim hoſpitalia ad ſimiles etiam partus excipiendos erecta ſunt, atque ita reditibus affluunt, ut nulla vere pauperibus irrogetur injuria, qui propterea debeant recuſari, nec ulla conſuetudo habeatur, ut divites aliquid ſolvant, nihil ſolvendum erit pro filio in hunc modum expoſito. Secus vero ſi ſecus; ita quidem, ut in hoc caſu ſolvendi onus ad Camillam non ſpectet, cum nihil ſpectet ad Matrem, niſi lac ipſi præbere, quod niſi præſtet, expenſæ aliæ ad Patrem pertineant.

CAS. II. Eadem Camilla accipit a viro nobili pinguem mercedem pro Filio lactando, ſed cum hac conditione, ut interea temporis a viro abſtineat, ne lac inficiatur. Ipſa vero, hoc non obſtante, Marito debitum reddit.

Qu. An graviter peccet, & reſtituere teneatur?

Reſp. pro hujus caſus opportunitate plura eſſe attendenda. Primo enim vel Camilla hunc contractum inivit, cum viro nobili de conſenſu mariti, vel ipſo inconſulto. Secundo, Suppoſito mariti conſenſu, vel

cum ipſo copulam habuit propter incontinentiæ periculum quod in marito timebat, vel nullum timens periculum hujuſmodi. Præterea attendere oportet ad ea quæ docent medicinæ periti in ordine ad lactis infectionem, quæ a viri congreſſu poteſt derivari. Primo enim tradunt copulam etiam iteratam per ſe loquendo, lac non inficere. Secundo, infici lac ſemel atque mulier conceperit, & quidem non multo tempore poſt ipſum conceptum. Tertio, Æquivoca prorſus eſſe fere omnia ſigna, quibus Mulier cognoſcere poteſt ſe concepiſſe, atque adeo habita copula eſſe ipſi timendum an vere conceperit. Denique inquirendum ſupereſt ne vir nobilis de pingui mercede, cum appoſita conditione, cum Camilla paſcicens vere intenderit ſe mercedem ſubtracturum, niſi ſervaret conditionem, vel ita ſe geſſit ut putandum videatur ipſum potius eſſe invitum de injuria quam de damno.

His poſitis diſtinctionibus ad caſum reſpondeo; quod ſi Camilla ſine viri conſenſu, hanc poſuit conditionem, in ipſo contractu peccavit, id enim pollicita eſt quod in ſua poteſtate non erat. Si vero id preſtiti conſentiente marito, & nihilominus nulla cauſa urgente cum ipſo copulam habuit, a peccato excuſari non poteſt, tum quia in re gravi promiſſam conditionem violavit, tum quia erat ipſi timendum, ne ſi conciperet ejus lac inficeretur cum infantuli præjudicio. Si vero Camilla initio hac ratione contractu copulam habuit prudenti ducta motivo, ne maritus incontinentiam committeret, tunc habendo copulam non peccavit, quia bonum ſpirituale mariti debet prævalere; peccavit tamen infantem non reſtituendo, cum viro nobili cordi eſſet ne infecto lacte nutriretur; ipſa vero de lactis infectione debebat eſſe ſuſpecta quamquam certis ſignis nondum cognoſceret ſe concepiſſe, præſertim cum ad hanc ſuſpicionem avertendam pinguior merces fuerit ipſi ſoluta.

An vero, poſito etiam, quod habita copula, ad plures menſes infantem lactare perrexerit, teneatur ad reſtitutionum mercedis; probabilius videtur non teneri, niſi vir nobilis de hoc ſe expreſſerit. Putandum eſt enim ipſum eſſe invitum non tam de damno, quam de injuria, ut admonuimus. Ita paſſim Doctores de petitione, & reditione debiti, & de reſtitutione diſputantes.

CAS. III. Parochus a nemine rogatus delegat per Epiſtolam Capellanum, ut aſſiſtat, ſi oportuerit, Matrimonio Cajæ. Antequam vero hæc Epiſtola ad ipſum perveniat, Theodoricus, qui adfuit Parocho, dum hanc Epiſtolam ſcriberet, certiorem facit Capellanum de hac delegatione: quare, adventante occaſione, Capellanus hac ductus notitia Matrimonio aſſiſtit.

Qu. An hoc Matrimonium ſit validum?

Reſp. negative. Ut hoc innoteſcat animadvertere oportet, quod caſus ſupponit Parochum a nemine rogatum, Capellanum per Epiſtolam delegaſſe, ut aſſiſteret matrimonio Cajæ; atque adeo delegationem hanc non potuiſſe innoteſcere Capellani nuntio, qui nullum miſit, neque per epiſtolam Parochi, quæ ſupponitur non delata. Quod autem non ſufficiat, quod innotuerit per Theodoricum, qui caſus adfuit Parocho ſcribenti, colligitur ex natura ejuſdem delegationis: Hæc enim delegatio ſe habet ad inſtar donationis, ad inſtar privilegii; & licet vere, & propria juriſdictio non ſit, tamen ſe habet quaſi juriſdictio eaſdemque proprietates ſortitur.

Jam vero donatio; ut jure communi perfecta cenſeatur, ſatis non eſt ſi aliquis,

aliquis, qui audivit donationem abſenti factam, id motu proprio donatario referat, ſed requiritur nuntius ad hoc deſtinatus ab ipſo donante, vel ejus epiſtola; & ratio eſt quia hoc ad acceptationem requiritur, quæ eſt neceſſaria ut perficiatur contractus, cujus perfectio in voluntatum unione conſiſtit *l. 1. ff. de pactis*. Voluntates autem abſentium non conjunguntur, nec veniunt in unum, niſi voluntas unius alteri per epiſtolam, vel nuntium, qui ad hunc finem mittatur, fuerit intimata, ut probat cum multis Gregorius Lopez c. 15.

Privilegium pariter tunc ſolum effectum ſortitur, cum de eo certior fit is cui conceditur. Probatur hoc ex de *filiali c. de conſul. l. 12.* ubi dicitur Filium egredi ex Patris poteſtate per dignitatem conſularem *illico* a litteris præſtitis, ubi Gloſſa *Illico* inquit, hoc eſt præſentatis ſibi litteris ſuæ electionis. Licet autem propoſito hæc aliquas patiatur limitationes, tamen qui limitant tamquam certum ſopponunt privilegium non prodeſſe ante propriam notitiam quando conceditur motu proprio, vel ad inſtantiam alterius, quam privilegiati; unde inferunt ſatis non eſſe quando privilegium motu proprio conceditur, vel ad inſtantiam alterius, ſi tertius, qui caſu audivit, certiorem faciat privilegiatum; ſed oportere ſit is, qui impetravit privilegium, aut nuntius ejus, aut concedentis, qui intimet. Qua in re rationem afferunt ſuperius adductam, quod ſcilicet conceſſio privilegii eſt quædam donatio; quæ ut valida ſit intimari debet per nuntium ad hoc deſtinatum.

Denique juriſdictio non poteſt conferri ignoranti, & quamdiu quis ignorat juriſdictionem ſe habere non valet quod agit, quemadmodum plurima jura declarant. Quod quidem non alia ratione procedit, niſi quia juriſdictio eſt conceſſio facta homini ad actum externum, & ita externum oportet eſſe ut ipſi innoteſcat. Quando autem eſt externa in abſentia, & is cui conceditur nondum de illa certior eſt factus, per inde eſt ac ſi eſſet interna, adeoque non ſufficit. Neque rem juvat, quod is qui interfuit manifeſtaverit; nam ut vidimus manifeſtatio hæc, idonea non eſt.

Cum itaque Parochus motu proprio Capellanum delegaverit, & Capellanus delegationem non acceperit neque per epiſtolam Parochi neque per nuntium; dicendum omnino eſt quod neque acceptavit donationem, neque obtinuit privilegium, neque juriſdictionem acquiſivit, atque adeo ſi ſola Theodorici relatione, fuit præſens matrimonio Cajæ, matrimonium hoc dici debet invalidum.

MENSE JUNIO.

CAS. I. Theodorus ad negotiandum paratus, dat mutuos Federico ter mille aureos, ab ipſo exigens ſingulis annis ſex aureos pro quolibet centenario, ratione lucri ceſſantis; ſed in hoc lucro computando deducit quidem expenſas, & pericula in negotiatione occurrentia, non autem fructum correſpondentem proprio labori, quem inſumpſiſſet, nec amplius inſumit.

Qu. An Theodorus uſuram committat?

Reſp. communem eſſe Doctorum ſententiam non committi uſuram non deducendo labores in negotiatione præſtandos, quando aliquis coactus mutuat, ſicuti mercenarius, ut inquit Molina t. 2. diſp. 317., qui rogatur ceſſare a labore ad comitandum aliquem ad honeſtam recreationem, poteſt exigere pretium integrum, quod laborando compararet, ut mo-

Digitized by Google

rem gerat id poſtulanti, quoniam integrum illi eſt velle potius cum labore totum pretium acquirere, quam ceſſando a labore aliquid illius amittere. Quæſtio autem agitatur de eo qui ſua ſponte, & rogatus mutuat; qua in re variæ ſunt Theologorum opiniones.

Putat *Sylveſter* V. uſura in computando lucro ceſſante non ſolum deducenda eſſe pericula, & expenſas, ſed etiam labores non inſumptos, hac ductus ratione, quod nemo vendere poteſt id quod non habet. Tenet Lopez Cont. 24. labores non eſſe deducendos cum rigore, ſed in aliqua moderata parte, ad arbitrium periti prudentiſque viri. Azorius p. 3. l. 8. c. 5. diſtinguit inter labores intrinſecos ſine quibus negotiatio exerceri non poteſt, eoſque negat deducendos, quia ſunt neceſſarii; & labores extrinſecos, ſive illi antecedentes fuerint, ſive concomitantes; ut ſi mercator erat merces tranſportaturus ad locum ubi pluris venduntur, eoſque putat deducendos, quia illi ad negotiationem neceſſarii non ſunt, niſi ex ſuppoſitione. Sotus vero l. *6.* q. 1., & cum ipſo Bannez exiſtimant non eſſe detrahendos labores, operas, & induſtrias, quæ mutuans erat facturus in negotiatione, quia ſi mutuator non laborat, hoc provenit ex parte mutuatarii impedientis negotiationem illam, & ideo poterit vendere proprium otium damnificativum rei familiaris, quæ quidem ratio deſtruit rationem, quam Sylveſter pro ſua opinione afferebat. Id vero propterea etiam probabilius videtur quia labores quibus utitur mercator in lucro acquirendo, frequenter æquiparantur ipſi lucro; unde ſi illorum valor & Pretium eſſet deducendum, nullum maneret lucrum de quo poſſet mutuans cum mutuatario paciſci.

Hæc Soti Doctrina æquior videtur. In ipſa tamen ad praxim deducenda, animadvertere oportet an labor in negotiatione a Theodoro inſumendus talis ſit, ut ipſum non optet pecunia redimere, quia vel cupit illum ſubire, ut otium, aliamve moleſtiam declinet, vel facili conatu cum cæteris negotiis illum eſt præſtaturus. Obſervandum eſt etiam an Theodorus ſolutus ab onere hujus negotiationis, alteri negotiationi ſuam operam præſtet, atque ab ipſa lucrum reportet; nam in hoc caſu pro hac parte ceſſaret ratio lucri ceſſantis, & ſine uſura non poſſet a mutuo lucrum referre, niſi fortaſſe aut hæc opera eſſet ipſi laborioſior, aut hoc lucrum eſſet minus; quia tunc, juxta ſententiam Lopez, arbitrio prudentis viri hujus laboris deductio eſſet attemperanda. Ita cum Rebellio, Molina, & aliis.

CAS. II. Jucundus promiſit cum juramento, ſe decem aureos Aliberto daturum, ſi ſuam operam ſecum conferret ad puellam rapiendam. Re obtenta, cum recuſaverit Jucundus promiſſionem implere, Alibertus in bonis Jucundi pro decem aureis ſe compenſavit.

Qu. An Jucundus teneretur promiſſionem implere, & Alibertus uti potuerit compenſatione?

Reſp. atque ad primam partem quod attinet dico, quæſtionem hujuſmodi magna animorum concertatione a Doctoribus agitari, quorum propterea pro utraque parte argumenta præcipua ſunt perſtringenda, ut innoteſcat an alicui temperamento ſit locus, quod ſemel habito, etiam pars altera reſolvatur. Tenent itaque Navarrus, Durandus, Medina, Comitolus, Joannes, Valerius, aliique plurimi, promiſſionem, ſeu conventionem de danda alicui certa pecuniæ ſumma; ut aliqua actio turpis, & peccaminoſa perpetretur, nullam habere, neque ante, neque poſt perpetrationem talis actionis turpis, & peccaminoſæ vim obligandi; & ſic promittentem nihil teneri reſtituere promiſſario.

Colli-

Colligitur hoc ex pluribus juribus ſive canonicis ſive civilibus. *Cap.* enim *pactionis, de pactis* ita ſtatuitur. *Pactiones factæ a vobis . . . . nullius penitus ſunt momenti, quod etiam de aliis eſt dicendum, quæ obſervatæ vergunt in animæ detrimentum; nam etiam juxta legitimas ſanctiones, pactum turpe, vel rei turpis . . . de jure vel de facto nullam obligationem inducit.* Pariter *c. in malis promiſſis*, verbis S. Iſidori ſic legitur *in malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute voviſti ne facias; impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Et moveat quod habetur in caſu, nempe Jucundum promiſiſſe cum juramento, ex eodem jure canonico clare colligitur promiſſionem hanc non valere licet fuerit juramento firmata. Habetur enim de regulis juris in *6. Non eſt obligatorium, contra bonos mores præſtitum juramentum.* Et in ea re plures textus concordant, in quibus præſertim verbis S. Ambroſii improbatur Herodes, quod ob ſervandum juramentum S. Joannem Baptiſtam occidi juſſiſſet, & verbis S. Auguſtini laudatur David, quod ſicut juraverat, non occiderit Nabal.

Eamdem ſententiam jure civili declarant. Leges enim adducunt in quibus exprimitur *turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti — ſtipulationem conceptam cauſa flagitii faciendi, ab initio non valere — Stipulationem interpoſitam de his, pro quibus pacisci non licet, ſervandam non eſſe, ſed omnino reſcindendam — Indubitati eſſe juris pacta, quæ contra leges, conſtitutionesque, vel contra bonos mores ſiunt, nullam vim habere* & alia id genus.

Afferunt etiam in eam rem rationum momenta, & I. colligunt ex Auguſtino docente non poſſe meretricibus pecuniam rependi ſine graviſſimo peccato, quia nempe in pretium perpetui criminis tribuitur. II. quia datio & acceptio pro re turpi patrata, eſt novum peccatum, & approbatio peccati commiſſi. Qui enim dat, vel accipit propter peccatum commiſſum, videtur de novo approbare atque in eo complacere, quod utique mortale eſt. III. quia promiſſio illa de re turpi patranda fuit nulla, nec ullo modo obligans, utpote peccaminoſa, ergo nullo modo ſervanda.

Hæc vero momenta eo uſque perducunt, ut etiam contendant id eſſe reſtituendum, quod ſemel acceptum eſt ob cauſam turpem ex conventione obligante ad operis pravi executionem. Hanc enim rationem adducunt, quod illa conventio ante operis impletionem eſt nulla, cum eſſe nequeat vinculum iniquitatis; ergo etiam eſt nulla impleto opere, atque adeo reſtitui debet quod per hanc conventionem acceptum eſt. Probant conſequentiam ex regula juris in *6. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* Atqui ex juribus allegatis conventio illa nulla eſt ante operis impletionem; ergo etiam nulla erit opere impleto. Præterea conventio illa, utpote contractus oneroſus debet obligare tam promiſſarium, quam promittentem; alias ſi obligaret ſolum promittentem eſſet contractus gratuitus. Atqui non obligat promiſſarium, cum nemo obligari poſſit ad peccandum, ergo nec obligat promittentem; & conſequenter eſt nulla ex parte utriuſque, & conſequenter acceptum, atque adeo ex tali conventione eſt reſtituendum. Qua in re opportuna videntur verba Auguſtin. cap. 153. ad Macedonium, *Juſtius dicitur Advocato Redde, quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati affuiſti, judicem feſſeliſti, juſtam cauſſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* Hæc ſunt argumenta, quibus perpenſis concludit Pontas verbo promiſſio caſu 8. *Repudiandam penitus ergo eorum opinionem cenſemus,*

BIBLIOTECA ... ROMA

ſemus , qui tuentur , licet hujuſmodi promiſſiones non obligant ante facinus perpetratum ; iis tamen obligandi vim annecti , eo ipſo quod crimen executioni demandatum eſt &c.

At vero quamquam Doctrinam hæc tam gravibus fundamentis innixa videatur , non deſunt tamen Theologi dignitate , & numero fortaſſe majores , qui dicant oppoſitum . Agentes enim de promiſſione facta fœminæ pro uſu ſui corporis , expreſſe tradunt , quod licet promiſſio hæc ſit illicita , promiſſum tamen opere completo ſit conferendum , nec fœmina tenetur reſtituere acceptum ob turpem uſum ſui corporis . I. partem deffendunt Lugo , Vaſquez , Turrianus , Sotus , Aragonius , Cajetanus, Molina , Sanchez , aliique , atque hanc afferunt rationem , quia ille uſus ſui corporis , quem Fœmina impudica fornicario conceſſit , eſt prætio æſtimabilis , ratione utilitatis vel delectationis reſpectu fornicarii , & ratione periculi , & laboris ratione Fœminæ , adeoque ſi fornicarius prętium promiſit , & Fœmina impudica rem prętio æſtimabilem , & vendibilem poſuit , non eſt unde evadat ab obligatione ſervandi promiſſum . Si enim fornicarius negare poſset prætium pactum pro tali uſu ſibi conceſſo , etiam juvenis negare poſſet matrimonium promiſsum puellæ ſub certa ejuſdem promiſſione defloratæ , quod omnes negant , & inſuper dicunt poſse ad id etiam in foro externo compelli .

II. Partem deffendunt Leſſius , Molina , Alenſi , Richardus , Azorius , Sayro , cum aliis pluribus , & probant ex eo quia Fœmina recepit tale pactum pretio conceſſo , ſeu vendito uſu ſui corporis fornicario , qui uſus, cum ſit commodus , & delectabilis fornicario , & periculoſus ipſi Fœminæ , dignus eſt prætio ; adeoque talis Fœmina licite poteſt retinere dictum conventum , & receptum prætium , nec tenetus illud reſtituere , cum non ſit receptum contra juſtitiam , ſed potius ſecundum illam .

Addunt vero nedum meretricem licite recipere , & retinere prætium hujuſmodi , ſed jure poſſe illud exigere etiam in foro externo , ſi ei non ſolvatur a fornicario. Ratio autem eſt quia prætium illud non exigitur, nec accipitur pro ipſo peccato formali , quod cum nihil ſit , neque licite poſſibile , non eſt vendibile ; ſed exigitur , & accipitur pro actu ipſo materiali quatenus fornicatio utilis , & delectabilis eſt , & meretrici aliquo modo laborioſus , & periculoſus , qui actus , cum ſit quid naturale , & prætio æſtimabile , nec alteri gratis debitum , eſt veluti conductus a fornicario , adeoque prætio ſolvendus .

Hæ ſunt Doctorum ſententiæ ; hæc earum fundamenta , quæ quidem , cum ſua probabilitate non careant , poterit unuſquiſque eam doctrinam deligere , quæ ſibi placuerit atque ſecundum ipſam ad caſum propoſitum facile reſpondere . Cum tamen prima ſententia in eo tota verſetur , ut omnia de medio tollat iniquitatis incitamenta ; altera id ſibi proponat , ut omnia juſtitiæ jura defendat , nec ullum paſſatur eſſo opus indebitum , cui pacta merces non correſpondeat , videtur propterea alicui temperamento locum relinqui , quo aliqua ratione ambæ ſimul concilientur . Si enim diſtinguamus prætium exuberans , quod longe ſuperat valorem operis materialis quod exigitur , & videtur non tam incitare ad opus , quam ad operis impietatem ; & prætium aliud operi exiguo proportionatum quod correſpondeat labori inſumendo , clare innoteſcet quodnam prætium , opere præſtito teneatur ſolvere promiſſor , & promiſſarius retinere poſſit , imo etiam exigere .

Hac poſita animadverſione , ut jam veniamus ad caſum propoſitum ; ſi decem

Digitized by Google

cem aurei correſpondebant impenſis, labori, periculo, ab Aliberto ſubeundis ut operam cum Jucundo conferret ad puellam rapiendam, putare quis poterit, quod opere præſtito teneatur Jucundus ad eorum ſolutionem, & ſi non ſolvat poſſit Alibertus uti compenſatione. Secus vero ſi præter auxilium præſtitum nullum laborem inſumpſit, nullum periculum ſubiit, nullas fecit expenſas, quia in eo caſu decem illi aurei, non eſſent aliud prætium, quam prætium iniquitatis.

CAS. III. Cogitans Tiberius de Matrimonio contrahendo cum Metilde conſanguinea antequam ejus mentem exploret, ipſa inſcia, obtinet diſpenſationem.

Qu. An ſi annuat ejus votis Metildes, hæc diſpenſatio proſit utrique?

Reſp. Agitare quæſtionem hanc Sanchez de mat. l. 8. d. 26., & Dianam parte 8. t. 3. 87., atque diſtinguere inter impedimentum quod afficit utrumque contrahentem, cujuſmodi eſt affinitas, aut conſanguinitas, & impedimentum quod afficit unum tantum, vel utrumque, ſed ſub ratione diverſa, cujuſmodi eſt votum vel ab uno tantum emiſſum, vel ab utroque. Poſita autem hac diſtinctione exiſtimant in impedimento utrumque neceſſario afficiente, ut eſt conſanguinitas, quæ unum ſolum afficere nequit; ſatis eſſe diſpenſationem ab uno tantum obtineri, atque accepari, ut proſit alteri etiam ignoranti. Diſpenſatio enim extenditur ad neceſſario connexa. Diſpenſatio autem unius ad contrahendum cum fœmina eſt annexa diſpenſationi fœminæ ad contrahendum cum eo; & eo ipſo quod alter ex his ſuam diſpenſationem acceptat, fit habilis ad contrahendum cum altero, quod fieri nequit niſi uterque habilis ſit. Id ipſum evincit regula, quæ communiter traditur, quando matrimonium fuit irritum ob impedimentum ignoratum, poſſe nimirum conjugem impedimenti conſcium, impetrata illius occulta diſpenſatione, nec alteri illa explicata, nec impedimento, ſimulanter petere ejuſdem conſenſum.

Diverſa autem eſt ratio cum impedimentum afficit unum tantum, vel utrumque ſub diverſa ratione. Nam diſpenſatio tendit directe in eum qui afficitur impedimento, & cum utriuſque impedimentum procedat ex diverſo principio, diſpenſatio impetrata uni, per neceſſariam conſequentiam non intelligitur impetrata alteri; ergo ſi unus afficiatur voto caſtitatis, & alter non affectus tali voto impetret diſpenſationem, licet ejus mandato non indigeat ut diſpenſatio valida ſit, hæc tamen diſpenſatio illi non proderit, niſi poſt ejus notitiam atque acceptationem.

Cum itaque in caſu noſtro ſit ſermo de impedimento utrumque afficiente, nempe de conſanguinitate; licet diſpenſatio inſcia Metilde fuerit impetrata, dubium eſſe non poterit, quin ipſa Tiberii votis annuente proſit utrique, præſertim ſi ipſi fuerit manifeſtata, & ab ipſa acceptata, quod ut vidimus neque eſſet neceſſarium ad ejuſdem valorem.

MENSE JULIO.

CAS. I. Terentius, ut alliciat Roſam conjugatam ad adulterandum, promittit quidem ipſi Matrimonium, ſed ficte: Romualdus vero promittit, quidem ex animo Matrimonium Catharinæ pariter conjugatæ, ſed illa, licet taceat, tamen intendit non acceptare hanc promiſſionem.

Qu. I. An ex promiſſione ficta Terentii oriatur impedimentum criminis?

Qu. II. An taciturnitas Catharinæ inducat acceptationem, prout ſufficit ad inducendum idem impedimentum?

Reſp.

Reſp. Quod attinet ad I. partem ſi audimus Conichium, Caſtropalaum; Gutierez, & præcipue Sanchez d. 79. n. 10. dicendum videtur ex promiſſione ficta Terentii oriri impedimentum criminis. Ex promiſſione enim ſerio facta cujus fictio exterius non cognoſcitur, anſa occidendi conjugem æque naſcitur, ac ex ea promiſſione. Jus autem hoc impedimentum conſtituit ad dictam occaſionem tollendam. Ergo promiſſioni apparenter veræ, hoc impedimentum teneri debet appoſitum. Deinde præcepta Eccleſiaſtica cadunt in actus externos, & eoſdem punit Eccleſia, nam de interioribus nihil judicat. Atqui Terentius exterius promittit, ergo incurrit impedimentum tali crimini injunctum.

Nihilominus tamen anteponenda videtur negativa ſententia, quam cum aliis tuetur Henriquez l. 12. c. 14., quod probatur exemplis ficte rebaptizantis, & ficte proferentis hæreſim. Nam ficte rebaptizans in foro conſcientiæ excuſatur ab irregularitate, quia actus ille vere in ratione culpæ, non eſt peccatum conſummatum rebaptizandi, ſed eſt tantum imperfectum in eo ordine, & ideo non eſt ſufficiens ad contrahendam illam irregularitatem, quæ incurritur propter delictum perfectum, & conſummatum in illa ſua ſpecie. Eadem ratione qui hæreſim profitetur exterius, veram fidem animo, & mente retinens, non incurrit cenſuras hæreticis impoſitas, quia revera non eſt ſimpliciter hæreticus. Sic in re noſtra, cum Terentius, qui ſine intentione exterius dat fidem matrimonio, revera non ſit promiſſor, ſed fingat ſe promiſſorem, quamquam hoc faciendo graviter peccet, non tamen proprie eam culpam committit, propter quam impedimentum criminis impoſitum eſt. Oritur enim hoc impedimentum ex adulterio cum promiſſione matrimonii. Patet autem, quod præſertim cum ſimus in odioſis, promiſſionis nomine debeat intelligi vera promiſſio. Atqui promiſſio ficta, vera promiſſio non eſt; ergo neque erit hujuſmodi ex qua oriatur impedimentum.

Neque nos movent argumenta quæ afferebantur pro affirmativa ſententia. Ad I. enim reſpondeo finem legis non cadere ſub lege, & finem hunc in ficta promiſſione haberi ſolum inadæquate. Non enim habetur ex parte Terentii, qui cum ficte promiſerit, & ſciat non tenere ſuam promiſſionem, non poteſt inde captare anſam mortis tentandæ. Ad alterum dico præcepta Eccleſiaſtica cadere utique in actus externos, ſed illos in ſuo genere completos, atque perfectos, niſi aliter exprimantur, & aliquando etiam afficere actus internos quando cum externis eſſentialiter connectuntur. Cum ergo ficta promiſſio non ſit in ſuo genere perfecta, & completa promiſſio, dici non poteſt quod intendat Eccleſia ipſam punire, cum punire intendit veram promiſſionem completam, atque perfectam. Atque hæc eſt ratio, propter quam communiter excuſantur ab irregularitate & cenſura ficte rebaptizantes, & ſolum exterius hæreſim profitentes; & licet Sanchez loco citato ad paritatis vim enervandam rationem aliam adducat ex mente Eccleſiæ, poſſumus quidem ingenium laudare, ſed non debemus a communi recedere, cum jam dixerimus finem legis non cadere ſub lege.

Ad alteram partem reſpondeo diviſos eſſe Theologos, an taciturnitas Catharinæ habenda ſit tanquam ſufficiens ad inducendum criminis impedimentum, etiam poſito quod vere & ex animo ſeriam Romualdi promiſſionem intenderet acceptare. Affirmat Hurtadus, Rebellius, Parez, & alii, quia cum adulteri ſe ament, cenſentur expetere mutuum matrimonium, ideoque unus hoc alteri promittit tanquam aliquid favorabile. In his vero, quæ favorabilia judicantur, ab eo cui offeruntur, & ut talia ei offerun-

runtur, quamvis in re ipſi non ſint favorabilia, juxta regulam jûris *qui tacet conſentire videtur.*

Negat vero Sanchez loco citato, Guttierez, Caſtropalaus; nam eſto matrimonium, ut quid favorabile offeratur; de facto tamen, ut offertur favorabile non eſt. Acceptas enim inhabilis redditur ad illud matrimonium contrahendum, & Eccleſiæ pœnis ſubjicitur; præterea probabile eſt acceptantem promiſſionem, ad repromittendum teneri, quod eſt oneroſum. At cum promiſſio non eſt gratuita, ſed oneroſa, non cenſetur acceptari ex ſola taciturnitate, ut tradunt communiter Doctores.

His autem expoſitis quamquam non facile judicare poſſimus quænam ex his opinionibus ſit alteri anteponenda, illud tanquam certum aſſumere poſſumus juxta caſum propoſitum taciturnitatem Catharinæ non eam inducere acceptationem ex qua poſſit oriri criminis impedimentum, cum caſus procedat in ea hypotheſi, qua non intendat acceptare promiſſionem Romualdi.

CAS. II. Tiberius conjugatus habuit delectationem moroſam ſuper aliam mulierem.

Qu. An peccaverit non ſolum contra caſtitatem, ſed etiam contra juſtitiam, atque adeo teneatur dicere in Confeſſione, ſe eſſe conjugatum.

Reſpondet Vaſquez l. 2. D. 112. c. 2. Conjuges habentes ſimiles delectationes de copula cogitata cum aliena, vel alieno, peccare non ſolum contra caſtitatem, ſed etiam contra juſtitiam, eo quod fides matrimonii obligat non ſolum corpus, ſed etiam mentem, & affectum alterutri conjugi, & conſequenter ſi conjux delectetur da copula alterius a conjuge, injuriam illi irrogat; & idem ſentiunt Sanchez, Leo, aliique.

Contra vero Palaus d. ſ. 4. n.4., Hurtadus & alii, expreſſe negant, quod Vaſquez tanquam certum aſſumit, & eadem methodo probant oppoſitum. Dicunt nempe, minime verum eſſe, conjuges, ſicuti per fidem matrimonialem obligant ſibi invicem corpus ad uſum copulæ, ita etiam omnino obligare mentem, & affectum ad abſtinendum a quacumque delectatione de copula alterius a ſua, vel a ſuo; ſicuti caſtitatis votum abſolute emiſſum excludit omnes delectationes, etiam non tendentes in actus externos. Quod vero conjuges non ſe obligent per matrimonium abſtinere ab his delectationibus, probat Palaus, quia illæ ſunt per ſe incognitæ alteri conjugi, ac proinde ſunt tantum contra intemperantiam, non contra juſtitiam, quia non ſunt alteri injurioſæ, neque ob illas privatur copula ſibi debita.

Jam vero poſterior ſententia, ſi rem abſolute conſideremus probabilior videri poterit. Poteſt enim Tiberius hanc habens delectationem a conjugio præſcindere, & ſe ipſum conſiderare quaſi ſolutum. Tunc autem licet circumſtantia conjugii ſe teneat ex parte delectantis, novam non tribuet malitiam delectationi, atque adeo delectatio hæc habebit quidem malitiam contra caſtitatem, non autem contra juſtitiam, neque erit neceſſarium quod dicat in confeſſione ſe eſſe conjugatum. Dixi autem per ſe loquendo; nam practice delectationes hujuſmodi viam ſternunt ad actus alios Tiberio prohibitos, ut conjugato; atque adeo, qui ſic delectatur, cum ſe conſtituat in periculo peccandi etiam contra juſtitiam, poterit ex hoc capite novam malitiam contrahere, atque ita obligari.

CAS. III. Valeria, cum plures filios jam habeat, quos alere, & educare vix poteſt, ne majori numero gravetur, negat debitum Marito.

Qu. An licite faciat?

Reſp. gravem eſſe ac perdifficilem quæſtionem hujuſmodi, & cum ſæpe

accidat ſuper hac re Confeſſarios interrogari, erit ipſis valde opportunum, ſi argumenta hinc & inde probantia præ oculis habeant, ut ad praxim dirigendam prudenti dictamine ipſis utantur. Principio itaque dicendum videtur non eſſe attendendam hujuſmodi difficultatem, ne uxor marito debitum reddat. Nam I. Filiorum multiplicatio ſpectat ad præcipuum matrimonii finem, & ad conſervationem, & dilatationem ſpeciei, quæ intenditur ab ipſa natura, & propter quam matrimonium eſt inſtitutum juxta illud Gen. 2. *Creſcite & multiplicamini*. Tanto ergo bono naturam privare, negando debitum videtur injuſtum. II. Utilius eſt proli ut vivat inops, quam quod abſolute non ſit, cum melius illi ſit eſſe, quam non eſſe. Præſumpta ergo paupertas fortaſſe non eventura, non eſt cauſa ſufficiens cur vita privetur. III. Opponi videtur providentiæ divinæ, negare debitum ne proles multiplicetur; nam qui curam habet de volatilibus cæli; majorem curam habebit de creaturis rationalibus, quarum eſt Pater. Denique tam magnum eſt bonum ſuſcipere prolem ex matrimonio, ut ipſi poſtponi debeant quæcumque vel magna incommoda conjugum.

At vero argumenta hæc, licet eſſe debeant pro quacumque opportunitate Confeſſariis præſentia, non ſunt tamen hujuſmodi, ut culpæ, præſertim gravis ream putemus Valeriam, ſi hoc unice ducta motivo, marito debitum neget. I. enim non obſtant hæc argumenta, ne poſſint conjuges abſque ulla culpa ex mutuo conſenſu abſtinere a copula, ut hac ratione prolis multiplicationem impediant, quam alere nequeunt. Nulli enim irrogatur injuria, ſi uterque conjux communi placito abſtineat, & neuter tenetur ad debitum, altero non petente. Dum vero exigitur debitum, niſi in petente incontinentia timeatur, graviſque ad prolem alendam incommoditas adſit, non videtur grave peccatum, debitum ob eam cauſam negare. Excuſat enim magna incommoditas ne alia juſtitiæ debita perſolvi debeant, non enim cum magno ſuo incommodo tenetur quiſpiam reſtituere. Quid ni ergo incommoditas gravis excuſare non poterit a debito conjugali. Præterea non tenetur conjux reddere, ſi timor probabilis adſit periculi, aut detrimenti proli jam genitæ. Veriſimile eſt autem timendum eſſe periculum filiis jam natis, ſi adhuc proles multiplicetur, cum parentes deſtituti ſunt bonis, quibus ipſos alere poſſint. Ita ſentiunt Lopez, Manuel, Ja, Ledeſma, aliique apud Sanchez l. 9. d. 26.

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. Elvidia habet indulgentiam conceſsam Roſario, & ſacro Numyſmati; ſed cum Roſarii funiculus uſu continuo ſæpe detritus ſit, grana vero alio ordine inſerta, & alia, aliis amiſſis, ſubſtituta; pariter in Numyſmate fracta ſit armilla, cui ſuſpendebatur: Quærit a Parocho, an indulgentiam retineat?

Reſp. debere Parochum ut rite quæſito reſpondeat ea attente conſulere, quæ de Eccleſia, de aqua benedicta, de oleo ſancto, de paramentis ſacris, aliiſque id genus ſolent diſputari, cum quæſtio agitatur quando nam mutatione, vel additione, benedictionem conſecrationemque retineant, vel ammittant. Nihil enim ſuper hiſce rebus tanquam theologice certum poſt definiri, ſed moraliter explicanda ſunt omnia, & practice judicandum perſeverare conſecrationem, aut benedictionem, quando

Digitized by Google

do practice judicatur ; talem fuiſſe aut mutationem , aut additionem , ut res perſeverans ſit moraliter eadem.

Agunt vero peculiariter de indulgentiis realibus Suarez , Lugo , Gobat , Dicaſtillus , aliique , ex quorum ſententia poterit Parochus reſpondere ; quod ſi Roſario per modum unius toti integro conceſſa eſt indulgentia , etiam ſi aliqua pauca grana fractione , aut amiſſione perierint , & alia ex alio Roſario fuerint ſubſtituta , putandum erit eamdem manere indulgentiam , cum cenſeatur adhuc idem manere Roſarium ; & hoc verum erit ſi paulatim prædicto modo grana mutentur ; poteſt enim Roſarium cenſeri idem continuatione , quemadmodum de Eccleſiæ partibus dicitur , de oleo ſancto , de aqua benedicta , quando paulatim præcedenti benedictæ , alia non benedicta ſufficitur.

Eadem ratione quando ſingulis granis datur indulgentia , ſi forte contingat aliquod granum ex parte frangi , ita ut abſolute cenſeatur manere , indulgentia manebit , licet detritæ partes , aliarum additione fuerint reſtauratæ , ita quidem ut totum non ſuperent , aut ipſum notabiliter mutent.

Id ipſum de Numyſmate dicitur , licet frangatur Armilla ipſum ſuſpendens , non enim indulgentiam ammittet , quamquam aut Armilla renovetur , aut in eodem , ad ipſum ſuſpendendum foramen aliquod aperiatur . Pariter Doctrina hæc poterit aptari Roſario , licet diſrumpatur funiculus , aut catena , vel ex toto , vel ex parte frangatur , & grana inter ſe non eumdem ordinem ſervent , quando iterum in funiculum inſeruntur ; id enim non tollit quominus morali æſtimatione idem judicari non debeat . Si vero mutationes hujuſmodi Numyſma aut Roſarium ſic deformaverint, ut eam decentiam minime ſervent , quam ipſa religio poſtulare videtur , erit aliter differendum.

CAS. II. Damaſus vendit prædium Laurentio cum pacto ipſum redimendi. Interim vero retinet prædium & ſibi onus aſſumit, quoadusque redimat, ſolvendi quinque pro centum.

Qu. An hic contractus ſit licitus?

Reſp. hujus caſus reſolutionem plene & dilucide traditam eſſe a Benedicto XIV. de Syn. Diœc. l. 10. c. 3., cujus Doctrina reſpondeo contractum hujuſmodi ad eam contractus ſpeciem reduci , quæ vulgo dicitur *pactum francandi* , quod utique ſuapte natura licitum eſt . Etenim cum illicitum non ſit rem vendere cum pacto redimendi , neque illicitum erit eidem adjicere contractum locationis , & conductionis qui præcedentem venditionem non deſtruit , ſed confirmat.

Dixi autem ſuapte natura , quia nonnulla ſunt , quæ contractum venditionis , cum pacto redimendi vitiare poſſunt . Et primo quidem ſi in illius ſtipulatione facultas , quæ datur venditori rem venditam quandocumque voluerit redimendi , graviter onere eam redimendi majori pretio , quam ipſe vendiderit , contractus erit injuſtus ; hæc enim pactio uſuraria preſumenda eſt , & ſi aliis adjuvetur conjecturis , ut uſuraria in foro externo erit pronunciianda.

II. Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus , quo elapſo non ſit amplius locus retrovenditioni , manifeſtam pariter redolebit uſuram ; efficit enim hujuſmodi pactum , ut contractus induat naturam pignoris , & quamvis non indueret naturam pignoris , adhuc a juſtitia deficeret , ſi obtentu pacti redimendi venditio fieret infra limites juſti pretii , neque haberetur ratio oneris impoſiti venditori fundum redimen-

 di

di intra certum tempus, quo elapſo nequeat illum ſuo libito eodem pretio recuperare.

III. Si pactum redimendi hac lege ineatur, ut non liceat venditori fundum redimere, niſi poſt præfiniti temporis, puta duorum, aut decem annorum intervallum, non carebit præſumptione uſuræ, quoniam ex ea temporis præfinitione fas eſt conjicere, interim voluiſſe emptorem lucrari ex mutuo, & uſuram ficta fundi emptione palliare.

Generatim vero, cum *pactum francandi*, de quo eſt ſermo, contineatur intra ſpeciem contractus venditionis cum pacto redimendi, omnes præfatæ, aliæque ſimiles conditiones, quæ venditionem turpem, atque illicitam reddunt, illud etiam contaminant. Hinc porro ad fraudes omnes eludendas, inſinuat ſummus Pontifex ex inſtructione Cardinalis Gabrielis Palæotti debere Confeſſarios in foro ſacramentali ab Emptore diligenter inquirere, an revera ſerium animum habuerit fundum emendi, ejuſque Dominium acquirendi, vel an potius voluerit mutuam dare pecuniam, & uſque ad ejuſdem reſtitutionem conſequi fructus ex prædio, alioque fundo, quem cum *pacto francandi* emere ſimulavit; ſi enim res hoc poſteriori modo ſe haberet, eſſet certi, & turpis fœnoris reus. Venditor pariter erit interrogandus, num ab emente pecuniam mutuam petierit, cum fœnore reſtituendam, eumque renuentem induxerit ad uſuram obtegendam pallio *pacti francandi*; in hoc quippe rerum ſtatu, non eſſet venditor immunis a gravi noxæ reatu, cum neminem liceat ad fœnerandum allicere, qui alias non ſit ad fœnerandum paratus, quin immo vix contingere poteſt juxta Doctrinam Angelici, ut a peccato excuſetur, qui, ut conſequatur pecuniam, quam ab iniquo fœneratore, ſine uſura obtinere non poteſt ſe obligat ad reſtituendum cum fœnore. Itaque contractus Damaſi, ſi careat his exceptionibus, licitus erat.

CAS. III. Cogitans Tiburtius de legato inſtituendo pro Miſſarum celebratione, interrogat Parochum, an ſibi magis proficuum erit, ſi pingue ſtipendium aſſignet pro paucis Miſſis, an potius eamdem ſummam reducat ad ſtipendium ordinarium pro augendo numero Miſſarum.

Qu. Parochi reſponſum.

Reſp. Parochum in ſua reſponſione vel poſſe attendere legatum inſtituendum in ratione meriti, vel in ratione ſatisfactionis, vel abſolute loquendo in ratione compoſita ſatisfactionis, & meriti. Hoc poſito dico cum Divo Thoma in ſup. q. 27. a. 2. ad 2. attento legato in ratione meriti, utilius eſſe legatum pinguius pro paucis Miſſis, quam legatum ordinarium pro pluribus. Ratio autem eſt, quia in ordine ad meritum attenditur operatio propria merentis ſecundum ipſius moralitatem, ſeu bonitatem, quam habet ex objecto & fine; Plus autem bonitatis moralis habetur in exhibitione pinguioris legati pro paucioribus Miſſis, quam ordinarii pro pluribus, quia creſcit Eleemoſyna exhibita pro ſuſtentatione Sacerdotis. Major autem Eleemoſyna eſt magis meritoria, quia continet majorem bonitatem moralem. Verum eſt quidem legatum ordinarium pro pluribus Miſſis eſſe poſſe ejuſdem quantitatis quam legatum pingue pro paucioribus; at non propterea erit etiam æquale quantum ad Eleemoſynam, atque adeo ratione meriti. Legatum enim continens ſtipendium ordinarium pro Miſſis debetur jure naturæ miniſtris celebrantibus pro eorum ſuſtentatione, & ideo non importat proprie Eleemoſynam, quæ eſt liberalis donatio excludens debitum, &

proinde

Digitized by Google

proinde non habet rationem Eleemoſynæ proprie dictæ, ſicut habet ſtipendium pinguius.

Neque dicas in ſtipendio ordinario rationem meriti compenſari ex cooperatione ad plura Sacrificia quæ celebrantur, quæ utique cooperatio cum ſit de ſe meritoria, quo magis augetur numerus Sacrificiorum, augebitur meritum. Meritum enim fundatur in actu interno, & eſt ſecundum ejus menſuram. Jam vero quando legantur plures Miſſæ cum ſtipendio ordinario, quamvis ad ſingulas interveniat cooperatio, tamen hic actus internus, quamquam objective complectatur plura Sacrificia, tamen eſt valde remiſſus, cum ſolum moveat ad legandum ſtipendium ordinarium. At quando legatur ſtipendium pinguius, affectus ille eſt magis intenſus, cum ſuperet difficultates, quæ habentur in danda magna Eleemoſyna. Habet etiam conjunctum actum charitatis, Eleemoſynam imperantis, quæ charitas, cum ſit virtus omnium nobiliſſima, & maxime meritoria, ejuſdem actus internus meritum auget.

Si vero legatum inſtituendum conſideretur in ratione ſatisfactionis, dico cum eodem Angelico utilius eſſe legatum ordinarium pro pluribus Miſſis, quam legatum pinguius pro paucioribus. Ratio autem eſt, quia licet ſatisfactio, quatenus fundatur in actu legantis ſit major ſtante legato pinguiori pro paucioribus Miſſis, attamen ſatisfactio ex opere operato, proveniens a Sacrificiis, excedit ſatisfactionem, non ſolum paucorum Sacrificiorum correſpondentium legato pinguiori, ſed etiam ſatisfactionem ex opere operantis ipſius legati pinguioris; ſi quidem ſingula Sacrificia habent ſuam propriam ſatisfactionem, & quo magis multiplicantur; creſcit ſatisfactio ita quidem, ut vel unum, ſatisfactionem ſuperet ex opere legantis provenientem.

Denique ſi legatum inſtituendum abſolute conſideretur, vel in ratione compoſita ſatisfactionis, & meriti, erit reſpondendum utilius eſſe legatum pinguius pro paucis Miſſis, quam legatum ordinarium pro pluribus, idque etiam attenta ejuſdem legantis utilitate, & Miſſis attentis, poſt ejus obitum celebrandis. Colligitur ratio ex Doctrina Angelici Præceptoris, qui in ſup. q. 17. art. 2. ad. 2. ait. *Religioſi magis merentur religionem ſuam ſervando, quantum ad premium vitæ æternæ, quam indulgentias exquirendo, quamvis minus, quantum ad ſatisfactionem pœnæ, quod eſt minus bonum*. Comparat enim utilitatem quam percipiunt religioſi ex obſervantia regulari, cum utilitate quam percipiunt ex conſequutionem indulgentiarum, & illam dicit utilitatem, quæ conſiſtit in præmio vitæ æternæ, hanc vero conſiſtere in remiſſione pęnarum temporalium; illam autem utilitatem eſſe majorem, quia continet majus bonum.

Jam vero, ut quiſque videt eadem eſt ratio de celebratione paucarum Miſſarum cum pingui ſtipendio, & de celebratione multarum cum ordinario ſtipendio; nam pingue ſtipendium fundat meritum, cui correſpondet præmium vitæ æternæ; multitudo autem Miſſarum magis ſatisfacit pro majori pęna temporali. Hinc autem conficitur ratio. Melius eſt acquirere quemcumque gradum viſionis beatæ, ſeu vitæ æternæ, quam obtinere remiſſionem cujuſcumque pęnæ temporalis? Siquidem quilibet gradus viſionis beatæ, ſeu vitæ æternæ eſt beatitudo eſſentialis, ſe ſola ſufficiens ad beatificandum, & conſequuntur ad expellendam omnem miſeriam, & eſt bonum æternum nullum habens finem; remiſſio autem cujuſcumque pęnæ temporalis, affert ſecum ſolum illud bonum quod a pęna luenda impedit, quod eſt acceleratio viſionis.

ſionis beatæ, quæ utpote temporalis non poteſt æquiparari cùm gradu beatitudinis æternæ.

Hæc vero ſunt dicta attenta ſola differentia vel plurium, vel paucarum Miſſarum cum eodem ſtipendio. Quod ſi legatum inſtituturus alia ſibi proponat, majus nempe ſervitium Eccleſiæ, majorem commoditatem populi pro Miſſa audienda, opportunitatem majorem pro ſacramentorum adminiſtratione, atque diſpenſatione divini verbi, hæc etiam in reſponſione Parochi erunt conſideranda, atque fortaſſe allatam doctrinam variabunt.

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. **R**Eperiuntur in eadem Domo Thereſia, & Roſa, prima nupta, altera innupta. Utraque eſt gravida fœtus jam animati. Roſa, rem tenens occultam, ne prodat copulam fornicariam, ſecreto petit ab Aromatario potionem ad procurandum abortum. Annuit ipſi Aromatarius, ſed cum eodem tempore propinare debeat portionem quamdam etiam Thereſiæ, errore deferentis, Thereſia ſumit potionem aptam ad abortum, & abortus ſequitur.

Qu. An Aromatarius, qui ſciens potionem hanc propinavit, quæquæ ſuum habuit effectum, incidat in pœnas procurantis abortum?

Reſp. certum omnino eſſe Aromatarium in ea hypotheſi ſcienter propinantem potionem aptam ad abortum, graviter peccaſſe, cum voluntarie concurrerit ad actionem illam noxiam, tendentem ad innocentis perniciem, neque a gravi peccato eximi poſſe per hoc, quod per accidens obvenerit interitus fætus alterius a meditato, quandoquidem denegari non poteſt, quia per illam portionem voluntariæ intenderit necem illius fætus qui exiſtebat in utero Roſæ; & ratio peccati potiſſimum deſumitur a voluntario, ſeu ab intentione operantis, quantumvis non ſequatur effectus; quin immo quoquo modo eidem ad culpam imputari poſſe interitum fætus exiſtentis in utero Tereſiæ, cum non adhibuerit diligentiam neceſſariam ad illum præcavendum.

An autem idem Aromatarius inciderit etiam in pænas procurantis abortum, reſpondeo cum Diana p. 7. t. 5. de reſ. 20. probabilius eſſe, non incidiſſe. Primo, enim ſi quis animo deliberato intendat unum occidere, & alium inopinato occidat, non ſubjicitur pænis ordinariis homicidii; ergo etiam in præſenti caſu, cum Aromatarius determinate intenderit abortum fætus Roſæ, & per errorem occiderit fætum Thereſiæ, non ſubjacebit pænis ordinariis abortus, ſed ad ſummum extraordinariis; iis nempe, quæ arbitrio judicum eſſet imponendæ.

Secundo: Equum omnino non eſt, ut eiſdem pœnis puniatur, qui homicidium indeliberate commiſit, ac ille, qui animo deliberato perpetravit, ut fert communis ſententia; ſed abortus fætus Thereſiæ reſpectu Aromatarii fuit omnino indeliberatus, cum illum nullo modo intenderit: ergo &c. Neque obeſt quod eo remedio determinate intenderit mortem; parum referat an in uno, vel in alio contigerit, dummodo vere ſequuta ſit; quia illa animi determinatio, in ordine ad hunc abortum non ſufficit ad conſtituendum abortum determinatum, nam quod eſt deliberatum in ordine ad unum, non intelligitur tale in ordine ad aliud, quod a deliberante non intenditur.

Tertio: Qui animo deliberato intendit percutere laicum, ſi ex errore percuſſerit Clericum, non incurrit pœnas excomunicationis, ut ex communi

muni docet Didacus *c. alma mater* ſl. 479. ergo etiam qui intendit unum occidere, & alium inopinato interficit, non contrahit pœnas ordinarias abortus deliberati.

Denique id clarius colligitur ex conditionibus, quæ communiter requiritur ad incurrendam reſervationem, aliaſque pœnas. Requiritur enim, niſi aliter exprimatur reſervatio, peccatum in ſuo genere eſſe conſummatum, atque completum, & ſimul habeatur materiale, & formale peccati, quæ ſimul concurrant in eodem ſubjecto. At in re noſtra licet in Aromatario habeatur formale peccati, nempe intentio procurandi abortum, licet etiam habeatur materiale peccati nempe abortus ſequutus, non tamen habentur in eodem ſubjecto, nam formale peccati reſpicit abortum Roſæ; materiale vero habetur in abortu Thereſiæ.

CAS. II. Parochus ex Confeſſione Eliſabeth deprehendit, ipſam tenere infantulum in eodem lecto in quo cubat.

Qu. I. An debeat redarguere de gravi culpa? II. An debeat judicare, quod incurrerit aliquam pœnam? III. An aliquibus cauſis moveri poſſit, ut hoc illi permittat?

Reſp. ad I. affirmative. Nam inter alias obligationes, quas habent parentes erga prolem jam natam, hæc eſt, ut eam præſervare ſtudeant a quocumque infortunio; Sicuti enim quando venter, adhuc prægnans eſt, tenentur abſtinere ab actionibus cæteroquin licitis, quando ex illis prævideri poteſt periculum abortus, ita quando Fœtus eſt editus cavere debent ab omni eo, quod poteſt inducere ejuſdem interitum. Ad hoc porro ſpectat, ne prolem teneant in lecto ubi cubant, ubi ipſi imminet periculum ſuffocationis. Eſt enim experientia compertum infantes crebro & in dies interimi propter hanc parentum incuriam cui periculo volentes occurrere ſolertiores Eccleſiarum Paſtores ſub gravibus pœnis vel reſervationis, vel excomunicationis, hanc puerorum detentionem parentibus interdixerunt. Ut enim alia prætermittam in Synodo Bononienſi lib. 2. cap. 2. ita ſtatuitur *Tandem moneant obſtetrices, ut matribus, & nutricibus referant, ſive aliis Fœminis, quæ curam alendi, aut cuſtodiendi puerum ſuſcipiunt, ne per annum ab ortu infantem in lecto retineant ob periculum ſuffocationis ſub pœna excomunicationis ferendæ.*

Jure itaque Parochus debet de gravi culpa Eliſabeth reprehendere, ſi ipſam noverit abſque gravi cauſa, neque adhibita debita diligentia, tenere infantulum in lecto in quo cubat. Prima enim ratio deducitur ex lege naturali quæ graviter obligat, non ſolum ad fugiendum malum, ſed etiam ad evitandum grave mali periculum. Cum ergo frequenti experientia compertum habeamus in hac detentione tale imminere periculum ſuffocationis; ut quando accidit tribuenda illa non ſit caſui fortuito, dicendum omnino erit detentionem hujuſmodi eſſe graviter peccaminoſam. Deducitur ratio altera ex lege Eccleſiaſtica, & ne alias commemoremus, ex ipſa Synodali prohibitione, quam modo commemoravimus.

Reſp. ad II. negative, nam ut vidimus in Synodo Bononienſi excommunicatio eſt tantum ferendæ, non latæ ſententiæ; alia vero jura, quæ ſolent afferri loquuntur de pœnis arbitrio judicis imponendis. & ſi alicubi decernitur pœna irregularitatis, hæc ſolum incurritur, ſi aliquando ſequuta fuerit ſuffocatio.

Reſp. ad III. pluribus utique cauſis poſſe Eliſabeth excuſari; ut hoc ſibi a Parocho permittatur. Primo enim excuſari poteſt ratione impotentiæ, ſi alium locum non habeat ubi infantem reponat, cum hæc impotentia

præ-

præponderet juri hoc prohibenti, dum tamen adhibeatur neceſſaria cautela, qualis communiter ſtatuitur, ſi vel cubile ſit amplum, vel puer longe poſitus, vel inter matrem & puerum, cervical, vel quid ſimile interponatur. Excuſatur Secundo. Si tale periculum non ſit veriſimile; quod in eo caſu contingeret, ſi ipſa mater ſucceſſiva experientia compertum haberet, quod dormiens numquam locum mutare ſoleat, & ubi ſe collocat, ibi ſemper ſe ipſam inveniat. — Excuſatur Tertio ratione infirmæ valetudinis, per quam ſine ſui detrimento non poſſet aſſurgere, præſertim ſi puerum haberet, qui ægre admodum placari poſſet, ne longe a matre ab ejulando ceſſaret, ita ut majori, certiorique periculo exponeretur hac ipſa ſeparatione. — Excuſatur denique, ſi vel ipſum detineat ad modicum tempus donec vigilias cuſtodiat, vel ſolum interdiu, quo tempore dormire non ſolet; cum in his circumſtantiis, ſi forte dormiat, & accidit ſuffocatio, judicanda ſit mere fortuita. — Sic ferme diſſerunt, & cauſas hujuſmodi pro excuſantibus habent Panormitanus, Navaruus, Cajetanus, Bonacina, aliique.

CAS. III. Cum nonnunquam accidat, officium pro Defunctis celebrari, & abſolutionem ad tumulum fieri diebus, quibus Miſſa de requiem dici non poteſt, viſum eſt aliquibus, in hoc caſu convenientius fore, ſi abſolutio immediate poſt officium fiat, deinde Miſſa canatur.

Qu. An admittenda ſit horum opinio?

Reſp. negative. Quod ut innoteſcat ea placet afferre, quæ pro hac re opportune ſcribit Cavallerius c. 18. de abſolutione ad tumulum dec. 3. n. 8. ſic enim habet „ Nonnumquam evenit diebus impeditis Miſſam Defunctorum ſuppleri per eam de die, cum ſacrificii applicatione; hinc, ſi facienda ſit abſolutio, dubium exurgit, an fieri debeat ante, vel poſt Miſſam, vel poſt mortuale officium, ſi hoc itidem dicendum ſit? In caſu, in quo non dicitur officium, nulla afferri valet decentiæ ratio ob quam magis Miſſæ abſolutio præmitti debet; in caſu autem officii, ea militat; ut nempe ſimul abſolvantur, quæ Defunctorum ſunt, & ne a lugubri officio fiat tranſitus ad Miſſam feſtivam, & ab hac iterum ad funeream abſolutione. Rubrica, abſolutionem dilucide mandat poſt Miſſam, nec aliter expoſcit abſolutionis vocabulum. Quid igitur? Si non dicatur officium Defunctorum, indubie eſt poſt Miſſam facienda, quia ſicuti ſi præmittitur ſit tranſitus a lugubri ad feſtivum, ita ſi poſtponitur, dumtaxat ſit tranſitus a feſtivo ad lugubre; in pari autem diſcrimine, æquum eſt locum habeat rubrica, quæ eandem indicit poſt Miſſam. Quod ſi officium dicatur, diſcolorem illum tranſitum tanti nos minime facimus, ut diſcedendum putemus a præſcripto rubricæ, quæ poſt Miſſam aperte illam indicit, ac *abſolutionis* vocabulo, eamdem conſulto inſcripſit, ut daretur intelligi per eam abſolvendam eſſe functionem, ſeu eamdem ultimo loco eſſe ponendam, præſertim quia in caſu Miſsa de die, ſtat loco Miſſæ de requiem, quæ dici deberet. „ Hucuſque Cavalierius, cujus doctrina dilucide oſtendit opinionem in caſu propoſitam admittendam non eſſe.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. Elvidia monita a Confeſſario de nullitate ſui matrimonii, rogat ipſum pro obtinenda diſpenſatione; interim vero, cum videat inſtare ſibi periculum vitæ, aut infamiæ, niſi debitum reddat, quærit a Confeſſario, an hoc ſibi liceat ad mortem, aut infamiam vitandam.

Quid

Quid erit reſpondendum?

Reſp. Docuiſſe olim Magiſtrum ſententiarum, Ugonem de S. Victore, Hoſtienſem, Philiarcum, & Henriquez, talem conjugem in hujuſmodi caſu non teneri detegere impedimentum ob periculum, & damnum imminens, ſed poſſe juſte & licite debitum reddere, idque conantur exemplis, & rationibus declarare. Exemplis quidem; nam ſic Sacerdos poteſt, ac debet miniſtrare Sacramentum peccatori occulto ad vitandam infamiam; & Judex poteſt, ac debet judicare reum ſecundum allegata, & probata, in foro externo. Rationibus vero, quia dum alter conjux manet in bona fide, habet jus petendi debitum, ergo is, qui ſcit impedimentum, poteſt, ac debet reddere, & qui ſcit impedimentum poterit eligere minus malum, ſcilicet conſentire in copulam, quæ eſſet fornicaria ſolum materialiter ad vitanda graviora mala, ſcilicet ſcandala, infamiam, aut homicidium. Pariter quando impedimentum eſt ſolum de jure Eccleſiaſtico, non vero naturali, & Prælatus cogit conjugem ad reddendum debitum idem approbat, & per ipſum cenſetur Eccleſia diſpenſare ſuper illo impedimento, ut valeat matrimonium.

At vero his non obſtantibus communis eſt Theologorum, ac juriſtarum ſententia, quam amplectuntur Doctor Angelicus, D. vus Bonaventura, Durandus, Sotus, Divus Antoninus, aliique plurimi, certum omnino eſſe nullatenus poſſe conjugem conſcium impedimenti, reddere debitum alteri manenti in bona fide, ſed potius teneri aut famæ, aut vitæ jacturam pati, & ſuſtinere quamlibet cenſuram Eccleſiaſticam. Id porro tum jure, tum ratione clariſſime oſtenditur. Jure quidem, nam *cap. inquiſitioni* Pontifex ipſe docet, quando aliquis conjux eſt certus de impedimento, quod apud Eccleſiam probari non poteſt, debere potius excommunicationem pati, quam in carnalem copulam conſentire, inquit enim. *Si alter conjux pro certo ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali non valet mortale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit, debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.*

Ratio autem ex eo deſumitur, quia ubi non eſt matrimonium, copula non eſt conjugalis, ſed fornicaria. Fornicatio autem, cum ſit intrinſece mala, non poteſt eſſe licita ad vitandam quamcumque jacturam. Neque pars conſcia excuſari poteſt ut debitum reddat, quod in eo caſu, non eſt debitum, ſed ſcelus, & crimen. Nec juvat quod impedimentum ſit Eccleſiaſticum, & interim expectetur diſpenſatio, aut etiam excomunicatione debiti redditio exigatur. Licita enim eſſe nequit copula anticipans diſpenſationem, neque poteſt judicari Eccleſiam in eo caſu tollere impedimentum, ut præſertim ex allegato jure colligitur.

Quod vero attinet ad ea exempla quæ in contrarium afferebantur reſpondeo poſſe, & debere Sacerdotem miniſtrare Sacramentum peccatori occulto, quia hoc miniſterium per ſe licitum, & ſanctum eſt, ſolumque peccaret ipſe, qui peteret. At copula cum non conjuge eſt per ſe prorſus illicita, quare non ſolum petere, ſed etiam reddere eſſet mortale fornicationis peccatum. Pariter judex tanquam miniſter publicus, dici fortaſſe poteſt quod debet judicare, juxta allegata & probata, & non juxta privatam juſtitiam; qui vero ſcit ſe verum non eſſe conjugem, nullo titulo poteſt fornicationem committere.

Ad rationes reſpondeo manentem in bona fide putare quidem ſe habere jus ad debitum conjugale, ſed ſic putantem errare, putat enim ſe eſſe verum conjugem, cum vere conjux non ſit. Quare alter, qui novit

non intercedere verum conjugium, non poteſt, nec debet reddere quod ab altero putatur debitum, ſed ab ipſo ſcitur eſſe delictum. Conjux pariter conſcius impedimenti non poteſt reddere debitum ad gravia mala impedienda, non enim facienda ſunt mala ut veniant bona, ſed ad ſummum poteſt quiſpiam minus malum permittere ad majus vitandum. Habere autem copulam abſque conjugio, eſſet facere, aut committere malum. Neque aliquis dicat ſupponere caſum impedimentum tantum Eccleſiaſticum, tum loquatur de diſpenſatione obtinenda, metum vero mali gravis excuſare ab obſervantia legis Eccleſiaſticæ; nam licet metus gravis mali excuſet ab obſervantia legis Eccleſiaſticæ nequit tamen habilitare ad contrahendum qui de ſe inhabilis eſt. Poſita autem hac inhabilitate non poterit operari metus, ut copula non ſit fornicaria. Confeſſarius itaque, poterit quidem juxta prudentiæ regulas ex circumſtantiis Elvidiæ temperamentum proponere, puta vel devortium, vel ingreſſum in religionem, vel impedimenti manifeſtationem, nunquam vero permittere poterit, ut debitum reddat.

CAS. II. Vincentius aſſuetus confiteri apud Venantium, magnamque habens difficultatem alium adeundi; quamquam nullam habeat neceſſitatem; de more accedit ad ipſum pro Confeſſione, licet noverit, eſſe in lethali.

Quæſt. an graviter peccet?

Reſp. cum Divo Thoma, aliiſque communiter apud Salmaticenſes de cont. cap. 3. num. 120. excuſari a peccato petentem Sacramenta a Sacerdote, qui noſcitur eſſe in læthali, cum ad hoc urget gravis aliqua cauſa, quia licite poteſt homo cauſa alicujus ſui notabilis boni permittere peccatum alterius, quod tantum provenit ex ejus malitia, maxime quia quod petitur poteſt ſine peccato præſtari, puta elicita contritione.

At vero cum gravis hæc cauſa Vincentium non urgeat, cum caſus ſupponat nullam ipſum habere confitendi neceſſitatem, & præſto eſſe alios Sacerdotes, quamquam aliqui Theologi in hac etiam circumſtantia, ipſum excuſent, probabilior tamen, communiorque ſententia eſt ipſum peccare graviter.

Ut hoc innoteſcat, expendere placet omnes hypotheſes, quæ Vincentio ſavere videntur, quod nempe vel Confeſſarius ſit paratus peccare, vel etiam peccare velit, vel denique ſit certiſſime peccaturus. Eſſet Confeſſarius peccare paratus, quoties nihil cogitaret de Sacramentis adminiſtrandis, ſed ita diſpoſitus haberetur, ut ad quamlibet petitionem, ſtatim accederet. Vellet etiam peccare, ſi quamquam non reperiretur in actu audiendi confeſſiones, ſponte tamen acceſſiſſet ad ſedem confeſſionalem, ſi opus eſſet ipſas auditurus. Eſſet denique certiſſime peccaturus, ſi eam haberet pœnitentium affluentiam, ut impar omnibus audiendis, licet ad ipſum Vincentium non acceſſiſſet, eumdem tamen excepiſſet numerum Confeſſionum. Dico autem in ſingulis hujuſmodi circumſtantiis peccare Vincentium, ſi abſque ulla neceſſitate petat confeſſionem.

Primo enim non licet confeſſionem petere, etiam a parato confiteri. Obligat enim lex charitatis, ut quoties commode potes non cooperеris poſitive ad peccatum proximi, ſaltem quod alias non fieret. Vincentius autem in propoſito caſu vere poſitive cooperatur ad peccatum proximi, & cauſa eſt quod hic, & nunc peccatum committatur, quod alias non fieret, tam quoad actualem voluntatem internam, tam quoad externam operis conſummationem, non poteſt ergo citra peccatum mortale ſcandali, petere confeſſionem.

Secundo. Neque licet confeſſionem petere ab actu volenti confiteri. Nam

etiam

etiam hac ratione habetur cooperatio ad peccatum proximi, & Vincentius cauſa eſt ut hic & nunc commitatur peccatum, & ſi non quoad voluntatem internam, tamem quoad externam operis conſummationem, ſeu quod hic & nunc fiat peccatum proximi quod alias non fieret. Quamquam enim ſint qui ſuſtineant actum externum malitiam non addere actui interno, eamque Doctrinam ſpeculative loquendo pluribus rationibus facile ſuſtineri, Practice tamen dico cum Eſtio l. 2. diſt. 42., quod *quoniam externum opus, revera peccatum eſt hinc fit, ut ſemper dicendum ſit plus mali eum feciſſe, qui peccatum opere perpetravit, quam qui in ſola voluntate continuit*.

Tertio. Neque etiam licet Confeſſiones petere, ab eas certiſſime audituro. Eſt vero eadem, quæ ubique militat ratio, quia lege charitatis nunquam licet alteri cooperari ad peccatum, ſeu aliquo modo eſſe cauſam ejuſdem peccati. Nam licet abſque hac cooperatione peccatum fieret, hoc tamen non tollit concurſum vere præſtitum, adeoque verum ſcandalum, ſicuti ab omnibus cenſetur homicida, & irregularis, qui alterum quantumvis paratum occidere, & certo occiſurum, induceret abſolute, ut hic nunc homicidium committeret. Dicendum eſt ergo graviter peccaſſe Vincentium, nulla urgente neceſſitate confeſſionem petente a Venantio, quem noverat in ſtatu læthali, atque ita ſentiunt Valentia, Aragona, Conradus, Sylveſter, Roncaglia, aliique.

CAS. III. Leonardus rogatus ab Antonio, ne levem ſuam tranſgreſſionem Cajo interroganti manifeſtet, jurat ſe facturum, quamquam ſine levi mendacio id facere nequeat.

Qu. an hoc juramento graviter peccet?

Reſp. dublici ratione juramentum hoc a Leonardo præſtari potuiſſe. Primo enim jurare potuit ſe facturum juxta mentem Antonii juramento complectens etiam mendacium, quod ad hoc faciendum neceſſarium arbitrabatur. Secundo, jurare potuit, a mendacio in juramento præſcindens, quamquam aliud medium non cognoſceret ad juramentum ſervandum, quod eſt advertendum, nam in primo caſu mendacium eſt materia juramenti, non in ſecundo.

Hoc præſuppoſito ut reſpondeamus juxta primam hypotheſim; præſto eſt Gyribaldi Doctrina, qui dilucide & breviter tract. 7. de jur. & vot. c. 1. d. 7. communem Theologorum ſententiam ita complectitur. „ Juſtitia in juramento promiſſorio conſiſtit in eo, quod materia juramenti ſit licita, & honeſta, nec unquam Deus adducatur in teſtem rei turpis, & malæ faciendæ, eſtque peccatum mortale, aut veniale defectus juſtitiæ, prout materia, eſt graviter, aut venialiter mala. Si enim ſub juramento promittas vindictam faciendam; furtum, homicidium; adulterium peccas læthaliter contra religionem, quia magna Deo irrogatur injuria, dum affertur in teſtem faciendi contra ejus legem, & quia divina auctoritate & teſtimonio te firmas in voluntate peccandi, & Deum mortaliter offendendi, & quidem duplex peccatum committis ſi habeas animum exequendi tale promiſſum, alterum ſcilicet perjurii contra Religionem, & reverentiam Deo debitam ob defectum juſtitiæ in juramento, & alterum furti; homicidii, adulterii &c. propter voluntatem, quam habes illud committendi; Si vero non habeas animum exequendi promiſſum unum committis peccatum læthale perjurii defectu juſtitiæ, & veritatis in juramento.

At vero ſi materia juramenti ſit levis, peccas ſolum venialiter, quia non videtur gravis injuria Deo fieri, ſi Divino teſtimonio utaris ad te con-

firmandum in voluntate peccandi venialiter, cum illius executio non importet niſi culpam venialem: Duplex peccatum veniale committis, ſi jures animo adimplendi promiſſum, alterum ob propoſitum malum, & alterum ob juramentum male præſtitum, ſi vero non habes animum exequendi promiſſum malum, peccas mortaliter ex defectu veritatis de præſenti in juramento, ex quo fit eſſe minus malum jurare rem venialiter malam animo illam exequendi, quam ne ſi tali animo, quia in primo caſu committis duplex peccatum veniale, in ſecundo committis unum mortale, quod venialibus præponderat. Si vero res promiſſa ſit peccatum læthale, pejus eſt jurare animo exequendi, quam ſine illo, nam in primo caſu duplex peccatum mortale committis, in ſecundo caſu unum mortale. In neutro caſu teneris juramentum exequi, quia nullam inducit obligationem cum non ſit vinculum iniquitatis, nec indiget relaxatione cum nulla ſit obligatio ,, Hactenus Gyribaldus, cujus Doctrinam ex integro adducere placuit, nam licet ſecundum aliquas partes neceſſaria non ſit ad caſum reſolvendum, eſt tamen ſecundum omnes valde opportuna ad rem explicandam.

Hinc autem clare colligitur quod licet Leonardus ſibi in juramento propoſuerit leve mendacium, non propterea peccaverit graviter, atque a fortiori multo minus peccaſſe graviter, ſi in juramento ſolam ſibi proponens requiſiti operis præſtationem, potuerit ita a mendacio præſcindere, ut illud non habuerit pro materia juramenti.

Non me latet Turrianum, Marchantium, Ligorium, paucoſque alios oppoſitam tenere ſententiam. Dicunt enim quod ſicuti eſt grave peccatum Deum vocare teſtem mendacii etiam leviſſimi: quia ſit gravis irreverentia Deo ſumme veraci, quaſi neſciat omnem veritatem, ita a pari gravis irreverentia irrogatur Deo vocando ipſum ſponſorem alicujus mali ſive gravis, ſive levis, quaſi ipſi ſummo bono placeat aliquod malum etiam leve.

At vero ut quiſque videt eſt lata diſparitas; nam perjurium directe quidem opponitur veracitati, non autem bonitati divinæ, atque adeo quicumque veritatis defectus graviter vitiat juramentum, non autem defectus juſtitiæ & judicii, in quibus proprietatibus; gravis aut levis malitia, ubi deficiant; attendenda eſt a gravitate, aut levitate materiæ. Dum autem quærimus an graviter peccaverit in ſuo juramento Leonardus, cum juramenti defectus non ſe teneat ex parte veritatis, ſed ſolum ex parte juſtitiæ, attendendum non erit attributum quod læditur, ſed materia qua læditur.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. DAmianus furatus Equum frumento onuſtum, cum Domum aſportaretur a Titio, qui Equum una cum frumento emerat prætio aureorum 25., poſt aliquot menſes utrumque vendidit pretio aureorum 30.

Qu. quid debeat reſtituere? an aureos 25., an potius aureos 30.?

Reſp. reſolutionem hanc ex iis facile derivari; quæ paſſim Doctores de poſſeſſore malæ fidei tradere conſueverunt. Ut autem horum Doctrinæ aditus pateat; plura ſunt diſtinguenda, quæ in caſu propoſito accidere potuerunt. Primo enim prætium hoc potuit accreſcere vel ſoli equo, vel ſoli frumento, vel partim equo, partim frumento, idque vel æqualibus, vel inæqualibus portionibus. Secundo prætium hoc ſaltem ratione

ne

ne equi potuit accreſcere duplici ratione, nempe aut intrinſece, & in ſe, & ſecundum ſuam ſubſtantiam, ut v. g. ſi pinguior evaſerit, atque robuſtior, aut extrinſece quo ad ſolum valorem, qui eadem remanente equi natura, & perfectione multis de cauſis potuit augeri Tertio: Pretii incrementum haberi potuit ipſa natura, ita ut nulla habita diligentia creſcere potuiſſet cuilibet poſſeſſori, vel potuit derivari ex ſola furis induſtria, ita ut ejus ſolicitudine factum ſit ut hoc prætium accreverit. Quarto; dum hoc prætium in manu furis accrevit propter ejus induſtriam, ea eſſe poterat conditio Domini, & etiam intentio; ut propter induſtriam longe majorem majus ab ipſo incrementum expectari potuiſſet, ad quem finem fortaſſe eadem emptio facta erat. Denique hoc prætii augmentum vel nullis furis impenſis factum eſt, vel impenſis utilitate alia compenſatis, de qua quidem utilitate erit adhuc inquirendum an major futura fuiſſet in Domino, vel potius ſuas fur habuit impenſas ut hoc lucrum compararet.

Hac poſita diſtinctione animadvertere oportet communem eſſe Theologorum ſententiam Poſſeſſorem malæ fidei teneri reſtituere, rem & ejus fructus ſive naturales ſive mixtos, detractis tamen expenſis, & æſtimatione propriæ induſtriæ. Teneri pariter Domino reſtituere lucrum ſperatum, per modum intereſſe & lucri ceſſantis. Teneri denique in hujus lucri computatione attendere ad majorem induſtriam, quam in ipſo augendo Dominus inſumpſiſſet.

Hinc porro, ut quiſque videt, reſolutio caſus tam facile apparet, ut omnibus ejuſdem circumſtantiis, ex allata doctrina ſua poſſit aptari reſponſio.

CAS. II. Damaſus adulter ſuſcepit filium ex Theodora, qui cum aliis filiis ejus marito ſuppoſitus, habuit inter alios alimenta, & fuit particeps hæreditatis.

Qu. ad quid Damaſus teneatur.

Reſp. & primo, quidem plura adnoto, quæ ex communi Doctorum tanquam certa aſſumi poſſe videntur; ut clarius deſcendam ad caſus reſolutionem. Primo itaque non tenetur adulter ad aliquam reſtitutionem, cum periculo vitæ; vel famæ; Secundo: Si aliquo modo ſuaſit, vel procuravit ut adultera ſpurium marito ſuo ſupponeret, fingeretque ejus filium, qui certo non erat, tenetur reſtituere damna illata patri putativo, & aliis filiis legitimis ratione ſpurii. Qui enim ſuo conſilio eſt cauſa efficax alicujus damni tenetur in conſcientia illud reſarcire. Hæc porro reſtitutio facienda erit juxta leges cooperantium ad damnum. Si enim adulter ſuaſit in favorem ſui, tenetur ipſe primo loco, adultera vero in ejus defectum; ſi ſuaſit in favorem adulteræ, tenebitur primo loco adultera, ipſe vero in defectum; ſi in favorem utriuſque; tenebitur æque primo pro rata, in ſolidum vero ex defectus alterius.

Tertio. Non tenetur adulter in conſcientia credere adulteræ aſſerenti illum ſpurium eſſe filium ejus, vel quia novit illam ſimul rem habere cum viro ſuo, nec minus potuiſſe concipere ex viro, quam ex ſeipſo, vel quia poteſt ſuſpicari illam ab aliis fuiſſe cognitam, quo in caſu ſuſpicio eſt quod ex fœminæ, aut levitate aut malitia tribuatur fetus ditiori; aut magis dilecto.

Quarto. Non tenetur adulter ad ullam damni compenſationem, quando non credit, nec habet ullam certitudinem moralem; quod partus ſit ſuus, quamquam remaneat rationabiliter dubius, quia in dubio æquali melior eſt conditio poſſidentis; quæ eſt ſententia Arag. Navar. Silveſ. Leſſii; & aliorum, niſi fortaſſe magis arrideant doctrinæ Molinæ t. 3. d. 101.,

d. 101. , qui cum Rebellio putat teneri adulterum in foro conſcientiæ reſtituere partem majorem , vel minorem damnorum pro majori vel minori dubii quantitate , quanquam durante dubio non teneatur illum omnino ut filium agnoſcere.

Quinto . Si adulter pro comperto habeat ſpurium eſſe filium ſuum , tamen nec ipſe marito ſuppoſuerit , nec ſuaſerit ut mater ſupponeret, tenebitur reſtituere impenſas factas a tertio anno , & deinceps quamdiu pater tenetur filium alere . Pater enim ſolum tenetur filium alere a tertio anno , & deinceps , donec ſibi de alimentis providere poſſit : a partu autem uſque ad tertium annum incluſive tenetur mater , niſi fortaſſe ratione aliqua non poſſit lactare filium , quia tunc tenetur Pater ad expenſas.

Hinc autem jam apparet quid ſit inquirendum a Damaſo Adultero , ut ejus obligatio poſſit definiri . Si nempe reſtituendo vitæ , aut famæ periclitetur , ſi ſuaſit ut ſupponeretur marito , ſi certo credit eſſe ſuum filium , quæ ſit ratio dubii unde movetur ; & juxta varias ejus reſponſiones , erit prudenter attemperanda reſponſio juxta principia ſuperius allata.

An vero quando adulter certo agnoſcit eſſe ſuam prolem , & ſine famæ vel vitæ periculo poteſt reſtituere , nec conſuluit ut filius marito ſupponeretur ; an videlicet in hoc caſu teneatur ex juſtitia aliquid reſtituere filiis , aut patri putativo variant auctores . Sotus enim l. 4. de juſt. q. 7. art. 2. Henriquez , & alii affirmant non teneri adulterum reſtituere aliquid ex juſtitia , ſed ſolum ex honeſtate , & decentia ſi dives ſit . Moventur autem hac ratione , quia ipſe non eſt cauſa proxima illorum damnorum , ſed tantum remota , cum non intenderit generare , ſed ſolum explere ſuam libidinem ; adulteram vero eſſe cauſam proximam , quæ illum tanquam legitimum viro ſuo ſuppoſuit , atque adeo ipſam ſolum ad reſtitutionem teneri.

Communior tamen ſententia eſt in circumſtantiis expoſitis teneri adulterum ſimul cum adultera ad damna hujuſmodi reficienda . Qui enim in cauſa eſt , ut damnum alicui inferatur , obligatur ad illius damni reſtitutionem . Atqui adulter eſt cauſa illorum damnorum , cum genuerit ſpurium , unde illa damna ſequuta ſunt . Ergo tenetur illa reficere . Præterea adulter realiter dedit hæc damna , cum ſciens , & prudens dederit operam adulterio, unde erant probabiliter ſequutura; nec obeſt quod ipſe ſolum tacendo permiſerit nec conſuluerit , ut partus marito ſupponeretur ; nam adulter eſt cauſa proxima , quod filius adulterinus ſupponatur , & alatur tanquam legitimus , & hæc ſuppoſitio cum aliis damnis , quæ inde ſequuntur , ex ipſo adulterio , tanquam ex cauſa proveniunt.

Hinc porro ſolvitur ratio , quæ pro Soti , & aliorumque opinione ſuperius afferebatur . Ut enim adulter cenſeatur cauſa proxima damni , non eſt neceſſarium quod filium ſuppoſuerit , ſed ſufficit quod ex adulterio ſpurium genuerit , ſiquidem ex tali iniqua actione ex natura rei ſequitur hujuſmodi damnum.

CAS. III. Parochus audita Confeſſione Titii , & Bertæ , quorum matrimonio proxime debet aſſiſtere in eadem Eccleſia , præſente jam comitatu , qui nuptiarum celebritati debet intereſſe , ab ipſis deprehendit , quod poſt contracta Sponſalia cohabitaverunt ſimul , & copulam habuerunt , licet ab ipſo primum admoniti de excommunicatione , ſi id fecerent , incurrenda.

Qu.

Qu. quid agere debeat?

Reſp. Parochum in hoc diſcrimine conſtitutum; qui dubitare nequit an ſponſi propter ignorantiam excuſari poſſint ab excommunicatione, cum ſciat ſe ipſos admonuiſſe quemadmodum præcipitur in Synodo Diœceſana l. 2. c. 9., debere vias omnes tentare an poſſit matrimonium differre, aut ſaltem captare tempus, quo poſſit ſuperiorem adire ad facultatem impetrandam, ſi tamen hoc ipſi expeditius videatur, cum periculum ſit ne in tanta publicitate de patrato ſcelere oriatur ſuſpicio. Si neutrum per circumſtantias ſibi licuerit, ut caute procedat, dictamen hoc ſibi debet efformare; ex benigna interpretatione intentionis Eccleſiæ, urgente etiam cenſura debere eſſe locum Epichæjæ ut in graviſſima neceſſitate infamia, & ſcandalum evitetur. Huic autem Epichæjæ dum ſtudet, debet animadvertere, non dari ab excommunicatione abſolutionem indirectam, quemadmodum datur a reſervatis, poſſe tamen ipſam ſuſpendi quo ad effectus neceſſarios ad impediendam infamiam, & ſcandalum, qui effectus ad hanc præciſam neceſſitatem ſunt reſtringendi. Admonendi ſunt contrahentes de effectibus excommunicationis quam incurrerunt, atque docendi; oportere interea, quod ipſi ſe gerant tanquam excommunicati, quoadusque obtinuerint abſolutionem, de qua quam citiſſime obtinenda debent eſſe ſoliciti, excipiendo tamen quod ea non teneantur omittere, quorum omiſſio, eorum culpam, & pœnam prodere potes; quibus præmiſſis poterit ad matrimonium procedere. Atque hæc eſt communis Theologorum Doctrina.

Eſt vero graviſſima quæſtio de Sacramento pœnitentiæ ipſis adminiſtrando, præſertim ſi ex conſuetudine ad impedienda ſcandala debeant prius ſumere Euchariſtiam, an ſcilicet debeat Parochus ſponſos conſulere ut ſibi de contritione provideant, an vero poſſit, & etiam debeat ſi diſpoſiti inveniantur ipſis abſolutionem impendere. Quæſtionem hanc videre quiſque poterit in utramque partem acutiſſime agitatam a Suarez diſp. 10. de cenſ. ſec. 3., ubi in eam partem inclinat, quod excommunicatio non impediat, ne gravi urgente neceſſitate poſſit excommunicatus a peccatis abſolvi, quamquam nequeat abſolvi a cenſuris cum utraque juriſdictio ſeparabilis ſit, & ſæpe aliquis deputatur ad tollendas cenſuras, qui non habet facultatem abſolvendi a peccatis. Poſito autem quod poſſit excommunicatus urgente neceſſitate a peccati abſolvi, in caſu noſtro abſolvi debebit, urget enim præceptum divinum de confeſſione Euchariſtiæ premittenda. Videatur Giribaldus tract. 4. de Euch. c. 9. qui rem hanc fuſius pertractat.

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. CUM in magna cujuſdam Eccleſiæ ſolemnitate particulæ conſecratæ defeciſſent, ne frequens populi multitudo Communionem diutius expectaret, factum eſt, ut vix peracta in Miſſa ſacræ Pyxidis conſecratione, alius Sacerdos Pyxidem ipſam ſtatim acceperit, & ſacram Euchariſtiam petentibus diſtribuerit.

Qu. an hic Sacerdos bene ſe geſſerit?

Reſp. in rubricis miſſalis præcipi, quod particulæ quæ conſecrantur pro communione Fidelium ponantur ſuper corporale, vel ante calicem, aut in aliquo calice, vel vaſe mundo retro poſt calicem. Non ſufficere autem eſſe ſuper aram ſolum quando conſecrantur, conſtat ex eo, quia ara non tam requiritur ad ſuſtentandam hoſtiam tempore conſecrationis,

quam

quam tempore præcedenti , & ſequenti ; quando enim conſecratur, non eſt hoſtia ſuper aram , ſed in manibus Sacerdotis ; ergo magis requiritur ara ad tempus præcedens , & ſubſequens . Hinc porro ſequitur non bene ſe geſſiſſe Sacerdotem , qui immediate poſt conſecrationem dedit alteri vas cum particulis conſecratis , ut eas vel in eodem , vel in alio altari populo diſtribueret ; præſertim cum licet levis eſſet hæc incongruentia , non eſſet facile tolleranda , cum tempus illud , quod inſumitur inter communionem , & ſumptionem tam modicum ſit , ut populi multitudo tam diu expectare non debeat , & ſi quæ eſſet incommoditas aliqua , quod non omnes poſſent communicari , ut ſolet accidere tempore miſſionum, poteſt hæc ſuperari addendo alium Sacerdotem pro Eucharíſtiæ diſtributione.

Verum aliæ etiam ſunt rationes , quæ hanc incongruentiam adaugent . Nam ſicuti Sacerdos ex ſua hoſtia non debet dare partem , uſque ad finem Sacrificii , ita neque de illis particulis , quæ ſunt etiam victima illius Sacrificii , & non minus offeruntur quam hoſtia major , & ideo omnes orationes , oblationes , & benedictiones ſequentes , æque ſpectant ad illas , nec ante ſumptionem a Sacerdote , victima eſt perfecte ſacrificata . Minus etiam congruit ut alius prius participet de ſacrificio, quam ipſe Sacerdos , qui eſt principaliter offerens , & ſacrificans reſpectu aliorum. ; unde in omnibus liturgiis , & ritualibus ſemper primo loco ponitur communio Sacerdotis celebrantis , & poſtea communio cleri , & populi ; nec videtur ille ordo facile prævertendus.

Neque rem juvat quod in conſecratione Sacerdos intendat hanc hoſtiam majorem ſibi ſumere , & alias minores aliis diſtribuere , cum ex inſtitutione hujus Sacrificii nulla ſit differentia , quare poſſet Sacerdos ex ipſa hoſtia majori dare partem aliquam ei qui vult communicare , & rurſus ex minoribus ſibi ſumere , quia tota eſt unica victima , & offertur per modum unius abſque ullo diſcrimen. Ita cum Jo. de Lugo de Sac. Euch. diſp. 2. ſec. 1. n. 69.

CAS. II. Dorothea a Confeſſario vere ſolicitata , ab alio Confeſſario deobligata fuit ab ipſo denunciando . Scrupulis agitata adit Parochum , ſed interea Confeſſarius ſolicitans mortuus eſt.

Qu. Primo , quid Parochus præcipere debeat relate ad Confeſſarium , qui ipſam deobligavit ab onere denunciationis ? Secundo , an hæc denuntiatio , etiam mortuo Confeſſario , facienda ſit ?

Reſp. Ad Primum attendendam eſſe ſuper hac re Conſtitutionem Gregorianam , quæ in ordinem ad earum propoſitum ita præcipit. *Quod ſi hoc officium* (nempe obligandi ad denunciandum pęnitentes ſolicitatos) *prætermiſerint , vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſolicitantes , ſeu tractantes , ut ſupra , iidem locorum ordinarii , & inquiſitores , illos pro modo culpa punire non negligant* . Porro Lucius Ferrarius v. *ſolicitatio* ſuper hæc verba expreſſe docet Confeſſarios vel malitioſe non monentes , vel docentes non teneri , eſſe denunciandos Epiſcopis , vel Inquiſitoribus , hac ut arbitror ductus ratione , quod ſi Epiſcopi , vel Inquiſitores tenentur punire cum ſciverint , alii etiam , ut ſcire poſſint debent denunciare , & tamquam Patronos ejuſdem ſententiæ adducit Dianam p. 4. t. 7. dec. 7. Roſignolium ſet. 4. n. 7. At vero auctores iſti , licet ipſi etiam iiſdem verbis recitatis , oſtendat Confeſſarios ſic delinquentes ab Epiſcopis , aut inquiſitoribus pęnis arbitrariis eſſe puniendos , tamen nec verbum faciunt de obligatione pęnitentium ad eos denunciandos. Quapropter cum in eadem Bulla Gregoriana

goriana tam ſæpe repetatur, ubi vere præcipitur, hæc obligatio denunciandi, & ſingulis fere caſibus apponatur, non apponatur autem ad caſum pænitentis, qui vel non monetur de hoc onere, vel ab ipſo deobligatur, ſed ubi accidit ejuſdem mentio, dicatur ſimpliciter, quod *Ordinarii & Inquiſitores punere non negligant* dicendum videtur pænitentibus ſic de obligatis non eſſe imponendum onus denunciandi ipſos Confeſſarios, niſi fortaſſe ex alio titulo, quod ſcilicet ſic agentes judicari poſſint ſuſpecti de hæreſi. Parochus itaque debebit a Pænitente diligenter inquirere quo animo, quibus rationibus, in quibus circumſtantiis fuerit deobligata, præſertim ſi ſolicitatio iis verbis expoſita fuit, ut dubia videri potuerit, atque inde colligere quid ipſi ſit conſulendum.

Ad Secundum Reſp. negative. Hoc enim non exprimitur in Bulla, non ex fine Bullæ colligitur. Hæc enim denunciatio alium finem non habet quam Confeſſarii ſollicitantis vel punitionem, vel emendationem; ad utramque autem ſuperflua eſt Confeſſario jam mortuo.

CAS. III. Anacletus vir dives, invento aureo, obvium habet pauperem conquerentem, quod ſibi ſors hæc non obtigerit. Anacletus itaque putans, hunc aureum pro ſe retinere non poſſe, dat pauperi loco eleemoſynæ. Accidit vero, quod hic pauper accepto aureo, poſt aliquod tempus venit in cognitionem ejus Domini.

Qu. Primo, an Anacletus, putans retinere non poſſe, verum putaverit?

Qu. Secundo, an hic pauper, cognito Domino, teneatur reſtituere?

Reſp. Utrumque quæſitum duplici ratione reſolvi poſſe. I. Scilicet generatim & abſtracte, ut verba ſonant; II. Magis determinate ad eas circumſtantias quas caſus involvit. Ut vero utraque ratione id paucis aggrediar ad Primum, dico duas eſſe celeberrimas Doctorum ſententias, an res inventæ, adhibitis omnibus diligentiis pro vero Domino reperiendo, poſſint ab inventoribus retineri. Prima eſt Divi Thomæ 2. 2. q. 62. ar. 5., quam ſequitur Cajetanus, Covaruvias, Navarrus, Leſſius aliique plures, atque docet bona inventa poſt factam ſufficientem inquiſitionem eſſe diſtribuenda pauperibus, nec poſſe ab inventore retineri. Hæc autem adducitur potiſſima ratio; quia cum iſta bona ſciantur eſſe alicujus, nec pro derelictis haberi poſſint, ratio dictat ut diſtribuantur ſecundum voluntatem rationabilem, & interpretativam illius, quæ ſane eſt, ut ea expendantur in ſuam utilitatem ſpiritualem, convertendo illa in pios uſus. Huic ſententiæ favet mirabiliter *c. ſi quid inveniſti* 14. *q.* 1. deſumptum ex D. Aug. ubi dicitur *ſi quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti* & grave illud Divi Hieronymi effatum *c. multi. Peccatum rapinæ ſimile eſt, ſi quis inventa non reddat.*

Contrariam autem ſententiam tenet Sotus l. 5. q. 3. ar. 3. & cum ipſo Medina, Lopez, Bannez, Ledeſma, aliique, quorum ea eſt ratio quia hujuſmodi bona videntur haberi pro derelictis a vero Domino, ergo nullius ſunt propria, atque adeo qui ea primo occupaverit poteſt retinere. In jure enim pro eodem reputantur ignorari Dominum rei, & rem nullum Dominum habere. Sed ſi hæc bona nullum haberent Dominum fierent primo occupantis ergo &c. Præterea nulla eſt ratio, nullus textus qui convincat oppoſitum, cum allatæ auctoritates interpretari poſſint de inventore, qui non adhibuit debitam diligentiam, ratio autem propoſita de interpretativa Domini voluntate, valeret etiam de Theſauro, & bonis omnibus, quæ cum habeantur ut vere derelicta tranſeunt in Dominium primi occupantis, cum etiam de ipſis præ-

 ſumi

ſumi poſſit voluntas Domini qui ſaltem intendat ſuam ſpiritualem utilitatem. Jam vero quamvis utraque opinio tuta conſcientia amplecti poſſit cum ſuam habeat probabilitatem, prior tamen ut quiſque videt magis æqua, & pia eſt, graviorumque auctorum teſtimonio comprobata.

Ad II. reſpondeo negativam ſententiam tenere Sotum lib. 5. q. 3. art. 3. & cum ipſo Ledeſmam, & Petrum Navarra, atque id quidem licet pauper eumdem aureum in propria ſpecie adhuc habeat, aut ejus conſumptione factus ſit ditior. Afferunt autem hanc rationem quia pauper, non mutuo, ſed in Eleemoſynam illum aureum accepit perinde ac ſi ejuſdem Dominus ipſis conceſſiſſet. Atque revera id concedant oportet, qui ex præſumpta Domini voluntate contendunt rem inventam etiam facta diligentia debita retineri non poſse, ſed ad bonum ſpiritnale Domini debere in pauperes, vel in alios uſus erogari. Nam in hac ſententia qui dat Eleemoſynam agit nomine ejuſdem Domini, & utiliter gerit ejuſdem negotium, atque adeo perinde eſt ſive ab inventore, ſive a Domino fuerit erogata.

Eſt tamen probabilior ſententia Molinæ trac. 2. diſ. 746. Layman, Palai, aliorumque, qui docent adeſſe in tali caſu obligationem reſtituendi. Non eſt enim veriſimile Rempublicam intendere privare Dominum abſolute Dominio, & uſu propriæ rei, ſed tantum pauperibus concedere Dominium, & uſum illius dum Dominus non comparuerit. Hoc autem inde convincitur, quia Dominus poteſt in foro externo vindicare rem ſuam ubicumque ſit, quod utique probat ipſum non amiſiſſe ejuſdem Dominium. Idem oſtendunt de ipſo inventore ſi ſibi, tanquam pauperi rem inventam applicaverit, nimirum non eſse obligatum ea conſumpta pretium illius Domino reddere, bene tamen obligari ſi ditior factus eſt, vel res in propria ſpecie exiſtat. Vel itaque pauper aureum conſumpſit, nec factus eſt ditior, vel adhuc retinet in propria ſpecie, vel ditior evaſit ejus conſumptione. Si I. poteſt retinere, ſi II. tenetur reſtituere Domino comparenti; quod enim ajebant præſumpta Domini voluntate, atque ejuſdem nomine ipſi fuiſſe tributum, hoc ſolum eſt verum cum Dominus ejus uſum habere non poteſt.

His autem generatim expoſitis attingendæ ſunt paucis circumſtantiæ caſus. Anacletus itaque aureo ſtatim invento non ſolum putare debebat ſe retinere non poſſe in quacumque ſententia, ſed debebat exiſtimare ſibi diligentias omnes eſſe adhibendas pro inveniendo Domino, quibus omiſſis etiam erogato illo aureo in Eleemoſynam ipſi remanebat onus Dominum inquirendi, & pro illo aureo ſatisfaciendi. Quod ſi largiendo pauperi intendebat in ipſum refundere quidquid vel oneris, vel juris, vel utilitatis evenire poterat, non propterea cenſeri debet ſolutus ab omni obligatione. Facilius eſt enim quod aureus ad Dominum redire poſſit a manu divitis, quam a manu pauperis; unde pauperi tribuendo, deterioravit Domini conditionem, quam damni ſpeciem debet reſarcire. Quod ſi occurrente paupere ipſi aureum dedit animo donandi in Eleemoſynam, cum intentione reſarciendi Dominum ſi appareret, tunc bene ſe geſſit, ſed memor eſſe debet hujus obligationis, & diligentias adhibere ad hoc neceſſarias. Quod vero ad pauperem attinet ſi aureum accepit a divite, non ut ab inventore, ſed ut a Domino, poteſt retinere, ſi accepit a divite ut inventore nondum adhibitis diligentiis, debet ipſe diligentias adhibere, & Domino non comparente poteſt ſibi ut pauperi in Eleemoſynam applicare, quæ quidem ex dictis deſcendunt.

LAUS DEO.

CASUS

CASUS RESOLVENDI

IN DIOECESI

ANNO MDCCLXXIII.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. NOvus quidam Sacerdos in die nativitatis Domini male intelligens rubricam de non ſumenda purificatione in prima & ſecunda Miſſa, abſtinuit in utraque a ſumptione ſanguinis, ſed in ſecunda Miſſa addens novum vinum, & aquam calici conſecrato, & idem faciens in tertia Miſſa, in ea ſolum conſummavit utramque ſpeciem. Nunc autem anxie quærit an poſſit retinere ſtipendium pro triplici Miſſa.

Quid erit reſpondendum?

CAS. II. Adrianus Sacerdos accepta Eleemoſyna pro Miſſa celebranda in altari Privilegiato, putat ſe frui poſſe altaris Privilegio, ſive recitet Miſſam de Sanctis, ſive de Requiem.

Qu. an verum exiſtimet.

CAS. III. Prudentius rite confeſſus, & ſacra refectus Euchariſtia pro acquirenda indulgentia, ante viſitationem Eccleſiæ in novum peccatum prolapſus, putans ſibi ſufficere actum contritionis, eo elicito, ſine nova confeſſionem Eccleſiam viſitavit.

Qu. an indulgentiam acquiſierit.

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. EUſebius defloravit Roſam ſibi parem, cum promiſſione matrimonii. Tiburtius ejus Genitor, deflorationem quidem ignorans, ſed ſuſpicans de ſponſalibus, ira exardeſcit, & exhæredationem minatur niſi deſiſtat.

Qu. an Euſebius habeat juſtam cauſam reſiliendi.

CAS. II. Petronius Mutinam profectus plurimas merces ibidem emit a Geminiano, pretio nondum ſtatuto, ſed Bononiæ ſtatuendo ab Eduardo. Rebus ita conventis, dum merces Bononiam aſportantur, caſu fortuito pereunt.

Qu. cui pereant; an Petronio, an Geminiano.

CAS. III. Remigius mutuos accepit quinquaginta aureos a Franciſco dato ipſi Chyrographo ad debiti confeſſionem; alios pariter quinquaginta aureos mutuos accepit a Mauritio; nullo quidem dato Chyrographo, ſed dato pignore aureo Orologio. Accidit vero poſt aliquod tempus, quod Franciſcus nihil de ea requiſitus remiſit Chyrographum Remigio, quod

præſtitit etiam Mauritius de Orologio ; quo peracto uterque eſt mortuus.
Qu. an Remigius teneatur hæredibus reſtituere.

MENSE MARTIO.

CAS. I. CUM Parochus feria quinta in Cœna Domini celebrare non potuerit, atque, ut putabat, conſummare majorem hoſtiam quæ ſervabatur in Oſtenſorio pro expoſitione, aliamque conſecrare pro ſequenti die, in qua non conficitur Sacramentum, ne populus die veneris Sancti Miſſa & Officio careret, juxta ritum Eccleſiæ omnia peregit, uſus in Miſſa hac Hoſtia, quæ in Oſtenſorio ſervabatur.
Qu. an hoc ipſi licuerit.
CAS. II. Cum Parochus calicem quidem deaurari curaverit, non curaverit autem iterum conſecrari, recuſat Capellanus in eo calice celebrare.
Qu. an jure faciat.
CAS. III. Cyprianus furatus Parocho 50. aureos, & mobile pretioſum, mox facti pœnitens, æquivalentem ſummam erogavit in pauperes, quo peracto putat ſe non amplius teneri ad ullam reſtitutionem.
Qu. an Confeſsarius ipſi debeat acquieſcere.

MENSE APRILI.

CAS. I. TIburtius miſeratione motus erga Cajum indigentem quod nullis artibus exigere poſſit certum debitum ab Ambroſio, clam ſurripit ab ipſo Ambroſio, & ſatisfacit Cajo.
Qu. an peccet, & reſtituere teneatur.
CAS. II. Cletus capſulam pro mortuis ab Eccleſia furatus, poſtmodum pœnitentia ductus, pecunia in ea reperta totidem Miſsas pro Defunctis celebrari curavit.
Qu. an teneatur ad aliam reſtitutionem.
CAS. III. Filius Familias pluras identidem ſurripit Patri, & quidem in notabilis quantitate. Reprehenſus a Confeſſario reſpondet, ſe tuto id facere. Habet enim hæreditatem in ſui favorem, cum hac conditione ne fructus percipiantur a Patre; quidem fructus cum ipſi a Patre denegentur, putat ſe uti poſſe compenſatione.
Qu. an Confeſſarius hac reſponſione contentus eſse debeat.

MENSE MAJO.

CAS. I. PArochus ad Eccleſiam accedens proxime celebraturus, audiens duos Parochianos ita in ipſa fuiſſe rixatos, ut alteri avulſi ſint dentes, cum ſanguinis effuſione; quærit ab Archipresbytero quid agere debeat.
Attenditur ejus reſponſum.
CaS. II. Confeſſarius complex in re venerea, vocatus ad ſuæ complicis Confeſſionem, inſtante mortis periculo, ad ipſam accedit, neque enim preſto habet niſi Sacerdotem quemdam tantæ hebetudinis ex morbo contractæ

tractæ, ut cum vix noverit, quæ ad Miſſam pertinent, pluribus ab annis librum aliquem ne legerit quidem.

Qu. an hujus Sacerdotis unice copiam habens, ſi abſolvat pœnas incurrat.

CAS. III. Gryſogonus furatus Cajo 20. aureos, & 15. Titio hac furtiva pecunia emit equum a Clemente, pretio quidem juſto, ſed ſummo, & eo etiam quod vocant affectionis; quo empto fugit. Re cognita comparent Cajus, & Titius, & a Clemente ſuam quiſque pecuniam repetit.

Qu. an Clemens, qui bona fide vendiderat, vel totum, vel partem, vel nihil debeat reſtituere.

MENSE JUNIO.

CAS. I. LAurentius rem gratam & utilem facturus Petro abſque ejus mandato emit leviſſimo pretio equum ipſi ſublatum. Dum autem deferendum curat, caſu fortuito Equus perit, poſtquam in ipſo ſalvando plures fecit expenſas.

Qu. an Petrus in pretio & expenſis teneatur Laurentium indemnem ſervare.

CAS. II. Mulier accuſat ſe, quod cum fuerit in Confeſſione ſolicitata, denunciavit quidem ſolicitantem, ſed denuntiationem culpabiliter diſtulit ultra tempus præfixum.

Qu. I. quod ſit tempus præfixum ad denunciandum. II. an ullam pœnam incurrerit. III. an a quolibet Confeſſario poſſit abſolvi.

CAS. III. Federicus provocatus a Cajo ad promiſſionem juramento firmandam, juravit quidem, ſed vel non habuit animum jurandi, vel non habuit animum ſe obligandi, vel non habuit animum ad implendi.

Qu. an vel in quo ex hiſce caſibus peccaverit, & juramento teneatur.

MENSE JULIO.

CAS. I. CUm in Conceſſione cujuſdam indulgentiæ habeantur hæc verba, quod indulgentia hæc ſit etiam applicabilis animabus Purgatorii, dubitat Albertus, an eam indulgentiam ſimul lucrari poſſit, & pro ſe, & pro Defunctis.

Qu. Reſponſio Parochi pro hujus dubii reſolutione.

CAS. II. Camilla Bononienſis contraxit ſponſalia cum Marco Butrii degere conſueto, cum hac conditione ut domicilium Bononiæ ſtatueret.

Qu. an Camilla Marcum ſequi teneatur, ſi Butrii habitare voluerit.

CAS. III. Confeſſarius audiens Confeſſionem Clerici proxime promovendi ad ſacrum ordinem Subdiaconatus, deprehendit ipſum in vitio turpi habituatum.

Qu. an debeat abſolutionem denegare niſi paratum inveniat ad differendam ordinis ſuſceptionem ut emendationum exhibere poſſit, & caſtitatem probare.

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. LAurentius, & Roſa Bononienſes, ambo ſpectatæ conditionis, & probitatis, autumnali tempore ruri degentes, adeunt Iſidorum ruralem Parochum, ut coram ipſo contrahant matrimonium, aſſerentes, ſe a proprio Parocho facultatem habere.

Qu. an Iſidorus credere debeat huic aſſertioni, & ſi aliud non obſtet matrimonio aſſiſtere.

CAS.

CAS. II. Capellanus repente vocatus ad inungendum infirmum proxime expiraturum, reperit ipſum prono ore, & corpore decumbentem, & veritus irregularitatem ſi ſuggerendo, aut adjuvando corporis converſionem mors acceleretur, cum periculum ſit in mora, inungit ipſum in brachio ſub hac forma *Indulgeat tibi Dominus quid quid per viſum, auditum &c. deliquiſti*. Qua nondum completa infirmus expiravit.

Qu. I. an hic timor irregularitatis incurrendæ fuerit rationabilis. II. an hoc Sacramentum fuerit validum ratione partis inunctæ. III. an fuerit validum ratione formæ nondum completæ.

CAS. III. Gorgonius mutuatur Cromatio 100. aureos nulla alia adjecta conditione, niſi quod biennio elapſo reſtituerentur. Biennio elapſo cum Cromatius aureos non habeat, reſtituit monetam equivalentem. Sed cum interea temporis creverit aureorum pretium, valore quinque obulorum pro quolibet aureo.

Qu. cui creverit pretium hoc, an mutuanti, an mutuatario.

M E N S E   S E P T E M R I.

CAS. I. RIchardus exhibet Sergio annulum emendum pretio aureorum 20. Cognoſcit Sergius annulum longe pluris valere, & volens emere tuta conſcientia, dicit Richardo ſe ſoluturum 20. aureos, ſi annulum libere dederit, condonando exceſſum, ſi quid pluris valuerit.

Qu. an hæc emptio, Richardo conſentiente concluſa, ſit juſta.

CAS. II. Adrianus, & Roſa publice petunt aſſiſtentiam Parochi pro matrimonio contrahendo: Parochus autem occulte novit obſtare impedimentum affinitatis ex copula illicita.

Qu. quid agere debeat.

CAS. III. Clemens contractis ſponſalibus cum Placidia, rem habuit cum Catharina, quæ pariter contraxerat ſponſalia cum Eduardo.

Qu. an ſufficiat ſi dicat in Confeſſione, ſe eſſe fornicatum cum libera, an debeat etiam manifeſtare ſponſalia, tum ſua, tum Catharinæ.

M E N S E   O C T O B R I.

CAS. I. PArochus in magna populi frequentia dixit in concione *in hac quam patimur magna rerum penuria teneri divites ex juſtitia, atque ſub gravi, mutuare indigentibus pecuniam & frumentum*. Cum autem hac audita propoſitione rumores excitati ſint, Parochus vicinior ad eos compeſcendos dixit in concione, laudandos quidem eſſe mutuantes tanquam facientes opus charitatis, ſed ex juſtitia, atque ſub gravi ad hoc non teneri.

Qu. an prior Parochus verum docuerit, & poſterior prudenter ſe geſſerit.

CAS. II. Capellanus die feſto proxime celebraturus in Oratorio publico recens erecto, coram frequentia populi, quæ ſecus deberet ſacrum omittere, intelligens nullam ex ſacris veſtibus eſſe benedictam, dubitat intra ſe an debeat a ſacro celebrando abſtinere, an debeat ipſe veſtes benedicere, an celebrare cum ſacris veſtibus nondum benedictis.

Qu. quid ſit eligendum.

CAS. III. Confeſſarius in Confeſſione Lucillæ deprehendit quemdam juvenem ejus Domum frequentantem eſſe ipſi occaſionem peccandi, & eamdem ſæpe turbari, quia in ejus Eccleſia raro adeſt Sacerdos paratus ad Eu-

Euchariſtiam petentibus miniſtrandam ; quapropter hac uſus notitia munus procurat juveni, quo debeat ab ea domo abſtinere, & Sacerdotem advocat pro Euchariſtiæ adminiſtratione.
Qu. an utrumque ipſi licuerit ſine fractione ſigilli.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. Antonius in meridie diei ſolemnis indulgentiam lucraturus; cum videat Confeſſarium jam defeſſum paratum egredi, oblata Eleemoſyna retinet ut adhuc audiat ſuam Confeſſionem.
Qu. an ſimonia committatur.
CAS. II. Audiens Parochus alium Parochum curiam adire ad obtinendam licentiam pro acceptando legato Miſſæ perpetuæ, conſcius ſibi ſe tale legatum acceptaſſe ſine ulla licentia, anxie quærit a Vicario Foraneo an ullam pęnam incurrerit, an valida fuerit illa acceptatio, & quid remedii opus ſit.
Attenditur reſponſio.
CAS. III. Clemens rogatus pro mutuo centum aureorum, exigit a mutuatario decem aureos ratione lucri ceſſantis, nomine autem lucri ceſſantis illud intelligit, quod reportare ſolet ex ludo alearum.
Qu. an licite faciat.

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. Caſſianus ſpecie majoris boni deceptus, vovit matrimonium ad finem acquirendi gratiam Sacramentalem, cum animo ingrediendi poſtea religionem; & vi hujus voti contraxit ſponſalia cum Flavia. Admonitus autem a Confeſſario de nullitate hujus voti ab hiſce ſponſalibus receſſit. Poſtmodum vero mutato religionis propoſito, Flavia jam mortua, ſe determinat ad matrimonium cum Roſa ejus Sorore.
Qu. I. an Confeſſarius ipſum recte docuerit. II. an ex illis ſponſalibus ortum fuerit impedimentum publicæ honeſtatis.
CAS. II. Fabianus in ſua approbatione pro Confeſſionibus audiendis obtinuit etiam facultatem illimitatam abſolvendi a reſervatis; amiſſo autem hujus facultatis Chirographo, dubitans de hac illimitatione, rogavit iterum pro hac facultate, eamque obtinuit, ſed limitatam, qua obtenta invenit Chirographum prioris facultatis.
Qu. an prima facultate uti poſſit, an debeat ſtare ſecundæ.
CAS. III. Marcellinus per errorem recitavit officium craſtinum pro hodierno.
Qu. an cras recitare debeat officium hodiernum, an iterum craſtinum.

FINIS.

AN-

ANNO MDCCLXXIII.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. NOvus quidam Sacerdos in die nativitatis Domini male intelligens rubricam de non ſumenda purificatione in prima & ſecunda Miſſa, abſtinuit in utraque a ſumptione ſanguinis, ſed in ſecunda Miſſa addens novum vinum & aquam calici conſecrato, & idem faciens in tertia Miſſa, in ea ſolum conſummavit utramque ſpeciem. Nunc autem anxie quærit an poſſit retinere ſtipendium pro triplici Miſſa.

Quid erit reſpondendum?

Reſp. nihil obſtare quominus hic novus Sacerdos, quamquam in re tanti momenti, craſſa omnino ignorantia enormiter erraverit, ſtipendium tamen pro triplici Miſſa poſſit retinere. Cum enim ad ſtipendium jure retinendum ſufficiat quod ſervata fuerit eſſentia Sacrificii, difficultas omnis ex eo deſumenda videtur vel quia in ſola conſecratione non perficiatur Sacrificii ſubſtantia, vel quia, licet conſecratio ad eſſentiam ſacrificii ſufficiat, hæc tamen requiratur ſub duplici ſpecie, quod in caſu defuiſſe videtur ob defectum materiæ ſecundæ ſpeciei. Cum enim in ſecunda, & tertia Miſſa vinum non conſecratum additum fuerit vino jam conſecrato, dicendum videtur, quod illa conſecratio in ſecunda, & tertia Miſſa nihil fuerit operata ob conſecrationem vini jam factam ex ſola mixtione cum ſanguine, quemadmodum accidit in oleo olivarum de novo infuſo oleo infirmorum, quod ſola mixtione conſecrationem acquirit.

Dico enim ad primam difficultatem, quod licet varient plurimi auctores in actionibus determinandis, quæ eſſentiam aut integritatem ſacrificii conſtituunt, communior tamen ſententia, quam tuentur Suarez, & Doctor Angelicus ad eſſentiam ſacrificii ſolam conſecrationem requirit. Eſſentia enim Sacrificii in ea ſolum actione conſiſtere debet, quam Sacerdos facit nomine Chriſti, quamque Chriſtus fecit inſtituendo hoc Sacrificium, quemadmodum ex Tridentino colligitur. Sola autem conſecratio, ut per ſe patet in perſona Chriſti a Sacerdote perficitur. Præterea in eo tota ſalvatur eſſentia ſacrificii Miſſæ, in quo Chriſtus ad recognitionem divinæ excellentiæ aliquo modo deſtruitur, atque mactatur. Hoc autem totum habetur in ſola conſecrationem. Nam vi verborum Corpus ponitur ſeparatum a Sanguine, quæ ſeparatio eſt myſtica, & ſpiritualis mactatio, & occiſio victimæ Chriſti, hoc enim ſacrificium incruentum eſt memoriale, & repreſentativum ſacrificii cruenti crucis, in quo Sanguis fuit realiter ſeparatus a corpore. Quod ſi non ſola mactatio, ſed etiam oblatio victimæ ad ſacrificii eſſentiam neceſſaria putetur, adhuc dico totum hoc in ſola conſecratione ſervari. Conſecratio enim oblatio eſt, non quidem verbalis, ſed opere exercita; qui enim in Dei cultum aliquid deſtruit, illud utique in re, offert Deo, quamquam id verbis non exprimat.

Ad alterum dico non deeſſe qui putent ad eſſentiam ſacrificii neceſſarium non eſſe utriuſque ſpeciei conſecrationem, cum ſacrificium Chriſti cru-

entum

ſentum ſufficienter repræſentari poſſit per conſecrationem alterius tantum ſpeciei; quam quidem ſententiam ſi cum Marchino, Bonacina, aliiſque nos etiam ſequamur, nulla amplius erit difficultas. Negat tamen communior doctrina, cùm Chriſtus ſacrificium Euchariſtiæ ita inſtituerit, & eo ritu fieri præceperit, quo poſſet perfecte repræſentare paſſionem, & mortem ipſius, ut colligitur ex illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Tale autem non foret ſine conſecratione utriuſque ſpeciei. Ut enim repræſentetur integre & explicite mors, & paſſio Chriſti, debet repræſentari effuſio Sanguinis, ejuſque ſeparatio a corpore, ſeu Sanguis effuſus, & ſeparatus, quod utique non habetur niſi, per conſecrationem utriuſque ſpecie, per quam vi verborum ponitur in una ſpecie ſolum corpus ſine Sanguine, in altera vero ſolus Sanguis ſine corpore.

Porro duplex hæc conſecratio, quam nos etiam ad ſacrificii eſſentiam neceſſariam putamus, potuit optime in caſu noſtro ſervari. Falſum eſt enim vinum non conſecratum ſuper additum Sanguini, in ſanguinem verti neceſſe materiam novæ conſecrationis. Ut enim habeatur tranſubſtantiatio vini in ſanguinem, non ſufficit ſola mixtio cum ſanguine, ſed ut verbo dicam Ambroſii, *operatorius Chriſti Sermo* requiritur. Obſervat etiam Angelicus neque vocabulum mixtionis in caſu noſtro apte uſurpari. Ea enim miſceri dicuntur, quorum extrema conjunguntur cum extremis alterius. Extrema autem Sanguinis Chriſti cum extremis vini non conjunguntur, cum Sanguis Chriſti mirabili quodam modo ſub ſpeciebus exiſtat; atque inde colligitur ad olei paritatem obvia reſponſio. Stat itaque in ea triplici Miſſa eſſentia Sacrificii, atque ita pro ſingulis poteſt retineri ſtipendium.

CAS. II. Adrianus Sacerdos accepta Eleemoſyna pro Miſſa celebranda in altari Privilegiato, putat ſe frui poſſe altaris Privilegio, ſive recitet Miſſam de Sanctis, ſive de Requiem.

Qu. an verum exiſtimet.

Reſp. Convenire Doctores quod ſi conceſſerit Pontifex quod celebretur quæcumque Miſſa ſive de requiem, ſive currens in dies, ſive votiva, neceſſarium non erit celebrare Miſſam de requiem; conſtat enim eſſe mente Pontificis celebrare quamcumque Miſſam. Si vero in conceſſione indulgentiæ exprimatur, quod celebranti Miſſam de requiem in tali altari, conceditur ut liberet animam a pœnis purgatorii, neceſſario eſt celebranda Miſſa de requiem, quia jam conſtat de mente Pontificis, quæ cum ſit privilegiare altare quo ad tales Miſſas, non extenditur privilegium ad alias, quia non extenditur ultra intentionem concedentis. Difficultas eſt igitur quando Pontifex nihil exprimit, ſed ſolum dicit, quod in tali altari celebranti concedit liberare animam a Purgatorio.

In hac autem ambiguitate vel ſermo eſt de feſto duplici, vel potius de die, in qua pro arbitrio Miſſa alicujus Sancti, vel de requiem, vel votiva poteſt celebrari. Jam vero ſi ſermo ſit de feſto duplici, ut videre eſt apud Ferrarium V. *Miſſa*. „ Miſſæ in feſto duplici celebratæ in al- „ tari pro animabus perpetuo Privilegiato, et in quo proinde quotidie „ etiam in duplicibus celebrandæ eſſent Miſſæ de requiem ex obligatio- „ ne, ſuffragantur ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis etiam juxta „ formam privilegiorum 22. *Januarii 1667*. Decretum extenditur etiam „ ad altaria non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius „ tempus, vel longius, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus „ tantum hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde Miſſæ de feſto

 „ du-

„ duplici, quæ ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione „ celebrantur, ſuffragantur ac ſi celebratæ fuiſſent pro defunctis. 23. „ *Septembris 1769.* Inſuper Miſſæ celebratæ de feſto currente in alta„ ribus Privilegiatis in diebus, quibus non licet Miſſas de requiem ce„ lebrare, habent eamdem vim, & indulgentias perinde ac ſi fuiſſent „ celebratæ Miſſæ Defunctorum, ut expreſſe ſtatuerunt, & definie„ runt Summi Pontifices, ſcilicet Alexander VII. *die 22. Januarii 1667.* „ in ſua Conſtitutione incipit *Creditæ* Clemens IX. *die 23. Septembris* „ *1669.* in ſua Conſtit. incipit *Cum felicis*, & Innocentius XI. *die 4. Maii 1668.* in ſua Conſtit. incipit *Alias.* „

Si vero loquamur de die, in qua pro arbitrio celebrari poteſt vel Miſſa alicujus Sancti, vel de requiem, vel votiva, dicendum omnino eſt eſſe mentem Pontificis quod celebretur Miſſa de requiem. Id vero patet ex dictis; exceptio enim firmat regulam in contrarium. Si ergo privilegium lucrandi indulgentiam etiam celebrata Miſſa alicujus Sancti reſtringitur tantum ad dies duplici feſto occupatos, ſignum evidens eſt quod aliis diebus celebrari debet Miſſa de requiem. Prætetea in tali caſu mens Pontificis recipit interpretationem ab jure. Mens enim, præſertim Principis, niſi conſtet oppoſitum, præſumitur juri conformis, & proinde cenſetur præſcribere celebrationem pro defuncto juxta præſcriptionem Eccleſiæ. Eccleſia autem præſcribens celebrationem pro defuncto, præſcribit ſpecialem Miſſam. Et licet abſolute non obliget ad illam celebrandam quando eſt offerendum Sacrificium pro defuncto, declarat tamen ſuam intentionem, & diſponit quod ſit illa ſpecialis Miſſa quæ pro Defunctis celebranda eſt. Præſertim quia intelligitur de celebratione pro Defunctis juxta modum conceſſum Eccleſiæ, qui conſiſtit in Miſſa de requiem, quia alio modo celebrare, provenit ex privata intentione celebrantium.

Nihilominus tamen ſi aliquando habeatur talis conceſſio, quæ non requirat quod ſacrificium offeratur pro defuncto, ſed ſimpliciter concedat, quod celebrando in tali altari liberetur anima a purgatorio per applicationem tantæ Indulgentiæ!, quanta ſufficiat pro pœna ſolvenda, tunc neceſſarium non erit celebrare Miſſam de requiem, ſed ſufficiet quæcumqne alia Miſſa. Ut enim docet Paſqualigus; cum Sacrificium non eſt offerendum pro anima quæ eſt liberanda, qualitas Miſſæ relinquitur arbitrio celebrantis. Hæc porro ſunt attendenda ut facile judicetur quando nam verum exiſtimet Adrianus licere ſibi celebrare Miſſam de Sancto pro lucranda Indulgentia altaris Privilegiati.

CAS. III. Prudentius rite confeſſus, & ſacra refectus Euchariſtia pro acquirenda indulgentia, ante viſitationem Eccleſiæ in novum peccatum prolapſus, putans ſibi ſufficere actum contritionis, eo elicito, ſine nova confeſſione Eccleſiam viſitavit.

Qu. an indulgentia acquiſierit.

Reſpondet Suarez *diſp. 52. ſect. 3. n. 7.* in eo caſu obligari fideles pro Indulgentia lucranda ad aliam confeſſionem ſacramentalem, *quia*, ut ipſe inquit, ex vi illius formæ requiritur confeſſio omnium mortalium, quæ uſque ad tempus indulgentiæ commiſſa ſunt; nam talis confeſſio refertur ad indulgentiam, & ideo comprehendit totum tempus uſque ad prædictum terminum, & conſequenter omnia etiam peccata intra illud tempus commiſſa. Non ergo ſufficit prior confeſſio, quia non fuit de omnibus peccatis modo explicato, unde licet per unam confeſſionem poſſit ſatisfieri, non tamen per omnem, ſed per eam, quæ fuit integra mo-

do

do prædicto, Ita Suarez, cum quo Filliucius, Sanctarellus, aliique eamdem ſententiam tuentur.

Probabilior tamen videri poteſt opinio, quam cum Præpoſito, Granado, Diana, aliiſque defendit Antonius a Spiritu Sancto *c.* 11. *de opſ. injunct.* Tenor enim indulgentiæ ſolum præſcribit confeſſionem cum autem ea non ſit neceſſario facienda in ultimo opere, ſed ante ipſum fieri poſſit, & etiam ſoleat, præſertim tempore Jubilæi, in quo plurium dierum opera præſcribuntur, non eſt cur novum onus alterius confeſſionis imponatur, quia ſine illo impletur ſufficienter conditio requiſita in tenore indulgentiæ, & aliunde per contritionem liberari poteſt a peccato læthali denuo commiſſo, ita ut recuperet ſtatum gratiæ, ſine quo indulgentiæ effectus non acquiritur. Pari enim ratione differendum eſt de hac obligatione in ordine ad indulgentias, ac de præcepto annuæ confeſſionis. Tempore autem quadrageſimali facta confeſſione omnium peccatorum læthalium, quorum quis erat conſcius, ſi poſtea, antequam præceptum annuæ confeſſionis expiraret, aliud grave peccatum perpetraret, non teneretur iterum ob tale præceptum confiteri. Alias plurics tempore quadrageſimali Confeſſus, & penultima anni die in aliud peccatum lapſus, ſi in poſtrema anni die confeſſionem ſacramentalem ommitteret, præcepto annuæ Confeſſionis minime ſatisfaceret. Sic in re noſtra, cum caſus procedat de communione jam peracta, ad quam utique ex alio capite neceſſaria eſſet prævia confeſſio, & cum ſtatus gratiæ ad ultimum opus requiſitum per contritionem poſſit acquiri, vi ſolius præcepti confeſſionem requirentis, neceſſarium non erit quod ipſa iteretur, atque adeo dicendum erit potuiſſe Prudentium indulgentiam acquirere.

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. Euſebius defloravit Roſam ſibi parem, cum promiſſione matrimonii. Tiburtius ejus Genitor, deflorationem quidem ignorans, ſed ſuſpicans de ſponſalibus, ira exardeſcit, & exhæredationem minatur niſi deſiſtat.

Qu. an Euſebius habeat juſtam cauſam reſiliendi.

Reſp. Suapte natura certum omnino eſſe defloratorem virginis ſub promiſſione matrimonii obligatum eſſe ex juſtitia ad illam ducendam. Intervenit enim contractus *Do ut facias*, cum Virgo faciat copiam ſui corporis cum pacto quod poſtea ducatur in matrimonium. Id porro a fortiori eſt verum in caſu noſtro, in quo Euſebius, & Roſa ejuſdem conditionis ſtatuuntur, quo factum eſt quod Roſa ſuſpicari non potuerit ſe ab Euſebio decipi, quod timere potuiſſet, ſi debuiſſet nubere aut nobiliori, aut ditiori. Nihilominus tamen hiſce etiam poſitis, poterit fortaſſe Euſebius deobligari, ſi deveniatur ad caſum, ad quem præſumendum videatur noluiſſe ſe extendere promittentis obligationem.

Dico itaque probabilius eſſe Euſebium timentem paternam iram, ejuſque exheredationem habere juſtam cauſſam reſiliendi, neque obligari ad promiſſionem Roſæ factam ſervandam. Id autem expreſſe docent Hoſtienſis, Lopez, Ledeſma; Divus Antoninus, aliique plures, qui un verſaliter volunt ſponſalia diſſolvi poſſe, ſuperveniente quacumque cauſa, quæ reddat difficiliorem exequtionem matrimonii. Docent id ipſum Hurtadus, Coninchius, Præpoſitus, qui loquuntur de diſſolutione ſponſalium ob ſolam contradictionem parentum. Quamquam enim non loquantur de

copula ſub promiſſione matrimonii, ea tamen afferunt argumenta, quæ hoc etiam oſtendunt.

Omnis enim promiſſio, etiam quæ obligat ex juſtitia, habet tacitam conditionem quod obliget rebus ſic ſtantibus, non autem ſi ſuperveniat aliqua notabilis mutatio, præſertim quæ, ſi ab initio adfuiſſet, non fuiſſet ſequta promiſſio. Eſt enim promiſſio ſecundum menſuram, qua promittens intendit ſe ipſum obligare. Qui autem ad copulam obtinendam promiſit alicui ſe illam ducturum in uxorem, non intendit ſe obligare in quocumque eventu, neque cum tanto diſcrimine, quale eſt indignatio Patris, & amiſſio paternæ hæreditatis. Accedit eodem quod ſervare promiſſionem in tali caſu eſſet cum graviſſimo damno promittentis, ſiquidem non ſolum ſubiret graviſſimam indignationem paternam, ſed etiam hæreditate privaretur, atque adeo deberet renunciare juri quod habet ab ipſa natura tuendi ſe ipſum, & ſua, & ſe conſervandi indemnem contra quoſcumque. Denique promiſſio omnis, quæ ſine peccato adimpleri non poteſt, definit obligare. Non poſſet autem in caſu noſtro matrimonium contrahi ſine peccato. Violaretur enim in re gravi pietas parentibus debita, læderetur cognatorum amicitia, magnæque cauſarentur perturbationes; & promiſſionis executio non poſſet eſſe ſine gravi ſcandalo proximi. Sponſos autem non poſſe cogi, ſed ſponſalia diſſolvi quando probabiliter timetur ſcandalum colligitur ex *cap. cum in tua*, & militat ratio *De requiſivit*, quod coactiones difficiles ſolent exitus habere.

Certum eſt autem teneri Euſebium modos omnes tentare ad Patris iram compeſcendam, & ſi Roſæ damnum aliquod intulit ad reparationem obligari.

CAS. II. Petronius Mutinam profectus plurimas merces ibidem emit a Geminiano, pretio nondum ſtatuto, ſed Bononiæ ſtatuendo ab Eduardo. Rebus ita conventis, dum merces Bononiam aſportantur, caſu fortuito pereunt.

Qu. cui pereant; an Petronio, an Geminiano.

Cum certi juris videatur tradita re vendita, rem emptori perire, videretur quoque dicendum merces in caſu noſtro perire Petronio, non Geminiano. Neque enim dubitari poteſt veram fuiſſe ſequutam mercium traditionem. Nam Geminianus antequam merces tranſmitteret, merces ponderavit, & ſeorſim ab aliis ad concordatam menſuram reduxit, quod ſatis eſt ut venditor liberetur a periculo rei. Præterea quod inter abſentes fit emptio tranſmittuntur merces periculo ementis, niſi aliud inter partes conveniat; unde emptoris intereſt contractum aſſecurationis cum alio inire, quod ſignum eſt mercium tranſmiſſionem haberi pro traditione. Quod ſi hæc jura valerent, quamquam Petronius non fuiſſet profectus Mutinam, ſed per epiſtolam egiſſet de hoc contractu cum Geminiano, id erit a fortiori dicendum ſi merces ipſi Petronio conſignatæ fuerunt, ut habetur in caſus expoſitione.

Verum Reſpondeo merces de quibus eſt mentio, non Petronio, ſed Geminiano periiſſe. Res enim domino perit, & venditione nondum ſequta, verus earum dominus habebatur Geminianus. Quod autem venditio ſequta non fuerit patet ex eo, quod pretium eſt de ſubſtantia emptionis, & venditionis, nec dici poteſt contractus ſequtus, niſi pretium fuerit ita certificatum, atque determinatum, ut contrahentes in ipſum conſenſerint. Taxatio itaque & determinatio pretii, eſt ita ſubſtantialis venditioni, ut ſine ipſa irrita ſit. Cum ergo inter Petronium, & Geminianum antequam merces traſmitterentur nullum fuerit ſtabilitum pretium,

perin-

perinde eſt ac ſi non fuiſſet oppoſitum, atque adeo cum deficiat ſubſtantia contractus, ubi vera venditio locum non habet, neque poteſt habere locum vera traditio, quæ referatur ad translationem periculi, quod transferri non poteſt niſi prius transferatur dominium, ut obſervant Doctores communiter, & videre eſt apud Molinam diſp. 337. Accedit eodem, quod ut perficiatur emptio & venditio debet prius pretium numerari antequam res tradatur Emptori, aut ſaltem debet interponi fides & promiſſio, quæ ſtat loco pretii. At in re noſtra tantum abeſt quod fuerit ſolutum pretium, aut interpoſita fides, ut neque fuerit determinatum. Denique ut cum aliis notat *Gab. Conſil.* 64. Antequam taxetur pretium, venditio eſt conditionalis, & ideo cum contractus remaneat ſuſpenſus ob defectum conditionis, ſi interim res perit non poteſt amplius habere locum, & venditori Domino perit, cum nondum contractus effectum habuerit.

Non obſtant autem quæ in oppoſitum dicebantur. Nam quando dicitur traditione ſequta rem Emptori perire, intelligitur de traditione, quæ fit in virtute contractus emptionis. Dum autem non intervenit verus contractus, nec poteſt habere locum vera traditio; atque ita ſolvuntur, quæ ſimul opponebantur ad idem probandum; Valent enim prout referuntur ad venditionem, vel ipſam ſubſequuntur, nec aliam vim habent ad transferendum Dominium niſi eam quam derivant a venditione. Quapropter cum probaverimus ſine pretii taxatione venditionem non ſubſiſtere, nec transferre Dominium, neque valebunt ad transferendum Dominium ponderatio mercium, ſeparatio, earumque conſignatio ſive tranſmiſsio, quæ ad rem noſtram eamdem vim habet. Merces itaque pereunt Geminiano, qui venditione nondum ſequta adhuc retinet earum Dominium.

CAS. III. Remigius mutuos accepit quinquaginta aureos a Franciſcus dato ipſi Chyrographo ad debiti confeſſionem; alios pariter quinquaginta aureos mutuos accepit a Mauritio; nullo quidem dato Chyrographo, ſed dato pro pignore aureo Horologio. Accedit vero poſt aliquod tempus, quod Franciſcus nihil de ea re requiſitus remiſit Chyrographum Remigio, quod præſtitit etiam Mauritius de Horologio; quo peracto uterque eſt mortuus.

Qu. an Remigius teneatur hæredibus reſtituere.

Reſp. non teneri Remigium ad reſtituendos quinquaginta aureos hæredibus Franciſci a quo eſt ipſi remiſſum Chyrographum continens debiti confeſſionem, teneri vero ad eoſdem aureos reſtituendos hæredibus Mauritii a quo ipſi remiſſum eſt aureum horologium datum pro pignore. Primum deſumitur *ex l. 2. ff. de Pactis*. Pacta enim alia ſunt expreſſa, alia tacita. Priora ſunt quæ claris verbis inter præſentes, vel per epiſtolam inter abſentes celebrantur. Poſteriora vero, quæ tacito conſenſu, ſeu re ipſa ſine verbis fieri videntur. Jam vero inter alia exempla, quæ affert Gloſſa tacitæ conventionis, hoc etiam habetur, quod ſi quis reddat debitori cautionem, ſeu Chyrographum ſuum, cenſetur tacite paciſci de non petendo debito, illudque remittere.

Hoc porro dum aſſeritur, & congrua ratione probatur, aſſeritur etiam, & illuſtratur diſparitate quod pignoris reſtitutio non eximit a debiti ſolutione. Gloſſa enim, & Doctores ibidem, hanc afferunt rationem quia redditio Chyrographi nullam aliam affert utilitatem debitori, niſi ut eum liberet a ſolvendo debito; unde hanc afferre cenſetur ne alias nihil agatur. Secus eſt in pignore: Nam pignus redditum affert plerum-

que

Digitized by Google

que debitori aliam utilitatem , ut in re noſtra uſum ejuſdem horologii , & etiam decus , quod ab eo geſtando ſolet reportari , unde Remigius reſtituto pignore poteſt opinari voluiſſe Mauritium de ejus commodo ipſum gratificari . Deinde in Chyrographo continetur jus obligationis , ſicque eo reddito tacite cenſetur remiſſa ipſa obligatio : e contra in pignore , ſolum continetur jus pignoris , non obligationis ; unde eo reddito , cenſetur remiſſum eſſe ſolum jus pignoris , non autem obligationis .

MENSE MARTIO.

CAS. I. CUM Parochus feria quinta in Cęna Domini celebrare non potuerit , atque , ut putabat conſummare majorem hoſtiam quæ ſervabatur in Oſtenſorio pro expoſitione , aliamque conſecrare pro ſequenti die , in qua non conficitur Sacramentum , ne populus die Veneris Sancti Miſſa & Officio careret , juxta ritum Eccleſiæ omuia peregit , uſus in Miſſa hac Hoſtia , quæ in Oſtenſorio ſervabatur.

Qu. an hoc ipſi licuerit.

Reſp. Quod ſive attendatur rubrica miſſalis in Miſſa feriæ quintæ in Cœna Domini, ſive ritus univerſalis Eccleſiæ , ſive ratio myſterii quod eo die celebratur , clare conſtabit non licuiſſe Parocho in die Veneris Sancti Sacrum ritum peragere , adhibendo majorem Hoſtiam pluribus antea diebus conſecratam, quæ in Oſtenſorio ſervabatur. Non licuit, inquam , attenta Miſſalis rubrica , quæ poſt communionem hæc præcipit : *Hodie Sacerdos conſecrat duas Hoſtias , quarum unam ſumit , alteram reſervat pro die ſequenti , in quo non conficitur Sacramentum*. Jam vero hoc verbum *Hodie* ſignificat , & importat in ipſa quinta feria conſecrandam eſſe Hoſtiam pro ritu die ſequenti celebrando . Pariter eadem rubrica Miſsalis in Miſſa feriæ ſextæ Paraſceve poſt adorationem Crucis dicit : *Ordinatur Proceſſio ad locum , ubi Pridie Sacramentum repoſitum fuerat* , quæ verba probant ritum hujuſmodi correlativum eſſe ad præcedentem, atque adeo præcedenti die conſecrari , & reponi debuiſſe Hoſtiam, quæ tunc erat deferenda.

Probat id ipſum Ritus univerſalis Eccleſiæ , qui ubique gentium ita ſervatur , ut antedicta Conſecratio , & Repoſito fiat in Miſſa Feriæ quintæ in Cœna Domini . Ergo talis Ritus mutari non poteſt , & practicari in alia die ex præcepto atque doctrina Concilii Tridentini *ſeſſ.* 7. *cap.* 13. ubi ſic definivit : *Si quis dixerit receptos , & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in Solemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos , aut contemni , aut ſine peccato a Miniſtris ſuo libito omitti , aut in novos alios per quemcumque Eccleſiæ Prælatum mutari poſſe , anathema ſit .*

Sequitur Myſterii ratio , quod ſignificatur , & continetur in repoſitione Hoſtiæ conſecratæ , in Miſſa Feriæ quintæ Cœnæ Domini quæ ratio prorſus evincit nullo modo licere hunc ritum pervertere , ne ipſa Myſterii ratio perverti videatur . Hæc enim Conſecratio , & repoſitio Hoſtiæ pridie facta , Sepulchrum Chriſti ſignificat , ut notat Gavantus *in rub. Miſſ. part.* 4. *tit.* 8. *verb. Palla*, *& Patena cooperit* , ubi ſic loquitur : *Palla ſignificat lapidem ad oſtium monumenti , & Patena quaſi ſigillum Phariſæorum : cum enim Sabbato Sancto anticipetur Miſſa , quæ de nocte dicebatur ; congruit etiam accelerari repræſentationem Sepulchri Chriſti* . Igitur omittendo Conſecrationem , & repoſitionem Hoſtiæ Feria

ria quinta in Cœna Domini , & adhibendo Hoſtiam antea conſecratam , deſtruitur Myſterium Sepulchri Chriſti Domini contentum in repoſitione ipſius Hoſtiæ in calice cooperto Palla , & Patena facienda poſt Miſſam Feriæ quintæ . Parochus itaque potius permittere debebat , ut Populus die Veneris Sancti eo Myſterio careret , ad quod nullo præcepto adſtringebatur , quam in re gravi Rubricas Miſsalis pervertere , opponi Ritui univerſalis Eccleſiæ , rationemque Myſterii hac mutatione deſtruere.

CAS. II. Cum Parochus calicem quidem deaurari curaverit , non curaverit autem iterum conſecrari , recuſat Capellanus in eo calice celebrare.

Qu. an jure faciat.

Reſp. Capellanum hunc optimo jure recuſare potuiſse conſecrare in Calice poſt deaurationem non amplius conſecrato . Scio quidem id licitum affirmare Laymanum , Durandum , Coninchium , Dianam , alioſque , atque has afferre rationes . Primo quidem quia Conſecratio iteranda non eſt niſi in caſibus a jure expoſitis ; non exprimitur autem in jure Calicem deauratum eſse iterum conſecrandum . Secundo , per deaurationem non immutatur forma Calicis : unde ſicut Eccleſia non eſt iterum conſecranda licet muri ejus dealbentur, aut novo cæmento obducantur; ita neque Calix erit iterum conſecrandus licet poſtea deauretur . Tertio , Quando Calix conſecratur , & Sacro Chriſmate intrinſecus perungitur , non ſola ejus interior ſuperficies conſecrata cenſetur , ſed totus Calix ; ergo addita nova ejus ſuperficie per deaurationem , non videtur neceſse ipſum de novo conſecrare , quia major pars ſacra tradit ad ſe minorem , nempe totus Calix trahit ſecum ſuperficiem , eamque ſufficit ſacram . Quarto , ſicut Corporalia non indigent nova benedictione quamvis laventur , ac intus novo amylo obducantur , & Calix ipſe nova conſecratione non indiget licet per uſum diuturnum deaurationem amiſerit , ita etiam videtur idem dicendum , ſi calix deauretur.

Probabilior tamen ſententia , quam tenent Angelus , Suarez , Silveſter , Azorius , aliique communius affirmat Calicem per deaurationem amittere conſecrationem , atque ideo eſse reconſecrandum quando deauratur quo ad illam partem , ſeu ſuperficiem , quæ immediate tangit Sanctiſſimum Sacramentum Corporis , & Sanguinis Chriſti . Conſecratio enim Calicis , & Patenæ principaliter fit propter immediatum contactum Corporis , & Sanguinis Chriſti ; unde & illa ſola pars ſeu ſuperficies in qua fit contactus ille ſacro chriſmate perungitur . Atque poſita nova deauratione , contactus ille nequit amplius fieri in parte , ſeu ſuperficie conſecrata, cum aurum noviter additum non ſit conſecratum , nec chriſmate delibutum : ergo . Accedit praxis Eccleſiæ , & recepta conſuetudo Calices deauratos denuo conſecrandi , quæ quidem conſuetudo eſt optima legum interpres.

Hinc autem apparet quid ſit reſpondendum ad ratioues oppoſitas . Ad Primum enim utique cautum eſt jure Calicis deauratos eſse reconſecrandos. Hoc ipſo enim quod habeatur in jure conſecrari Calices propter immediatum contactum Corporis , & Sanguinis Chriſti , cum per deaurationem amplius non habeatur contactus hujuſmodi , eodem jure colligitur eſse repetendam conſecrationem . Ad alterum , verum eſt quidem per deaurationem formam Calicis non immutari , ſi ſermo ſit de forma exteriori ; immutatur tamen forma interior & principalis , in qua habetur immediatus Sacramenti contactus . Nec urget exemplum Eccleſiæ , e-

juſque

Digitized by Google

juſque parietum , nam hic non intervenit talis contactus immediatus.

Sequitur tertium . Pro cujus confutatione reſpondeo , quod quando dicitur major pars trahit ad ſe minorem , major pars trahens minorem, non illa cenſetur , quæ major eſt quantitate molis , ſed illa , quæ eſt major ſeu dignior . Porro in caſu noſtro ſola pars interior Calicis , & ſuperior Patenæ immediate tangens Sanctiſſimum Chriſti Corpus , nobilior eſt & principalior , unde argumentum militat in oppoſitum . Ad ultimum dico inſtantiam de Corporalibus parum urgere , ea enim neque Chriſmate inunguntur ut Calix & Patena ; neque per lotionem accipiunt novam aliquam partem, quæ immediate ordinatur ad Chriſti Corpus tangendum prout accidit in Calice intrinſecus deaurato . Amylum quippe ſolum inducitur ad Corporalis decorem , ipſumque indurandum , atque eadem de cauſa haud immerito dicitur quod Calix deperdat conſecrationem , quando deauratio ſolum decidit per non uſum , nulla autem nova portio aurei per deaurationem accedit.

CAS. III. Cyprianus furatus Parocho 50. aureos , & mobile pretioſum , mox facti pœnitens , æquivalentem ſummam erogavit in pauperes, quo peracto putat ſe non amplius teneri ad ullam reſtitutionem.

Qu. an Confeſſarius ipſi debeat acquieſcere.

Reſp. ad hujus Caſus reſolutionem plura eſſe attendenda . Bona enim ſublata Parocho vel ſunt bona ipſius patrimonialia , ſeu quaſi patrimonialia , vel ſunt bona pertinentia ad Eccleſiam cujus eſt Parochus & adminiſtrator , ſive ſint bona mobilia pretioſa , ſive immobilia , vel denique ſunt bona quidem Eccleſiæ , ſed deſtinata ad ipſius Parochi ſuſtentationem , qualia ſunt reditus , & fructus ſui beneficii.

Porro ſi ſermo ſit de bonis primi generis , conveniunt omnes eſſe Parocho reſtituenda . Parochus enim vere eſt Dominus , non ſecus ac alius quiſlibet Eccleſiaſticus in ordine ad ſua bona patrimonialia , ergo ſi quis ea abſtulerit tenebitur reſtituere , non ſecus ac ſi abſtuliſſet a laicis . Quod ſi bona ſublata , ſint bona Eccleſiaſtica , tunc etiam erunt Parocho reſtituenda , quamvis enim eorum proprie non ſit Dominus ; eſt tamen adminiſtrator legitimus , & cum læſus fuerit per talem ablationem , nedum ad compenſandam injuriam ; ſed etiam ad reſtituendam adminiſtrationem ipſi facienda eſt reſtitutio. Excipe tamen caſum in quo non fuerit adminiſtrator fidelis , ſed potius dilapidator ; tunc enim æquum non eſſet ut ea bona ipſi reſtituerentur , ne in præjudicium Eccleſiæ ea diſſiparet ; unde in ea Hypotheſi vel eſſent reddenda Eccleſiæ, vel reſervanda Succeſſori , ut docet Angelicus . Quamquam enim ob ſolam prodigalitatem , & malam adminiſtrationem non debeat ſpoliari Parochus jure adminiſtrationis quantum ad ea bona Eccleſiæ quorum ipſe eſt Dominus ; ne tamen gladius detur furioſo , & bona aliena dilapidatori , ſecus dicendum eſt de iis bonis , quæ pertinent ad Eccleſiam.

Supereſſet itaque difficultas de tertio bonorum genere , illis quidem , quæ licet ſint bona Eccleſiæ pertinent tamen ad Parochi ſuſtentationem. Cum enim hujuſmodi fructus poſſint eſſe ita pingues , ut qui ſuperſunt ad propriam ſuſtentationem teneatur Parochus in pauperes erogare , ſi forte de eo percrebuerat rumor , quod omnia diſſiparet , & nihil pauperibus largiretur , potuit Cyprianus hoc ſibi dictamen efficere , eſſe pauperibus diſtribuendum , quod ipſis a Parocho debebatur . Hic vero gravis oritur controverſia an ſcilicet Clerici de bonis excedentibus propriam ſuſtentationem verum dominium habeant , an ſolam adminiſtrationem .

Si

Si enim dominium habent, quamquam graviter peccent expendendo in uſos profanos, non autem in commodum Eccleſiæ, & pauperum utilitatem, habent tamen jus quod ipſis reſtituatur quidquid ablatum eſt, ſi vero habeant ſolam adminiſtrationem, quamquam ut vidimus propter ſolam prodigalitatem hac abſolute ſpoliari non debeant, tamen quantum ad reſtitutionem poſſet eſſe alia ratio. Abſtineo autem ab hac prolixa quæſtione dilucidanda, cùm ad rem noſtram ſit minime neceſſaria. Nam quod attinet ad mobile pretioſum, certum eſt eſſe in ſpecie reſtituendum, quod vero attinet ad 50. aureos, cum neſciat Cyprianus cui pertinerent, non ſatisfacit in pauperes erogandos. Videatur Navarrus *in man. c.* 17. Covaruvias *in cap. cum eſſet*. Adrianus *in tr.* 1. *de reſt.*, & alii apud ipſos.

MENSE APRILI.

CAS. I. Tiburtius miſeratione motus erga Cajum indigentem quod nullis artibus exigere poſſit certum debitum ab Ambroſio, clam ſurripit ab ipſo Ambroſio, & ſatisfacit Cajo.

Q. an peccet, & reſtituere teneatur.

Reſp. Tiburtium clam ſurripientem Ambroſio debitori Caii, ut Cajo ſatisfaciat, peccare quidem, & graviter contra juſtitiam legalem, non autem peccare contra juſtitiam commutativam, neque propterea ad reſtitutionem teneri. Peccavit inquam contra juſtitiam legalem, quia clam occulte ſurripiendo uſurpat officium Judicis, quod lædit, adeoque ad reparandam ipſius injuriam tenetur rem in priſtino ſtatu reſtituere. Præterea data ſemel hac opinione ordo juſtitiæ ſubverteretur, clandeſtinæ acceptiones paſſim contingerent, & plurima crimina inde obvenirent. Non peccavit autem contra juſtitiam commutativam, quia juſtitia commutativa non læditur, niſi conſtituatur inter alios inæqualitas. In præſenti autem hypotheſi nulla inæqualitas conſtituatur. Non inter ipſum debitorem, & Creditorem ipſius, nam ipſe Creditor conſequtus eſt id, quod ipſi debebatur, & Debitor ſi caret re ipſi clam ablata, caret etiam onere, quo erga Creditorem tenebatur. Neque etiam inæqualitas conſtituitur inter Debitorem, & illum tertium, qui rem clam accepit. Hic enim nihil eſt conſequutus, nec in aliquo damnificavit debitorem, qui ſi re ſua ſpoliatus eſt, compenſatus eſt etiam in illa exoneratione debiti quo premebatur, unde ſequitur quod Tiburtius qui clam ſurripuit res illius debitoris ſolum peccaverit contra juſtitiam legalem illius ordinem invertendo, & aſſumendo onus quod illi non competebat, non autem contra juſtitiam commutativam. Hoc tamen ut verum ſit debent, ſervari leges quæ ad validam compenſationem requiruntur; nam inter cætera ſi remaneret contra Ambroſius Syngrapha debiti, & vel a Cajo, vel ab hæredibus ad novam ſolutionem obligari poſſet, tunc utique Tiburtius ad damni reparationem teneretur. Videatur Medina *de reb. reſtit.* q. 3. & alii paſſim.

CAS. II. Cletus capſulam pro mortuis ab Eccleſia furatus, poſtmodum pœnitentia ductus, pecunia in ea reperta totidem Miſſas pro Defunctis celebrari curavit.

Qu. an teneatur ad aliam reſtitutionem.

Reſp. diſtinguendum eſſe uſum qui de hujuſmodi capſulis pro mortuis in Eccleſis expoſitis juxta variam locorum conſuetudinem, id quidem non ignorantibus, qui Eleemoſynas elargiuntur, fieri conſuevit. Aliquando

Digitized by Google

enim pecunia in ipſis reperta celebratur generale officium ; & aſſignato ſingulis Eccleſiæ operariis congruo ſtipendio , reliquum erogatur in totidem Miſſas juxta conſuetam eleemoſynam . Aliquando Miſſæ celebrantur ſucceſſive ad commodum Capellani ; ita quidem ut quaſi ex tacita conventione eleemoſyna hæc ſit veluti pars ejuſdem ſuſtentationis : Aliquando etiam aut peculiaris Solemnitas , aut octavarium pro Deffunctis celebratur , & licet plures Miſſæ celebrentur , major tamen pecuniæ quantitas impendi ſolet pro Eccleſiæ apparatu , cantoribus &c. Hæc vero aliquando ita fiunt cum eleemoſyna in iis capſulis reperta , ut ſi ille defecerit omittantur , aliquando vero ipſa deficiente ſupplere debent Eccleſiæ redditus . Enim vero hæc & ſimilia ſunt attendenda ut Confeſſarius de Cleti conſcientia judicare poſſit , & onus reſtitutionis vel prorſus auferre , vel augere , vel imminuere . Certum eſt enim quod quamquam fortaſſe nihil reſtituere teneretur , furti tamen eſt reus , gravem injuriam Eccleſiæ intulit , Dei cultum impedivit & parochianos opportunitate fraudavit qua facilius , & copioſius ſacrum audirent.

Quod vero attinet ad onus reſtitutionis ; Si ea pecunia totidem Miſſæ indiſcriminatim in quibuſvis Eccleſiis , atque a Sacerdotibus indeterminatis conſueta eleemoſyna celebrari conſueverant , atque idem preſtitit Cletus ; cum Defunctorum ſuffragio , & benefactorum intentioni , conſuluerit , ad aliam reſtitutionem obligandus non erit . Si vero varius erat uſus ejuſdem pecuniæ juxta varias circumſtantias ſuperius commemoratas , tunc damnum illatum attendi debebit , & juxta ipſum erit attemperanda reſtituendi obligatio . Ita paſſim auctores de radic. reſtitut.

CAS. III. Filius Familias plura identidem ſurripit Patri ; & quidem in notabili quantitate . Reprehenſus a Confeſſario reſpondet , ſe tuto id facere . Habet enim hæreditatem in ſui favorem , cum hac conditione ne fructus percipiantur a Patre ; qui quidem fructus cum ipſi a Patre denegentur , putat ſe uti poſſe compenſatione .

Qu. an Confeſſarius hac reſponſione contentus eſſe debeat.

Reſp. Confeſſarium etiam exiſtimantem fructus legati ea conditione relicti , Filio Familias vere ſpectare , plura adhuc interrogare debere priuſquam eſse debeat de ejus reſponſione contentus . Debet enim inquirere an bona ſuſcepta vere ad Patrem pertineant , an certo ſciat in alium non poſſe cadere ſuſpicionem , an denique timere quis poſſit ne fructus hujuſmodi per occultam compenſationem percepti , iterum alia repetantur a Patre , aut alia damnificationis ratio poſſit inde procedere.

Hiſce autem cautionibus ſemel adhibitis , ut deveniamus ad caſus reſolutionem , ſunt qui dubitant aut legatum hoc non ſubſiſtere cum adjecta conditio contraria ſit juris diſpoſitioni , qua cautum eſt ut uſus fructus bonorum adventitiorum pertineret ad Patrem ; aut etiam ſuppoſita validitate legati adhuc uſumfructum ad Patrem ſpectare ; cum illa conditio utpote contraria juris diſpoſitioni haberi debeat pro non adjecta , ſicuti legatum ea lege relictum Religioſo profeſſo , ut nihil legati ad Monaſterium referatur , rejecta veluti turpi , & juri contraria ea conditione, quibus admiſſis, erit utique injuſta ea compenſatio.

Verius tamen Silveſter , Bartolus , & cum aliis Petrus Navarra *lib. 3. de reſt. c. 1.* contendit legatum ſubſiſtere cum ea conditione , eaque ſemel admiſſa , etiam uſumfructum legati ad Filium ſpectare.

Valet , inquam legatum cum ea conditione ; ſi enim Filio Familias , qui mi-

miles non ſit ; donetur aliquid cum hac expreſſione , quod ſit ei caſtrenſe , quantumvis non teneat in ratione boni caſtrenſis , tenet tamen in ratione boni adventitii , ita etiam tenebit in ratione boni adventitii legatum cum ea conditione relictum Filio , ut etiam uſus fructus ipſi pertineat ; ea enim conditio nihil aliud importat niſi quod legatum hujuſmodi haberi debeat quaſi caſtrenſe . Præterea illa conditio ut uſufructus non pertineat ad Patrem non eſt per ſe irritativa legis ; nam inter caſus exceptos in quibus acquiſita a Filio vivente Patre , licet non deſinant eſſe bona adventitia , etiam quoad uſum fructum pertinent Filio ; hic etiam habetur , niſi aliquid ſit donatum , aut relictum hoc pacto , ut uſusfructus non pertineat ad Patrem . Quantumvis enim bona adventitia ex juris diſpoſitione quoad proprietatem pertineant ad Filium , quoad uſum fructum ad Patrem , quando aliud non eſt expreſſum , talis tamen diſpoſitio juris non impedit , quominus ex libera voluntate teſtantis , conditio adiici poſſit , quod plene pertineant ad eumdem Filium, quia hæc conditio eſt præter naturam boni adventitii , non autem ipſi contraria . Procedit enim legatum a libera voluntate legantis , qui rebus ſuis poteſt eam legem ſtatuere , quæ ſibi placuerit ; unde corruit oppoſita ratio , quia nempe adjecta conditio , eſt quidem præter legis diſpoſitionem , non autem contra .

Quod autem ſuppoſita legati validitate uſus fructus pertineat ad Filium , tum ex dictis colligitur , tum ex lato diſcrimine , quo facile corruit exemplum adductum . Ratio enim diſparitatis conſiſtit in eo , quod hæreditas relicta Monaco reſpicit perſonam omnino incapacem talis hæreditatis ex vi proprii ſtatus ; unde tanquam impoſſibilis vitiatur , atque reiicitur . Conditio autem appoſita legato relicto Filio Familias , non reſpicit perſonam incapacem uſus fructus , cum ſit capax ejuſdem in bonis caſtrenſibus , & non eſt contra diſpoſitionem juris cum nullum jus vetet relinqui Filio Familias uſum fructum , ſed ſolum præter , & ideo nulla eſt ratio cur ſtante expreſſa voluntate Teſtatoris , non debeat plane ſuum effectum ſortiri . Itaque Filio Familias , cui de hoc legato , cum hac conditione proviſum fuerit , ſi alia concurrant poterit eſſe licita compenſatio .

M E N S E M A J O.

CAS. I. Parochus ad Eccleſiam accedens proxime celebraturus , audiens duos Parochianos ita in ipſa fuiſſe rixatos , ut alteri avulſi ſint dentes , cum ſanguinis effuſione ; quærit ab Archipresbytero quid agere debeat .

Attenditur ejus reſponſum .

Reſp. plura ab Archipresbytero eſſe attendenda , priuſquam huic quæſtioni reſpondeat . Debet enim attendere ad evulſionem dentium , an ſcilicet percuſſione , vel vulnere avulſi fuerint . Debet etiam attendere ad ſanguinis effuſionem , an fuerit levis , vel copioſa ; & licet copioſa reperiatur , debet ulterius inquirere an hæc copia profluxerit ratione vulneris inflicti , an quaſi naturaliter quatenus , quoties dens evellitur , ſuapte natura magna ſanguinis copia ſolet effluere . Denique rixæ modum debet conſiderare & vulneris rationem . Quamquam enim rixa excitata fuerit injurioſa Eccleſiæ , & graviter peccaminoſa , tamen contingere potuit , ut vulnus inflictum fuerit præter intentionem rixantis & actione prorſus accidentali , atque adeo minime peccaminoſa .

Digitized by Google

Quamquam enim putaverit Alphonſus de Caſtro quamlibet minimam effuſionem ſanguinis, niſi forte ſit tantum una aut altera gutta, Eccleſiam polluere; Communis tamen opinio requirit copioſam, & abundantem effuſionem. Sumus enim in materia odioſa, & proinde verba diſpoſitionis, ultra propriam ſignificationem extendenda non ſunt. Cum ergo jura diſponant pollui Eccleſiam per effuſionem ſanguinis, debet effuſio accipi in propria ſignificatione quatenus ſignificat abundantiam, & largitatem.

Pariter ſola non ſufficit etiam notabilis effuſio ſanguinis, ſed ulterius requiritur quod oriatur ex vulnere, ipſiuſque vulneris rationem ſequatur. Percuſſio enim ſequta in naribus, ita quidem ut ſiſtat in ipſis, nec offendat aliquam aliam partem, eam aperiendo, ita ut vulnus ſequatur, utcumque fuerit percuſſio gravis, magnamque educat ſanguinis copiam, Eccleſiam tamen non polluit. Jura enim quando conſtituunt pro cauſa pollutiva Eccleſiæ, ſanguinis effuſionem, effuſionem ipſam conſiderant tanquam opus ſævitiæ, & tanquam aliquam inchoationem privationis vitæ; quando enim incipit ſanguis effundi, incipit ſubtractio fundamenti ejuſdem vitæ, quod opus adeo abhorret Eccleſia ratione ſuæ lenitatis, ut juſtæ etiam humani ſanguinis effuſioni impoſuerit inhabilitatem irregularitatis. Hoc autem locum non habet quando ſanguis per nares effunditur, quia tunc extrahitur mediante organo quo natura ex qualibet levi cauſa per ſe utitur ad capitis exonerationem.

Eadem ratione poteſt accidere ut licet percuſſione in naribus facta leve aliquid vulnus inflictum fuerit, per quod magna ſanguinis copia emanaverit; tamen hæc emanatio ſufficiens non ſit ad pollutionem Eccleſiæ, utpote quæ non tam vulneris, quam narium rationem ſecuta fuerit. Quamquam enim ad polluendam Eccleſiam neceſſarium non ſit vulnus eſſe læthale, tamen per omnes vulnus grave requiritur; & licet in dubio an vulnus ſit grave, vel leve, ex copia ſanguinis judicetur, debet tamen hic ſanguis ex ipſo vulnere derivari.

Dictum eſt etiam eſſe conſiderandum, tum rixæ modum, tum vulneris rationes. Actio enim pollutiva Eccleſiæ formaliter ſumpta, eſt peccaminoſa vulneratio cum copioſa ſanguinis effuſione. Non ſufficit itaque quod tota rixa fuerit peccaminoſa, ſed ulterius requiritur quod peccaminoſa fuerit, etiam vulneratio. Quamvis enim detur opera rei illicitæ, & caſu ſanguis effundatur, non tamen Eccleſia polluitur. Effuſio enim adhuc caſualis eſt, atque adeo non eſt culpabilis & injurioſa Eccleſiæ, ſed tota injuria, quæ ipſi infertur ſiſtit in exercitio rei illicitæ, nec ſe extendit ad ſanguinis effuſionem, utpote per accidens conſequentem. Quæ omnia late proponuntur, & diſputantur a Paſqualigo q. 553. & ſequentibus.

Archipresbyter itaque ſi forte his animadverſionibus deprehendat percuſſione, non vulnere, aut ſine vulnere fuiſſe dentes avulſos, copiam ſanguinis vel levem fuiſſe, vel ab ipſa dentium avulſione naturaliter derivatam, denique vulnus ſi interfuit, fuiſſe caſuale, poterit reſpondere Eccleſiam non fuiſſe pollutam.

CAS. II. Confeſſarius complex in re venerea, vocatus ad ſuæ complicis Confeſſionem, inſiſtente mortis periculo, ad ipſam accedit, neque enim præſto habet niſi Sacerdotem quemdam tantæ habetudinis ex morbo contractæ, ut cum vix noverit, quæ ad Miſſam pertinent, pluribus ab annis librum aliquem ne legerit quidem.

Qu.

Qu. an hujus Sacerdotis unice copiam habens, ſi abſolvat pœnas incurrat.

Reſp. Ut clare procedam ad hujus caſus reſolutionem, ea placet afferre, quæ Theologi diſputant de Pœnitente, qui in mortis articulo confiteretur Confeſſario prorſus ignaro, an ſcilicet hoc non obſtante ejus confeſſio eſſet valida. Vaſquez itaque *in 3. part. t. 4. q. 93.* affert opinionem Silveſtri, qui ait, quod Confeſſio hujuſmodi facta in extrema neceſſitate etiam ignorantiſſimo Sacerdoti confert gratiam, & eſt verum Sacramentum, ſed poſtea elapſo periculo eſt iteranda. Propoſita autem hac opinione reponit Vaſquez hæc duo in primis male cohærere eſſe verum Sacramentum., & validam Confeſſionem, & iterandam, cum nullus teneatur peccata legitime confeſſa iterum confiteri, cum nulla ab alio apponitur nova obligatio, ſed ſola attenditur ratio Sacramenti. Addit præterea opinionem hanc falſam eſſe quia in extrema neceſſitate non variantur ea, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, & quæ requiruntur ex parte miniſtri, ita ſunt neceſſaria ſicut extra illum articulum, quod ſimiliter verum eſt quando confeſſio fieret bona fide: neque enim bona fide amplius efficere poteſt, quam a nova culpa excuſare pœnitentem accedentem ad Sacerdotem ignorantem. Nihilominus tamen veram exiſtimat ſententiam Silveſtri, ſi caſus accidat in extrema neceſſitate, & Sacerdos non ſit prorſus ignarus, ſed alia peccata etiam communia ignoret, alia vero bene diſtinguat, deficiente tamen alio Sacerdote. Hic enim locum haberet ratio ne fieret integra confeſſio; aut licet ex parte pœnitentis fieret, licet ex parte Sacerdotis non integra indicaretur, valida eſſet, quia ſicut neceſſitas excuſat pœnitentem ab integra confeſſione ex parte ipſius, ita eadem excuſat ex parte Sacerdotis, & hæc neceſſitas poteſt eſſe ignorantia. Si autem in hoc caſu neceſſitas ceſſet, erit repetenda Confeſſio, ſed ſolum ex ea parte, quæ non fuit integra ex parte Sacerdotis, quia cætera peccata vere confeſſa fuerunt. Huc uſque Vaſquez, cujus doctrina, qua parte corrigit opinionem Sylveſtri, ſua obſcuritate non caret. Quamquam enim recte deſcendat ejus reſponſio ex deffectu integritatis in confeſſione quam excuſat in eo caſu neceſſitas, practice tamen non ſatis intelligitur quo pacto facienda ſit ea tantum partialis iteratio Confeſſionis, quam ipſe etiam neceſſariam exiſtimat. Cum enim Pœnitens cognoſcere nequeat quanta fuerit Sacerdotis ignorantia, & quæ peccata recte diſtinxerit, quæ vero ſecus, ſi eſt neceſſaria hæc iteratio, niſi omnia repetat non poterit eſſe tutus in conſcientia.

Clarius fortaſſe ſuper hac re loquitur Hurtadus *t. 2. n. 2069.* aſſerens in articulo mortis, quando non adeſt alius Sacerdos, niſi ille prorſus illiteratus, cum in illo caſu nullus ſit caſus reſervatus, nec fieri debeat, nec poſſit aliqua detentio abſolutionis, ſicut ſufficit quod quis det ſigna contritionis, abſque eo quod explicet aliquod peccatum in particulari, circa quod exerceatur judicium Sacerdotis in particulari, abſque dubio abſolutio valida erit, ſi tamen abſolutionis verba proferantur cum intentione faciendi quod facit Eccleſia.

Similia omnino habet Lugo *De pœnit. diſp. 21. ſec. 4.*, ubi poſtquam aſſeruerit peccare, qui ineptum eligit ad hoc officium, ſive ſit Prælatus, ſive etiam pœnitens, qui habet facultatem eligendi Confeſſarium & ſciat non eſſe idoneum licet approbatum, dummodo ipſe pænitens Doctrina ſua inſcitiam Confeſſarii ſupplere non valeat; hoc, inquam, cum dixerit, excipit caſum neceſſitatis, ut in articulo mortis, in quo licet

Sa-

Sacerdos ſit ignarus & indoctus, debet audire Confeſſionem & abſolvere, quia ſcientia Confeſſarii requiritur ad integritatem Confeſſionis; cum autem in illo periculo non requiratur materialis integritatis, ſed ſufficiat percipere aliquod peccatum, vel etiam peccatum in genere, inſcitia confeſſarii obſtare non poterit.

Jam vero hiſce animadverſionibus attente conſideratis, poterit quiſque facile judicare an in caſu propoſito licere potuerit abſolvere complicem. Cum enim habeatur in Bulla complicem Confeſſarium habendum eſſe veluti laicum, & in caſu neceſſitatis relinquendum eſſe locum ſimplici Sacerdoti qua fiat mentio de docto, aut ignaro, dummodo idoneus ſit ad validam impertiendam abſolutionem; Cum etiam inferatur ex dictis in caſu neceſſitatis ignarum Sacerdotem valide abſolvere, dum formam noverit abſolutionis, & intentionis requiſitæ capax habeatur, dicendum videtur debuiſſe Confeſſarium noſtrum huic Sacerdoti locum relinquere, atque adeo non ipſi licuiſſe impertiri abſolutionem, dum ejus copiam habebat. Quantacumque enim fingatur illius habetudo, ſi habebatur capax celebrandi Miſſam capax a fortiori haberi debebat impertiendæ abſolutionis. Cæterum qui in hac re plura deſiderat, attente legat opus doctiſſimum, quod nuper edidit P. Michael Angelus Griffini Pœnitentiariæ Rector, cui titulus *Animadverſiones in Benedicti XIV. glorioſæ recordationis binas Conſtit. De non abſolvendo complice peccati contra ſextum commiſſi* ubi aptiſſime traduntur regulæ ad caſus omnes in hac materia excogitabiles dilucidandos.

CAS. III. Gryſogonus furatus Cajo 20. aureos, & 15. Titio hac furtiva pecunia emit equum a Clemente, pretio quidem juſto, ſed ſummo, & eo etiam quod vocant affectionis; quo empto fugit. Re cognita comparent Cajus, & Titius, & a Clemente ſuam quiſque pecuniam repetit.

Qu. an Clemens, qui bona fide vendiderat, vel totum, vel partem, vel nihil debeat reſtituere.

Reſp. hujus caſus circumſtantias ita variare potuiſſe ut Clemens, qui bona fide equum vendiderat accepta in pretium pecunia furtiva, aliquando totum, aliquando partem, aliquando nihil reſtituere teneretur. Potuit enim accidere ut Clemens comparentibus Titio & Cajo diſtinctos adhuc & impermixtos conſervaret, tum 20. aureos Caii tum 15. Titii: Potuit accidere, ut conſumpſerit quidem aureos Titii, ſed illos Caii conſervaret, & viceverſa. Potuit demum accidere, ut illos 50. aureos aut conſumpſerit, aut cum ſuis confuderit. Præterea quamquam pretium ſummum, & illud etiam quod vocant affectionis ſi intra debitos limites contineatur, ſit pretium juſtum, fieri tamen potuit, ut Clemens ſi alteri quam furi equum vendidiſſet non ita facile potuiſſet aſſequi majorem illam ſummam ad quam fur fortaſſe pervenit, cum fugiendi neceſſitate coarctaretur. Facta autem hac diſtinctione reſolutio caſus ex iis clare deſcendit, quæ omnibus obvia ſunt, & diſputantur communiter ubi ſermo eſt de radicibus reſtitutionis. Si enim Clemens totam illam pecuniæ ſummam aut conſumpſit, aut cum ſua permiſcuit & nihil utilitatis habuit in pretio, quæ utilitas dici poſſit fructus ſuæ induſtriæ; nihil tenetur reſtituere, eſt enim Poſſeſſor bonæ fidei, & pecunia vel amplius non extat, ſi conſumpta eſt, vel tranſiit in ejus dominium ſi fuit cum alia permixta, mixtione enim dominium acquiritur. Si vero ſumma illa pecuniæ tota extat ſeparata & impermixta, eſt integre reſtituenda, res enim clamat ad dominum. Si denique partim ſeparata eſt puta illa Caii, partim confuſa, puta illa Titii, atque ita, quæ ſepara-

ta

ta eſt, debet ſuo domino reſtitui propter adductam rationem; quia res clamat ad dominum, quæ vero confuſa eſt, poteſt retineri, cum jam tranſierit in Dominium Clementis.

Aliquam de pretio ſupereſt difficultas, nam ſi majus illud incrementum ratione furis Emptoris habitum fuerit, tunc dici poſſet Clementem in hac venditione, qua parte reſpicit hoc incrementum, factum fuiſſe ditiorem, & cum re non extante Poſſeſſor bonæ fidei debeat id reſtituere in quo factus eſt ditior, debebit propterea Clemens incrementum hoc reſtituere, & pretium equi ad medium reducere. Si vero aliquis diceret etiam hoc incrementum proveniſſe Clementi non ratione furis, ſed ratione equi, & eſſe fructum induſtrialem; ſi hoc verum eſſet, id dici deberet quod de fructu induſtriali communiter docent.

MENSE JUNIO.

CAS. I. Laurentius rem gratam & utilem facturus Petro abſque ejus mandato emit leviſſimo pretio equum ipſi ſublatum. Dum autem deferendum curat, caſu fortuito Equus perit, poſtquam in ipſo ſalvando plures fecit expenſas.

Qu. an Petrus in pretio, & expenſis teneatur Laurentium indemnem ſervare.

Reſp. nullo juſtitiæ titulo teneri Petrum ad ſervandum indemnem Laurentium ſive in pretio in equi emptione ſoluto, ſive in expenſis factis pro ejus conſervatione. Licet enim Laurentius egerit bona fide, & ea charitate, qua motus erga Petrum ejuſdem bona ſtuduit vindicare, benevolentiam Petri mereri potuerit, non potuit tamen ipſis onus imponere, quo equum in ejus mane fortuito caſu pereuntem compenſare teneretur. Cum enim nulla conventio interfuerit inter Petrum & Laurentium, ut ejus bona, qua poſſet induſtria tueretur, ſi hoc ſponte fecit rem ipſi gratam facturus, obligatam ſibi non habuit Petri Perſonam, ſed ſolum eam bonorum partem ſibi potuit obligare quam ſua diligentia vindicavit a fure; qua propter licet equo ſuperſtite potuiſſet a Petro repetere pretium, & expenſas, aut ipſo renuente, ſuper equum ſe compenſare, equo tamen pereunte, nullum ipſi competit jus aut in Petri Perſonam, aut in cætera ejuſdem bona, cum Petrus nullam cum ipſo obligationem contraxerit, nec fuerit cauſa damni, quod caſus fortuitus Laurentio intulit. Ita communiter cum Rebellio, Layman, Vaſquez &c.

CAS. II. Mulier accuſat ſe, quod cum fuerit in Confeſſione ſolicitata, denunciavit quidem ſolicitantem, ſed denuntiationem culpabiliter diſtulit ultra tempus præfixum.

Qu. I. quod ſit tempus præfixum ad denunciandum. II. an ullam pœnam incurrerit. III. an a quolibet Confeſſario poſſit abſolvi.

Reſp. ad primum: Tempus determinatum pro denunciatione facienda pendere ab edictis inquiſitorum; nam licet onus denunciationis directe oriatur ex lege Pontificia; executive tamen pendet ab inquiſitorum decretis, qui ſub pæna excommunicationis compellunt ad ejus obſervantiam infra tempus determinatum. Si tempus inquirimus determinatum a Decreto ſupremæ univerſalis Inquiſitionis Romanæ *die 3. Jan. anno* 1623. aſſignat pro termino 12. dies. Quoniam vero decreto hujuſmodi, ut obſervat Bordonus cum aliis non eſt perpetuum, propterea ſtandum eſt termino a reſpectivis Inquiſitoribus preſcripto, cum hac tamen animad-

animadvertentia, quod dies termini, in termino non computantur. Ita Sanctarellus, Bonacina, Roſignollus, Diana, & alii.

Ad alterum dico, Obligatos ad denunciandum Confeſſarios ſolicitantes, ſi abſque legitima cauſa & vero impedimento neglexerint ipſos intra præfixum tempus denunciare, ultra peccatum mortale incurrere etiam excommunicationem latæ ſententiæ, ex Decreto ſupremæ & univerſalis Romanæ Inquiſitionis ſupra citato, ubi præcipitur ſub excommunicatione majori latæ ſententiæ denunciandos eſſe hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos; qua propter dubitari non poreſt pœnitentem, de qua eſt quæſtio dilationis culpabilis ſibi conſciam excommunicationem majorem incurriſſe.

An vero (ut tertio riſpondeam) facta denunciatione pœnitens a quocumque Confeſſario poſſit abſolvi, varia eſt Doctorum ſententia. Negant Salmaticenſes, aliique poſt ipſos ex edicto Sacræ Inquiſitionis ſupra citato. Affirmat vero poſt Lupum Roncaglia *p. 119*, quia reſervatio hujus cenſuræ perſeverat tantum durante contumacia, unde expirat facta denunciatione, idque infertur ex verbis edicti, quæ eſſe ſolent: *E dalla detta Scomunica, niſſuno ſe non da Noi, o dal Tribunale Supremo del S. Officio potrà eſſere aſſoluto, ſe prima non avrà ſoddisfatto al S. Officio*; quibus quidem attentis verbis videtur opinio hæc ſatis probabilis. Hoc tamen procederet juxta Edictum particulare Inquiſitionis, alicujus regni, Cum autem hoc non habeatur in Edicto generali, propterea laudanda videtur opinio utrinque media, Bordoni, Dianæ, aliorumque, qui afferunt, Pœnitentem ſolicitatum, qui ob omiſſam denunciationem incidit in excommunicationem, abſolvi quidem poſſe a Regularibus virtute ſuorum privilegiorum, aut aliis privilegiatis, ita ut opus non habeat ſe præſentari Pontifici, aut Tribunali Inquiſitionis, non autem abſolvi poſſe a quolibet ſimplici Confeſſario. Pars prima probatur ex eo quod Regulares virtute ſuorum privilegiorum, ſatisfacta parte poſſunt abſolvere ab omnibus reſervatis Summo Pontifici, in qua conceſſione licet habeantur variæ exceptiones, hæc tamen non reperitur. Alterum vero ex eo deſumitur, quod talis excommunicatio eſt reſervata Pontifici, & Inquiſitoribus, adeoque non poteſt abſolvi a ſimplici Confeſſario non habente ad id privilegium.

CAS. III. Federicus provocatus a Cajo ad promiſſionem juramento firmandam, juravit quidem, ſed vel non habuit animum jurandi, vel non habuit animum ſe obligandi, vel non habuit animum adimplendi.

Qu. an; vel in quo ex hiſce caſibus peccaverit, & juramento teneatur.

Reſp. Certum eſſe jurantem ſine animo jurandi peccare, idque colligitur ex prop. 25. damnata ab Innocentio XI., quæ dicebat: *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi ſive res ſit gravis, ſive levis.* Ratio autem eſt quia tunc illudit divino teſtimonio. An autem peccaverit graviter? Reſp. affirmative, ſi juret ſine animo implendi promiſſionem; Si vero cum animo implendi peccat tantum venialiter; ut communiſſime dicunt Sanchez, Tamburinus, Roncaglia, qui tamen excipiunt ſi juramentum fiat in contractibus, vel coram Judice, quia tunc licet non ſit perjurium, eſt tamen gravis deceptio contra juſtitiam.

Quid vero dicendum de jurante ſine animo ſe obligandi, ſed cum animo implendi, variant Auctores. Sunt qui dicunt peccare graviter, tum quia ſic jurans falſo ſignificat habere intentionem ſe obligandi quam vere non habet, tum quia videtur, gravis irreverentia adducere Deum in teſtem, & nolle obſtringi illius teſtimonio. Alii vero cum Antonio a Spiritu S.; cui adhæret Roncaglia probabilius exiſtimant hunc non peccare

niſi

niſi venialiter, nam ſic jurans, cum habeat animum implendi, quamvis non intendat ſe obligare, ex una parte non jurat falſum quia aſſerit verum de voluntate præſenti; ex altera vero cum hic voluntatem non habeat ſe ullo modo obligandi ex vi juramenti, de cujus intrinſeca obligatione eſt inducere obligationem Religionis, revera non jurat, & ideo juramentum hoc idem eſt ac ſi factum eſſet ſine animo jurandi, quod diximus non eſſe niſi veniale quando verum aſſeritur.

Quid vero dicendum an ſic jurans cum animo jurandi, ſed ſine animo implendi, juramenti Religione teneatur, duplex habetur Theologorum ſententia. Prima negat, tum quia hoc juramentum invalidum fuit, tum quia Deus juramenta promiſſoria, non acceptat niſi juxta jurantium intentionem. Jurans enim ſimpliciter ſine dolo, in foro conſcientiæ non obligatur niſi ſecundum ſuam intentionem, ut inquit Angelicus. Federicus autem juravit utique ſine dolo, qui juravit Cajo nullum ex juſtitia habenti jus ad rem promiſſam. Affirmat vero ſententia alia, quia qui jurat cum animo jurandi, jam verum juramentum emittit, & ideo tenetur efficere ad ſervandam reverentiam Divini Nominis, ut verum evadat quod jurat; nec poteſt ab juramento ſeparare obligationem adimplendi promiſſum, cum obligatio oriatur ex ipſo juramento, de cujus natura eſt ut effectum habeat quod juratur, ne Deus vocetur in teſtem falſitatis. Quamquam vero utraque ſententia ſua gaudeat probabilitate, prima tamen probabilior videtur. Communius enim conveniunt auctores, & firmior ratio convincit juramentum factum quidem cum animo jurandi, ſed ſine animo implendi, non eſſe verum juramentum, atque adeo veram obligationem nequaquam inducere. Obligatio enim ab juramento oriri non poteſt niſi verum ſupponatur, ſicut illud verum ſupponit ſecunda ſententia.

An autem mortaliter peccet, & obligetur ad promiſſum implendum jurans ſine animo implendi, ſed cum animo jurandi, & ſe obligandi; dico peccare mortaliter, quia tunc etiam de præſenti deficit veritas; dico etiam teneri ad implendum promiſſum, quia viget tunc eſſentia & obligatio juramenti. Quod etiam dicendum eſt licet ſic jurans nullum habuerit animum ſe obligandi ex vi promiſſionis, quia obligatur aliunde ex vi juramenti. Ita cum S. Bonav., Suarez, Mazzor. apud Sanchez l. 3. c. 10.

M E N S E J U L I O.

CAS. I. Cum in conceſſione cujuſdam indulgentiæ habeantur, hæc verba, quod indulgentia hæc ſit etiam applicabilis animabus Purgatorii, dubitat Albertus, an eam indulgentiam ſimul lucrari poſſit, & pro ſe, & pro Defunctis.

Qu. Reſponſio Parochi pro hujus dubii reſolutione.

Reſp. dubium hoc fuſe agitari a Clericato in diſcordiis forenſibus, ubi pro negativa parte definiens ſtatuit duas concluſiones. Prima ſcilicet, quod ſi ille qui lucratur indulgentiam, vult eam ſibi applicare, non poteſt ſimul illam elargiri animabus Purgatorii, quamvis ſit clauſula, quod elargiri poſſit etiam Defunctis, nam intelligitur caſu, quo viator ſibi eam nolit detinere. Altera vero, quod quilibet poteſt propria auctoritate applicare Defunctis opera ſua ſatisfactoria, qualia ſunt jejunia, eleemoſynæ, & orationes, ſecus autem indulgentias conceſſas ab Apoſtolica Sede fidelibus in hac vita degentibus, niſi ſit clauſula ut etiam Defunctis applicari poſſint, & tunc indulgentia non eſt dimidienda, ſed vel tota eſt re-

tinenda a vivente illam lucrante, vel tota animabus Purgatorii eſt applicanda.

Rationes porro quibus hoc declarandum aggreditur, brevius contractæ ad has revocantur. Primo: Indulgentia hæc, utcumque applicabilis, vel Viatoribus, vel Defunctis, eſt una tantum. At eſſentia *unius* conſiſtit in indiviſione, & indiviſibilitate. Secundo: Docent Canoniſtæ unum & idem miniſterium, opus, ſeu beneficium duabus perſonis dari non poſſe ob ejus naturæ indiviſibilitatem, quæ requirit ut unum, & integrum uni, & alteri detur; ita quoque hæc indulgentia Viatoribus, & Defunctis applicari non poterit. Tertio: Sicut indulgentia in conceſſione pendet a voluntate Summi Pontificis, ita circa formam, & conditiones quibus conceditur, ejus mens, intentio & voluntas eſt attendenda. Sed præſens indulgentia de qua diſputamus conceſſa eſt hac voluntate & conditione ut integra lucretur vel a Viatoribus, vel a Defunctis. Ergo &c. Hoc autem oſtenditur ex forma differenti, per quam fit hujuſmodi conceſſio, aut applicatio. Siquidem ut eſt communis obſervatio omnium Doctorum, indulgentiæ conceduntur viatoribus per modum remiſſionis, & abſolutionis a pœnis per eos debitis; at iiſdem Defunctis dantur per modum ſuffragii. Igitur ex forma differenti dandi indulgentia pro vivis, & pro defunctis, colligitur clara & manifeſta concluſio non poſſe eaſdem utriſque applicari. Denique ſi hoc ſemel admitteretur poſſent privati homines diſpenſare theſaurum Eccleſiæ, nempe merita Chriſti, aliorumque Sanctorum, tum applicando ſibi ipſis indulgentias, tum ipſas pro Defunctis lucrando, quod cum repugnet dicendum videtur non poſſe Fideles etiam ſub illa formula conceſſionis ſibi & Defunctis indulgentias lucrari. Hæc itaque eſſe poterit reſponſio Parochi ad dubium Alberti.

CAS. II. Camilla Bononienſis contraxit ſponſalia cum Marco Butrii degere conſueto, cum hac conditione ut domicilium Bononiæ ſtatueret.

Qu. an Camilla Marcum ſequi teneatur, ſi Butrii habitare voluerit.

Reſp. nulla in oppoſitum neceſſitate cogente, adjecta ſemel, & acceptata conditione de domicilio Bononiæ ſtatuendo, non teneri Camillam Marcum ſequi, ſi Butrii habitare decreverit. Hæc enim conditio, ut probant Hoſtienſis, Henricus, Roſella aliiſque, utpote quæ non adimat libertatem matrimonii, ſed ſolum præſcribat modum, quo poſſit conſervari individua unio, & cohabitatio inter conjuges, non improbatur a jure, ergo ſubſiſtit. Id vero confirmatur ex eo quo in conceſſione rei ſuæ, poteſt quilibet interponere pactum quodcumque voluerit, dummodo non adverſetur naturæ talis conceſſionis, & bonis ejuſdem, ergo etiam poterit interponere pactum in conceſſione ſui corporis, atque adeo cum cohabitatio in certo determinato loco, non adverſetur naturæ matrimonii, nec deſtruat ejuſdem bona, nec libertatem impediat, alteruter conjugum poterit determinare locum habitationis.

Dixi autem quando non intervenerit juſta cauſa, aut neceſſitas alibi commorandi, ut ſi Maritus in tali loco ob aeris inclementiam ſubeſſet morbis, vel rixas noxias contraxiſſet; tunc enim ſpreta conditione poſſet alio migrare, quia ſemper ſupponitur illud pactum adjectum cum tacita conditione implicita niſi neceſſitas, aut juſta cauſa aliter poſtulaverit.

Hinc ſi Marcus nulla interveniente legitima cauſa, non obſtante adjecta illa conditione Bononia receſſerit, non tenebitur Camilla illum comitari. Rationem adducunt Pedrazze, Manuel, aliique, quia ſtante illo pacto, quod validum & honeſtum probatum eſt, Camilla jus acquiſivit, ut Marcus ſecum Bononiæ moraretur, ergo, ſi iſte recedendo fidem non ſerva-

vaverit, illa immunis erit ab onere eum comitandi, non enim tenetur fidem ſervare, ſibi fidem frangenti contra jus quod acquiſivit ex valida & legitima conditione..

Neque juvat opponere legem divinam prævalere cuicumque conditioni ab homine appoſitæ. Lex autem divina adſtringit uxorem ad ſequendum Maritum, ut individua vitæ ratio inter ipſos ſervetur. Hoc, inquam, non juvat. Quia licet regulariter lex Divina adſtringat ad talem unionem ob individuam rationem vitæ ſervandam, tamen in caſibus determinatis non obligat. Sit vinculum conjugale diſſolvi non poteſt, cum ſit natura ſua indiſſolubile, vinculum tamen quoad torum & mutuam cohabitationem tolli poteſt, vel per divortium in cauſis a jure ſtatutis, vel per mutuum conſenſum conjugum, In Hipotheſi autem quod Marcus Camillæ ſpoponderit ſe cohabitaturum Bononiæ, videtur implicite & libere jus Camillæ tribuiſſe, ut quotieſcumque ipſe ſine cauſa receſſerit liberum ipſi foret ibi permanere..

Addo tamen quod etiam ex juſta cauſa recedente Marco, teneretur eum ſequi Camilla, niſi ipſam pariter urgeret juſta, & rationabilis cauſa non comitandi. Ratio autem, quam afferunt Oſtienſis, Gabriel, Angelus, Roſella, aliique ex eo deducitur; quia urgente legitima cauſa pactum illud non obligat ex parte ejuſdem Marci recedentis, atque ita ſe habet quaſi non fuiſſet adjectum. Reſtituitur autem in ſuo vigore ſtatuta conditio, ſi eadem rationabilis cauſa urgeat Camillam, atque adeo ea inſtante non tenebitur comitari. At vero cum Maritus ſit caput familiæ ad quod trahuntur cætera membra inferiora, non tam facile judicanda erit gravis, cauſa Camillæ ad eam retrahendam.

CAS. III. Confeſſarius audiens Confeſſionem Clerici proxime promovendi ad ſacrum ordinem Subdiaconatus, deprehendit ipſum in vitio turpi habituatum..

Qu. an debeat abſolutionem denegare niſi paratum inveniat ad differendam ordinis ſuſceptionem, ut emendationem exhibere poſſit, & caſtitatem probare..

Reſp. graviſſimam eſſe quæſtionem hanc, maximamque exigere prudentiam, ſcientiam, & charitatem in Confeſſario cum in ipſa agatur non ſolum de bono ſui Pœnitentis, ſed etiam de bono totius Eccleſiæ. Piuſquam autem ipſam ingrediar, præciſio quædam eſt adhibenda pro ipſius caſus elucidatione. Cum enim quæſtio agitatur de abſolutione impertienda Clerico proxime promovendo ad ordinem Subdiaconatus, vel oritur difficultas ex eo, quod licet habeatur cæteroquin diſpoſitus, tamen ratione ſuæ proximæ promotionis, major ab ipſo ſit exigenda probatio; vel potius in eo eſt poſita difficultas, ut cum ſuſpicio habeatur de ejus diſpoſitione; ita quidem, ut in alia circumſtantia videretur magis probanda dilatione abſolutionis, attenta tamen occaſione Subdiaconatus proxime ſuſcipiendi, poſſit Confeſſarius favorabilius interpretari, & hoc attento motivo ipſam abſolvere. Jam vero ſi poſterior hæc ratio attendatur abſolute dico tanta eſſe ſuper hac re in Conciliis, & Patribus, tamque firma argumenta, ut hoc ſaltem veluti certum tenere debeamus, ut urgente occaſione Subdiaconatus ſuſcipiendi, ſi alioquin ſuſpicio eſſet an deberet abſolutio imperiri, attento hoc titulo incapacitatem potius quam diſpoſitionem augeri..

Conſiderata autem ſola ratione caſtitatis ulterius probandæ, attenta doctrina, quæ in utramque partem abunde traditur, viamque mediam inſiſtendo, ſtatui poſſe videntur hæ duæ Concluſiones. Prima. Quod hodierna,

& antiqua Eccleſiæ lex ſemper conſtans obſtringit tam Epiſcopos, quam Confeſſarios, & promovendos, ut cum aliquis Clericus, Recidivus, vel conſuetudinarius in vitio carnis ad ſacrum Ordinem, ſive ad Subdiaconatum, ſive ad Diaconatum, ſive ad Presbyteratum aſcendere cupit, quamvis ſincere ſit Converſus ad Dominum, & ideo poſſit ſtatim abſolvi, non tamen poterit ſacrum Ordinem ſuſcipere, niſi aliquando operam det ad vitium extirpandum; & ſi ipſe perſiſtat ſtatim ordinem ſuſcipere, non cenſetur diſpoſitus ad abſolutionem, quia legem Eccleſiæ violat in re gravi.

Abſtineo autem ab afferendis argumentis pro hac concluſione, cum ea latiſſime congerat Ligorius l. 6. tom. 1. de ſac. 12., & eadem ſumma eruditione, & Doctrina proſequatur Michael Angelus Griffini Pœnitentiarius, in eodem quod ſupra laudavimus opere Diatriba Prima.

Afferamus itaque cum eodem Ligorio concluſionem alteram, atque ad practicam eruditionem inde hauriendam ejus argumenta in pauca contrahamus. Sit itaque ſecunda concluſio, quod poteſt dari caſus, quo Deus donet Pœnitenti tam extraordinariam compunctionis gratiam, quæ reddat eum adeo probatum, ut ipſe ſtatim poſſit Sacrum Ordinem aſſumere; & ideo, ſi idipſum Confeſſario conſtet ex validis conjecturis, beneficium abſolutionis ſuſcipere, quin prius comprobetur temporis experientia.

Quamquam enim in hujuſmodi pęnitentibus Eccleſia poſtulet probationem ſive interiorem, ſive exteriorem, non tamen poſtulat neceſſariam probationem temporis. Mitigata eſt quippe ea diſciplinæ ſeveritas, qua primis Eccleſiæ ſæculis nemini permittebatur aſcenſus ad ordines, qui poſt baptiſmum grave crimen admiſiſſet, quamquam fuerit poſtea condigna pęnitentia deletum. Nam poſt aliquot ſæcula tantum illi arcebantur qui ob ſcelera perpetrata, aut incurriſſent infamiam, aut publicam egiſſent pęnitentiam, & etiam benigne indulſit Pelagius Papa cum Clericum lapſum ordinaret, quoniam, ut ipſe ait ejus peccatum erat occultum. Et licet Tridentinum c. 1. ſeſ. 14. de ref. concedat Epiſcopis ut propter peccata occulta etiam extrajudicialiter cognita, poſſint prohibere ne initiandi ordinentur, hoc tamen non præcipit.

Cum igitur neque Eccleſiæ præceptum, neque præſentis diſciplinæ conſuetudo, cogat ad probandos ſola temporis diuturnitate eos, qui ad ſacros Ordines ſunt promovendi; ad prudentem Confeſſarium ſpectabit cognoſcere an Pęnitens vel temporis experimento, vel alia via ſit convenienter probatus, atque diſpoſitus ad tantam dignitatem aſſumendam. Poteſt enim accidere ut Dei miſericordia tam efficacia auxilia gratiæ alicui largiatur, ut commpunctionis vehementia, temporis probationem compenſet. Verum eſt quidem hujuſmodi converſiones extraordinarias eſſe, nec ſæpe evenire, neque etiam in exercitiis ſpiritualibus, quæ ad ordines præmitti ſolent, quoniam plerumque ad hujuſmodi exercitia coacti accedunt, qui ſunt promovendi. Si tamen quandoque accidant, nulla patet ratio, cur in eo caſu magis diſpoſitum ad ordines ſuſcipiendos evincat pęnitentem longi temporis probatio, quam manifeſta cordis vera, & vehemens contritio, ad cujus indicia prudens Confeſſarius dignoſcat eum ſincere & ex animo voluntatem mutaſſe juxta illud Tridentini quod monet eos eſſe ordinandos *qui ſperent ſe Deo auctore poſſe continere*.

Id ipſum confirmat Pontificale Romanum, in quo Epiſcopus ſic alloquitur initiandos ad ordinem Subdiaconatus: *Si uſque nunc fuiſtis ebrii, amodo ſobrii*,

Digitized by Google

ſobrii, ſi uſque nunc inhoneſti, amodo caſti; quæ verba probant Eccleſiam omnino eos non excludere, qui forte uſque ad tempus ordinationis eo vitio inquinati fuerunt, modo habeant talem cordis converſionem, quæ ipſos reddat dignos, non ſolum abſolutionis beneficio, ſed etiam ſacri Ordinis gradu, ſi abſque temporis probatione ad eum debeant aſcendere. Quamobrem quamquam abſolute loquendo, Canones, rationes, congruentiæ, aliaque id genus argumenta innumera habeantur, ut qui inhoneſte vixerunt ab altari arceantur donec longa temporis probatione caſtitatem probaverint; *Verum cum pauce* (concludo verbis clariſſimi Juvenini, qui licet rigidiorum opinionum ſectator, & etiam in hac ſententia ad oppoſitam partem inclinans, hac tamen utitur moderatione) Verum, inquam, cum pauce ſint regulæ, quæ aliquas exceptiones non patiantur, negotium hoc ſapientis, ac eruditi Directoris prudentiæ committendum eſt.

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. LAurentius, & Roſa Bononienſes, ambo ſpectatæ conditionis, & probitatis, autumnali tempore ruri degentes, adeunt Iſidorum ruralem Parochum, ut coram ipſo contrahant matrimonium, aſſerentes, ſe a proprio Parocho facultatem habere.

Qu. an Iſidorus credere debeat huic aſſertioni, & ſi aliud non obſtet matrimonio aſſiſtere.

Reſp. ratione, & paritate plura argumenta ſuppeditari, quibus dici poſſe videtur poſſe Iſidorum aſſertioni Laurentii, & Roſæ fidem præſtare, ipſoſque in matrimonio conjungere. Rationem, inquam, tum quia hic ſolum agitur de periculo animæ contrahentium, cum nulli alii damnum ſequatur; nemo autem præſumitur ſuæ ſalutis immemor; tum quia facile creditur quod prodeſt petenti, & nemini nocet. Paritate etiam, quia ſicut matrimonium eſt irritum ſine præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, ita Confeſſio eſt invalida facta alieno Sacerdoti, non habenti legitimam licentiam audiendi: & tamen Confeſſarius crediturus eſt pœnitenti dicenti ſe habere licentiam ut ſibi miniſtretur hoc Sacramentum, & Parochus crediturus eſt penitenti dicenti ſe falſum eſſe habenti legitimam facultatem ipſum abſolvendi, atque ita illi debet Euchariſtiam miniſtrare, niſi fortaſſe haberet ſigna probabilia penitentem eſſe mendacem. Ergo ſimiliter eſt credendum dicentibus ſe habere licentiam a proprio Parocho ut conjungantur matrimonio: cum utrobique ſit periculum irritationis Sacramenti, imo majus ſit periculum animæ ſi matrimonium ſit nullum, cum permanſuri ſint conjuges in perpetuo concubinatus, tranſeat veni peccatum irritæ Confeſſionis.

Nihilominus dico regulariter loquendo in Sacramento matrimonii non eſſe credendum aſſerentibus ſe habere licentiam a proprio Parocho, ut alienus Sacerdos interſit. Primo enim licet in foro interno ad quod pertinet Confeſſio, Euchariſtia, & extrema Unctio credatur dicenti ſe habere licentiam, in foro autem externo, & in rebus ad ipſum ſpectantibus non creditur. Id conſtat ex Ca. ſicut de ſent. excom., ubi probatur non adhiberi fidem excommunicato dicenti ſe abſolutum eſſe ab excommunicatione. Legitur enim. *Niſi excommunicati litteras abſolutionis oſtendant*; aut alio *modo legitime de eorum abſolutione conſtet*; cujus rationem reddit Angelicus, quia excommunicatio pertinet ad forum externum. Sed matrimonium pertinet ad forum externum, & ad Eccleſiæ gubernatio-

nationem ; ergo non creditur habenti licentiam . Præterea quando Confeſſio pertinet ad externam Eccleſiæ gubernationem, ut eſt confeſſio annua, non facit injuriam Parochus ſi fidem non præſtat dicenti ſe impleviſſe præceptum ; ut teſtatur uſus Eccleſiæ quo ſolent peti ſchedulæ Confeſſionis, quia ſecus daretur via figmentis, & illuſoria eſſent edicta. Ergo ſimiliter in matrimonio non creditur. Secundo, Sacramentum Ordinis quia pertinet ad forum externum, miniſtrari non debet ab alieno Epiſcopo niſi plena fide habita de licentia proprii ; nimirum *per ejus patentes litteras* ; Ergo ſimiliter habenda eſt plena fides de licentia ad matrimonium. Eſt etiam tertia ratio quia Ancharanus, Imola, Stephanus, aliique contendunt ſolum pro Sacramento pœnitentiæ, credi dicenti ſe habere licentiam, non autem pro Euchariſtia, extrema Unctione, & aliis, redduntque rationem diſparitatis, quia pœnitentia ſecrete miniſtratur, reliqua publice ; atque ita non mirum ſi major licentiæ fides in aliis exigatur.

Denique præcipua ratio ex eo derivatur quia minus præſumenda eſt deceptio in Pœnitentia & Euchariſtia, ad quæ Sacramenta tantum acceditur pro animæ remedio, ut ſpirituali ſaluti concedatur. In matrimonio autem ubi præter Sacramenti rationem plura temporalia commoda a pluribus proponuntur, latior via fraudibus patet, & eſt præcavenda omnis deceptio. Licet ergo in illis adhibeatur fides dicenti ſe habere licentiam, non idem concludi debet pro matrimonio.

Hinc poro colligitur quid ſit reſpondendum ad argumentum in oppoſitum. Ratio enim corruit ex eo quod credi debet quando agitur de ſolo periculo animæ, nec alteri nocere poteſt quod creditur, niſi hæc ita ſe habeant ut cum foro externo, & Eccleſiæ gubernatione non connectantur. Paritas vero ex adductis probationibus facile ſolvitur.

Dixi autem regulariter loquendo, nam ſi ea habeatur omnium circumſtantiarum confluentia, ut nulla de obtenta licentia oriri poſſet dubitatio, tunc poſſet alienus Sacerdos fidem præſtare. Nam etiam in adducto capite de Excommunic. Docent Paludanus, Angelus Silveſter, & alii dari exceptionem ſi excommunicatus ſit Perſona fide digna, & aſſerat ſe eſſe abſolutum ; ergo etiam in matrimonio id præſtandum videtur.

CAS. II. Capellanus repente vocatus ad inungendum infirmum proxime expiraturum, reperit ipſum prono ore, & corpore decumbentem, & veritus irregularitatem ſi ſuggerendo, aut adjuvando corporis converſionem mors acceleretur, cum periculum ſit in mora, inungit ipſum in brachio ſub hac forma *Indulgeat tibi Dominus quid quid per viſum, auditum &c. deliquiſti*. Qua nondum completa infirmus expiravit.

Qu. I. an hic timor irregularitatis incurrendæ fuerit rationabilis. II. an hoc Sacramentum fuerit validum ratione partis inunctæ. III. an fuerit validum ratione formæ nondum completæ.

Reſp. ad primum, cum Filiuccio, Reginaldo, Saurio, aliiſque irrationabilem fuiſſe timorem hunc irregularitatis incurrendæ. Si enim bona fide operatur, eamque adhibet cautelam, & diligentiam, quam adhibere ſolent viri prudentes, nulla intervenit culpa, ſed potius exercetur officium chriſtianæ pietatis, & charitatis, & magnum acquiritur meritum. Nam, ut inquit Bonacina, qui tradit aliquid infirmo bona fide, vel ex præſcripto periti medici, aut aliquid quod non eſt vetitum, nec dubitat nociturum ; aut qui revolvit infirmum in lecto, non ut citius pereat, ſed ut facilius ſomnum, quietem, vel cibum capiat, etiam ſi

mors

mors ex aliqua culpa acceleretur, modo non ſit culpa lata, ſeu negligentia notabilis, id eſt modo revolvens eam adhibuerit diligentiam, quam periti ſolent, irregularis non eſt. Ergo a fortiori irregularis non erit qui hanc corporis converſionem aut ſuaderet, aut adjuvaret, ut Sacramenta infirmo adminiſtrentur.

Ad alterum dico quæſtionem hanc duplici modo agitari poſſe. Primo ſcilicet inquirendo an brachium ſit pars idonea poſito quod aliquando unica unctio ſufficiat: Secundo, an etiam dato quod brachium ſit pars idonea pro unctione v. g. tactus, nulla tamen dicenda ſit hæc Sacramenti collatio, cum ad ipſam de Sacramenti neceſſitate adhibendæ ſint omnes quinque unctiones. Jam vero ſi quæſtio hæc primo modo agitetur, facile ſolvitur, nam licet Miniſter illicite ageret nulla interveniente cauſa uſitatum Eccleſiæ ritum immutando, valide tamen adminiſtraret Sacramentum, quia hæc mutatio eſſet tantum accidentalis. Si vero ſermo inſtituatur de neceſſitate quinque unctionem, graviſſime diſputant pro utraque parte Theologi, quorum ſententias & fundamenta late perſequitur Philibertus Marchinus de bello Divino part. 3. cap. 16. ubi in eam partem inclinat quod multo verius & tutius ſit unctionem quinque ſenſuum eſſe de neceſſitate Sacramenti; atque adeo etiam graſſante peſte omnes quinque unctiones eſſe adhibendas, vel potius hoc Sacramentum eſſe omittendum.

Cum tamen adverſa etiam ſententia ſua probabilitate non careat, & qui primam defendunt, ultro fateantur quod quoties urget periculum præviſum, vel ex parte infirmi quod morietur ante quinque unctiones, vel ex parte Miniſtri quia timet contagium ſi peſte correptum ungat quinque unctionibus, vel dum timet, ſi unum quinque unctionibus ungat, alios ægrotos in eodem mortis articulo conſtitutos abſque ulla unctione eſſe deceſſuros, in his tribus caſibus Sacramentum iſtud poſſe a Sacerdote conferri per unam unctionem; propterea dicendum videtur probabile admodum eſſe Sacramentum hoc ratione partis in unctæ ſua validitate non fuiſſe fruſtratum, præſertim cum inſtante mortis articulo a timoratis doctiſque viris unicæ unctionis praxis adhibeatur, nec videamus ipſam reprehendi.

Ad Tertium, dico non fuiſſe validum ratione formæ Sacramentum eo modo collatum, non quidem quia infirmus expiraverit ea forma nondum completa, ſed quia expiravit nondum prolatis ſubſtantialibus ejuſdem verbis. Pendet enim eorum ſignificatio ab eo verbo *deliquiſti*; atque adeo eo nondum prolato antecedentia verba, ſicuti nihil ſignificant, ita nihil efficiunt. Quapropter ſi aliquando laudanda ſit praxis unicæ unctionis; erit expediens formam incipere; ab iis verbis *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum &c.* tunc enim etiam nondum prolatis aliis verbis, ſi decedat infirmus, erit valide inunctus. An vero qu. hoc modo inunctus decumberet vel totalem, vel ſolum partialem gratiam acquireret, ſcholaſtici viderint.

CAS. III. Gorgonius mutuatur Cromatio 100. aureos nulla alia adjecta conditione, niſi quod biennio elapſo reſtituerentur. Biennio elapſo cum Cromatius aureos non habeat, reſtituit monetam equivalentem. Sed cum interea temporis creverit aureorum pretium, valore quinque obulorum pro quolibet aureo.

Qu. cui creverit pretium hoc, an mutuanti, an mutuatario.

Reſp. procedendum eſſe cum diſtinctione. Vel enim Gorgonius erat eos aureos conſumpturus antequam eorum pretium augeretur, vel uſque ad

ad pretii incrementum erat eoſdem conſervaturus. Si primum dico pretium creviſſe mutuatario; ſi ſecundum creviſſe mutuanti. Ratio primæ partis ex eo derivatur quia ex nullo alio titulo exceſſus ille monetarum acquireretur, quam ex mutuo; non enim acquireretur ex dominio eorumdem, quia hoc translatum ſupponitur in mutuatarium vi ejuſdem mutui; non ex aliquo damno quod inde emanaret eidem mutuanti, quia ſupponuntur ab eodem conſumandi antequam augmentum acquireretur, ergo præciſe ex vi mutui, adeoque uſurarie. Pars altera probatur ex eo, quia ex tali mutuatione ſequitur damnum mutuanti, niſi vel in aliis aureis ejuſdem qualitatis, vel in alia moneta ad valorem ipſorum tempore reſtitutionis compenſetur. Ergo ratione talis damni juſte poteſt exigere mutuator ut aureorum incrementum ſibi acquiratur.

At inquies dominium rei mutuatæ transfertur in mutuatarium eodem inſtanti quo mutuatur; Ergo quodcumque augmentum, quod fit eidem rei, fit eidem mutuatario, ſicuti ejuſdem ſit quodcumque decrementum; accreſcit enim, vel decreſcit quæcumque res domino rei. Præterea ex eo quod mutuans res mutuatas conceſſerit uſque ad determinatum tempus, videtur ceſſiſſe cuicumque juri, quod eo tempore ultra ſortem acquirere potuiſſet. Dum enim ſe privavit commodo & dominio earumdem rerum, cenſetur enim ſe privaſſe commoditatibus inde provenientibus.

Verum Reſpondeo atque ad primum, dico neminem præſumi velle in mutuo ſibi præjudicare; atque adeo præſumendum eſſe quemlibet mutuare conditionate, & ſibi implicite reſervato jure compenſationis, ſi tale præjudicium ſequatur. Mutuatio enim eſt in favorem mutuatarii, & beneficium eidem collatum. Nemo autem præſumitur alteri velle favere cum traditione rei propriæ, ſi ultra talem traditionem, deberet privari aliis commodis, quæ ex tali re perciperet, ſi ipſam non tradidiſſet. Quamquam igitur dominium rei mutuatæ, eodem inſtanti quo mutuatur, transferatur in mutuatarium; non propterea eximitur idem mutuatarius ab onere compenſandi damna, quæ eidem mutuanti reſultant, quæque cedunt ſine ſua induſtria in proprium commodum, eo quia non præſumitur mutuans illis cedere, ſed ſibi implicite reſervare jus in illa, cum ſine tali mutuatione eſſet mutuans ille commoda percepturus.

Ad alterum dico Mutuantem, utique, dum cedit ſubſtantiæ rei, eamque transfert in mutuatarium cedere etiam fructibus ſive ex natura ejuſdem, ſive ex hominum beneplacito provenientibus, non tamen cedere juri æqualis, & congruæ compenſationis in ordine non ſolum ad ſortem, ſed in ordine etiam ad ea, quæ conſequerentur dependenter ab eadem ſorte, ſi ipſam non mutuaſſet, eo quia præſumitur ſemper mutuare cum reſervatione juris, niſi ſequatur præjudicium, & cum tacita conditione dummodo damnum non ſequatur, & ſi ſequatur, compenſetur. Patet itaque quod licet ratione mutui, aureorum incrementum creverit mutuatario, ratione tamen conditionis in mutuo imbibitæ de præcavendo præjudicio, & damno compenſando, in caſu quod vere damnum ſequutum fuiſſet, creverit mutuanti. Ita paſſim auctores.

MEN-

CAS. I. Richardus exhibet Sergio annulum emendum pretio aureorum 20. Cognoſcit Sergius annulum longe pluris valere, & volens emere tuta conſcientia, dicit Richardo ſe ſoluturum 20. aureos, ſi annulum libere dederit, condonando exceſſum, ſi quid pluris valuerit.
Qu. an hæc emptio, Richardo conſentiente concluſa, ſit juſta.

Reſp. Molinam, Lugum, Salonium, alioſque contractum hunc improbum appellare; plurimos tamen eſſe, qui ipſum defendunt cum Cajetano in ſumma verbo *Emptio* num. 2., cujus ſententiam amplectens, dico emptionem Sergii Richardo conſentiente concluſam eſſe juſtam. In emptione enim alicujus rei, cum inæqualitate pretii ad rem emptam, nulla intervenit injuſtitia, ſi ſit rationabilis præſumptio quod venditor libere cedat inæqualitati pretii, ergo a fortiori nulla erit injuſtitia in emptione cum tali inæqualitate, ubi per venditorem eſt expreſſa ceſſio talis inæqualitatis. Antecedens admittitur a pluribus contrariæ ſententiæ, in caſu quo quis gemmam pretioſam ſecundum ſe, quam tamen ipſe pro modico habet, venderet conſanguineo, vel maxime familiari pro minori pretio ac in ſe valeat, in quo cum præſumatur ratione conſanguinitatis, aut maximæ familiaritatis libere cædere inequalitati, nulla præſumitur ingeri injuſtitia. Conſequentia autem probatur, quia majus jus tribuit Emptori expreſſa ceſſio inæqualitatis, ac tribuat præſumptio tantum implicita. Ergo ſi prima ſufficit ad evitandam inæqualitatem contractus, ſufficiet a fortiori ſecunda.

Probatur ſecundo. Nam qui venderet rem defectuoſam, non tamen inutilem ad uſus pro quibus venditur, cum proteſtatione quod eam vendat eo modo, quo eſt, & quod nolit ſtare defectibus, ſi qui habeantur, non injuſte venderet; ergo etiam qui emeret rem ab aliquo cum proteſtatione quod ita emat tali pretio, ut non velit ſtare majori, ſi pluris valet, ſed quod velit, quod ſibi cedatur libere exceſſus, non injuſte emeret. Non enim minus tenetur Venditor in favorem emptoris manifeſtare defectus rei venalis non cognitos ab eodem emptore, quam teneatur ipſe emptor manifeſtare in favorem venditoris bonitatem rei non cognitam ab eodem venditore. Ergo ſi venditor qui proteſtetur ſe rem ita vendere ut nolit ſtare defectui non injuſte vendit, neque emptor injuſte emet ſi proteſtetur ſe rem ita emere, ut nolit ſtare exceſſui.

Dices tamen contra primam probationem expreſſam illam ceſſionem non evitare injuſtitiam, quæ eſt in ſecundo contractu, eo quia cum ſit ſine cognitione de valore rei in cedente, non poteſt eſſe libera, & voluntaria, prout requiritur ad quamcumque gratuitam ceſſionem. Dices etiam contra ſecundam probationem vendentem rem defectuoſam cum proteſtatione non ſtandi defectui, teneri detrahere de pretio ejuſdem rei, quantum exigit defectus ipſe; ergo etiam ementem rem ſuperexcedentem, teneri tantum augere de pretio, quantum exigit ipſe exceſſus; & ſicut ibi non diminuendo, quamvis proteſtationem præmiſerit, peccat, ita hic non augendo, non obſtante proteſtatione peccabit.

Verum reſpondeo, atque ad primum dico quod licet ea ceſſio fuerit ſine expreſſa cognitione determinati valoris rei, non propterea in noſtra hypotheſi definit eſſe libera; nam venditor, non ſolum cedit inæqualitati, ſed etiam libere cedit juri de inquirenda cognitione talis inæqualitatis. Poterat enim inquirere cognitionem juſti valoris rei a quocumque alio, maxime cum habuerit fundamentum juſtæ ſuſpicionis de inæqualitate per proteſtationem factam ab ipſo emptore; unde illa ceſſio, ſi non eſt libera in ſe, eſt tamen libera in cauſa, quod ſufficit ad tollendam quam-

Digitized by Google

cumque injuſtitiam; nec emptor tenetur valorem illum exprimere, cum venditor facile poſſit valorem hunc ab aliis cognoſcere.

Ad alterum dico, quod in venditione rei defectuoſæ, cum proteſtatione non ſtandi defectui, vel venditor proteſtatur præciſe, ſe nolle rem amplius recipere ſi reperiatur in ipſa defectus, & per hoc intelligat ſe nolle ſtare defectui, & in hoc ſenſu certe tenetur detrahere de pretio ejuſdem rei, quantum exigit defectus ipſe, quia emptor conſentit quidem in emptionem rei cum onere non reſiliendi a contractu propter defectum rei, non autem conſentit in exceſſum pretii, ſupra exigentiam, & æqualitatem rei defectuoſæ; vel venditor proteſtatur expreſſe ſe nolle ſtare defectui, ideſt oneri compenſationis ratione illius defectus, ſed velle, ut quod eſt ſupra valorem rei ipſi libere per emptorem remittatur, & in hoc ſenſu non video cur debeat de pretio detrahere, cum exceſſus eidem cedatur per expreſſam proteſtationem. Præterea eſt lata diſparitas inter non detrahentem ratione defectus, & nollentem ſuperaddere ratione exceſſus. Qui enim minoris vendit ſupponitur exceſſum remittere, qui vero emit pluris non ſupponitur omnino libere remittere, ſeu condonare exceſſum pretii, eo quia venditor de re fortaſſe non curat: nemo autem eſt, qui non curet de pretio.

CAS. II. Adrianus, & Roſa publice petunt aſſiſtentiam Parochi pro matrimonio contrahendo: Parochus autem occulte novit obſtare impedimentum affinitatis ex copula illicita.

Qu. quid agere debeat.

Reſp. Parochum duplici ratione habere poſſe occultam notitiam impedimenti dirimentis, nempe vel extra confeſſionem, vel intra. Si primum, ſentit Pontius lib. 5. cap. 35. num. 6. quod ſi Parochus abſque alterius teſtimonio ſecreto quidem, non tamen per Sacramentalem Confeſſionem noverit impedimentum, hac ſola notitia non poſſit denegare ſuam aſſiſtentiam ad matrimonium, eo quia non poſſit ipſe eſſe teſtis & judex. Rectius tamen docet cum aliis Henriquez lib. 1. de Sac. cap. ult. num. 6. quod cum Parochus debeat notificare Prælato impedimentum ſibi ab aliis delatum, & judicium ſpectet ad ipſum Prælatum; ita Parochus ipſe erit apud illum teſtis, & Prælatus erit judex prohibens tale matrimonium. Quod ſi contrahere volentes, aliis falſis probationis elidant teſtimonium Parochi, atque adeo Prælatus juxta allegata & probata judicet non ſubſiſtere impedimentum ac jubeat Parocho ut aſſiſtat, debebit is juſſa exequi, quia jam ipſe ſatisfacit muneri ſuo, ac de reliquo debet ſubire Prælati judicium, diceturque tantum permittere, non autem operari peccatum contrahentium, & nullitatem matrimonii.

At vero ſi Parochus non niſi in Sacramentali Confeſſione ſive ejuſdem qui contrahere vult, ſive alterius cujuſquam novit impedimentum, tunc non debebit, nec poterit negare matrimonium publice petenti, nec etiam petenti ſecreto; quia nimirum ſupponimus nec debere, nec poſſe uti ſcientia acquiſita in Confeſſione ad illum actum exterioris gubernationis cum gravamine aut moleſtia pœnitentis. Quod unice poſſet (quamquam neque ad hoc teneretur) eſſet petere licentiam a pœnitente, quando ſperaret eam obtinere, eumque non graviter laturum talem licentiam a ſe peti, ut poſſit loqui de rebus in Confeſſione auditis, qua licentia obtenta poterit occulte monere volentem contrahere de ſuo impedimento, eumque hortari, ut a tali matrimonio deſiſtat, cui tamen ſi adhuc perſeveret, & inſtet volens contrahere, non poterit prorſus ſuum miniſterium denegare. Addo autem, quod ſi ex manifeſtatione impedimenti alicui oriretur infamia, ut habetur in caſu, major adhuc diligentia eſſet adhibenda.

CAS.

CAS. III. Clemens contractis ſponſalibus cum Placida, rem habuit cum Catharina, quæ pariter contraxerat ſponſalia cum Eduardo.

Qu. an ſufficiat ſi dicat in Confeſſione, ſe eſſe fornicatum cum libera, an debeat etiam manifeſtare ſponſalia, tum ſua, tum Catharinæ.

Reſp. Fornicationem comiſſam cum alia perſona poſt ſponſalia, non ſolum continere deformitatem luxuriæ contra caſtitatem, ſed etiam injuſtitiam contra juſtitiam debitam alteri parti. Quod vero attinet ad gravitatem, & qualitatem hujus novæ deformitatis, varia ſunt auctorum placita. Gloſſa in cap. *Quemadmodum*. Paludanus, aliique ex Juriſtis ſignificant eſſe proprie adulterium, atque ut tale in foro conſcientiæ accuſandum, atque in foro externo plectendum. Quia hoc peccatum eſt contra fidem alteri præſtitam, & contra jus ab altero acquiſitum ſupra corpus peccantis. Hinc in lege *ſi uxor* cum ſtatuta eſſet pœna in Conjugem adulterantem additur: *Etiam in Sponſam hoc idem vindicandum, quia nec matrimonium, nec ſpem matrimonii violare permittitur*. Ex adverſo Coaruvias, Vivaldus, Pontius, aliique negant hanc eſſe notabilem deformitatem, aut circumſtantiam in confeſſione aperiendam, quia hoc neque eſt adulterium, neque adhuc contra fidem conjugalem, & jus conjugis cum adhuc non ſit contractum, ſed tantum promiſſum matrimonium.

Hos inter media via incedit Sanchez, quem ſequitur Bonacina, & cum diſtinctione reſpondet, hanc deformitatem eſſe quidem novam ſpeciem, & mortalem, atque adeo explicandam in Confeſſione ex parte ſponſæ, & pariter ejus, qui alienam Sponſam violat, at ex parte ſponſi, & mulieris cum eo fornicantis eſſe ſolum levem & venialem, diverſæ tamen ſpeciei ab alia deformitate luxuriæ: quia nimirum fornicatio Sponſæ eſt magna injuria Sponſi, & affert periculum, ut Sponſus alienam prolem ſuſcipiat, & alat tanquam ſuam, & non cenſetur notabilis injuria Sponſi, fornicatio Sponſæ.

Probabilius tamen videtur ex utraque parte eſſe gravem & notabilem deformitatem, diverſæ quidem ſpeciei a luxuria, non tamen proprie adulterii, ſed injuſtitiæ, & injuriæ propinquæ adulterio. Ita defendunt Coninkius, Ledeſma, Lopez, & judicant alii plures, qui loquentes de Sponſa; idem videntur ſentire de Sponſo. Id porro facile ſuadetur quia dum alterutrius fornicatio præbet jus alteri parti frangendi ſponſalia, & recuſandi matrimonium, hoc ſatis indicat eſſe gravem injuriam, & contra præſtitam fidem. Major quidem injuria, & majus periculum eſt ex parte Sponſæ, & ideo gravius peccatum, ſed ſatis etiam gravis videtur ex parte Sponſi fornicantis. Ita inter conjuges majus quidem peccatum & periculum eſt ex parte uxoris, ſed grave eſt etiam ex parte viri. Non eſt autem proprie adulterium ſicut in conjugibus, ſed accedit ad adulterium, quia in conjugibus frangitur fides matrimonii, in ſponſis fides promiſſionis, in illis violatur jus in re, in iſtis jus ad rem. Ex quibus colligitur Clementi in caſu propoſito utraque ſponſalia eſſe manifeſtanda.

M E N S E   O C T O B R I.

CAS. I. PArochus in magna populi frequentia dixit in concione *in hac quam patimur magna rerum penuria teneri divites ex juſtitia, atque ſub gravi, mutuare indigentibus pecuniam & frumentum*. Cum autem hac audita propoſitione rumores excitati ſint, Parochus vicinior ad eos compeſcendos dixit in concione, laudandos quidem eſſe mutuantes tanquam facientes opus charitatis, ſed ex juſtitia, atque ſub gravi ad hoc non teneri.

Qu. an prior Parochus verum docuerit, & poſterior prudenter ſe geſſerit.

Reſp. triplex hominum genus eſſe diſtinguendum in ordine ad bona fortu-

 næ.

næ. Alterum illorum eſſe qui habent ſuperflua tam naturæ, quam perſonæ; naturæ quidem quatenus non ſunt neceſſaria ſimpliciter ad ſuſtentationem ejuſdem vitæ, vel eorum, quos naturali pietate alere tenentur, eo quia iis ſublatis gaudet aliis, quibus ſufficienter eorum vita poteſt ſuſtentari; perſonæ, quatenus nec neceſſaria ſunt ad ejus congruentem ſtatum ſeu dignitatem conſervandam; unde iis ſublatis adhuc alia habet quibus talem ſtatum, & dignitatem poteſt conſervare; Alterum illorum eſt, qui bona quidem poſſident naturæ ſuperflua; ſed non perſonæ, quatenus habent ultra quam ſit neceſſarium ad ſuſtentationem ſtatus, ſeu dignitatis. Tertium denique illorum, qui nec ſuperflua naturæ poſſident, nec perſonæ, quatenus tantum neceſſaria habent ad ſuſtentationem vitæ & dignitatis, quin immo nec proprie neceſſaria ad dignitatem.

Triplex pariter indigentium genus diſtinguere oportet. Alterum illorum, qui ſunt in extrema neceſſitate conſtituti, ita ut ipſi niſi ſubveniantur in cibo, potu, veſtibus, & ſimilibus præſupponantur eſſe morti proximi, aut in periculo imminenti morbi incurabilis vel alterius extremæ miſeriæ. Alterum illorum eſt, qui ſunt in gravi neceſſitate poſiti, ita ut careant rebus neceſſariis ad conſervandam decentiam proprii ſtatus, ad vitandum morbum gravem, captivitatem injuſtam, infamiam notabilem, & his ſimilia. Alterum illorum eſt, qui premuntur neceſſitate communi, qualis eſt pauperum oſtiatim mendicantium.

Dico autem hac poſita diſtinctione, quod habentes ſuperflua tum naturæ, tum perſonæ tenentur mutuare indigentibus conſtitutis in extrema neceſſitate, & etiam in gravi; habentes autem tantum ſuperflua naturæ non perſonæ, tenentur mutuare ſolum in ordine ad extreme indigentes. Ratio utriuſque, eaque a fortiori deducitur ex iis, quæ communiter docent auctores de dominio tractantes. Si enim in iſtis ſuppoſitionibus tenetur quis eleemoſynam erogare, per quam transfertur rei dominium ſine ullo onere reſtitutionis, multo magis tenebitur mutuare, cum per mutuum transferatur quidem Dominium, ſed cum onere reſtitutionis.

At vero de mutuo fieri fortaſſe poteſt major difficultas, an ſcilicet præter caſus adductos, alii habeantur, in quibus urgeat obligatio mutuandi. Ratio dubitandi deſumitur ex verbis Redemptoris *Lucæ 7. Mutuum date nihil inde ſperantes* in quibus videtur ineſſe vis præceptiva indefinite ſine ulla reſtrictione.

Nihilominus tamen regulariter loquendo dicendum videtur exceptis caſibus præfatæ neceſſitatis neminem teneri ſaltem ſub lethali mutuare. Nullum enim præceptum aut naturale, aut poſitivum ad hoc obligat. Non naturale, quia dumtaxat in caſibus extremæ, & ad ſummum gravis neceſſitatis, natura derogat juri gentium per quod inducta eſt rerum diviſio, & appropriat earumdem rerum dominia, eaſdemque res facit communes. Non poſitivum, quia extra eos caſus nemo ullo jure obligatur ad ſe ſuis privandum, earumque dominium vel per mutuationem, vel per eleemoſynam transferendum in alios. Quamobrem ad verba Redemptoris *Lucæ* 7. dicere oportet vel importare conſilium non præceptum, vel ſolum innuere quod quando ex electione dandum eſt mutuum, dari debeat ſine ſpe retributionis ut debitæ ex juſtitia. Ita communiter ubi de dominio.

Hinc porro colligitur quod ſi Parochus nulla facta diſtinctione poſſidentium, & indigentium, abſolute docuit teneri divites ex juſtitia; atque ſub gravi pecuniam, & frumentum mutuare, verum non docuit, niſi fortaſſe, quod vix credibile videri poteſt, tanta fuiſſet rerum penuria, ut communiter in extrema, aut gravi neceſſitate inopes conſtitueret.

Nihilominus tamen, quamquam doctrina hæc a vero aberraverit, tamen vi-

vicinior Parochus imprudenter ſe geſſit ipſum redarguendo. Vel enim ab hoc dicendi genere in ea circumſtantia debebat omnino] præſcindere, ne graviores excitaret obmurmurationes, non vero ipſas compeſceret, vel eam partem concionis, quæ offenſioni dederat locum, ad ſanum ſenſum poterat revocare, eam ſcilicet interpretando in ſenſu mox explicato.

CAS. II. Capellanus die feſto proxime celebraturus in Oratorio publico recens erecto, coram frequentia populi, quæ ſecus deberet ſacrum omittere, intelligens nullam ex ſacris veſtibus eſſe benedictam, dubitat intra ſe an debeat a ſacro celebrando abſtinere, an debeat ipſe veſtes benedicere, an celebrare cum ſacris veſtibus nondum benedictis.

Qu. quid ſit eligendum.

Reſp. atque ad primam dubitandi rationem dico non debere Capellanum in caſu propoſito a Sacro celebrando abſtinere. Navarrus, enim, Vaſquez, Layman, Averſa, aliique docent urgenti gravi neceſſitate celebrari poſſe cum omnibus ſacris veſtibus non benedictis. Rationem autem adducunt, quia benedictio veſtium Sacerdotalium requiritur ſolum de jure Eccleſiaſtico, cujus finis non eſt excludere aliquam poſitivam irreverentiam, quæ eſſet in uſu veſtium, quæ non ſint benedictæ, nam carentia benedictionis, cum ſit quid mere negativum, non infert aliquam poſitivam indecentiam, præſertim quia non eſt carentia alicujus qualitatis debitæ ex natura Sacrificii, ſed ſolum ex inſtitutione Eccleſiæ: Sed finis eſt inducere aliquam poſitivam, & ſpecialem reverentiam. Ergo cum Eccleſia, & omnis Legiſlator ordinet ſuas leges ad bonum communitatis, ad quod ſemper debet reſpicere, non eſt præſumendum, quod debeat obſervantia ſuarum legum habere locum, quando impediret majus bonum; nam tunc eſſet nociva quia impediret majorem utilitatem, atque adeo ſortiretur finem contrarium fini intento a legiſlatore.

Inquirentes autem quanta debeat eſſe neceſſitas, ut in oblatione Sacrificii poſſint adhiberi omnes ſacræ veſtes non benedictæ; duas ;præſertim circumſtantias conſtituunt. Prima eſt quod hoc fieri poſſit pro conficiendo viatico, quando alias meliori modo non poſſet occurri, neceſſitati. Nam quamvis viaticum non ſit medium] neceſſarium ad ſalutem, eſt tamen potentiſſimum ſubſidium, quo carere, æquiparatur damno graviſſimo, cum lucrum amittere, & damnum pati paria ſint. Unde non eſt veriſimile, quod velit Eccleſia obſervantiam ſuæ legis prævalere neceſſitati, & utilitati conſtituti in periculo mortis, quia ſubvenire ipſi continet majus obſequium Dei, cum contineat exercitium charitatis, quæ eſt virtus omnium principaliſſima, atque adeo excedit cæteras in obſequio erga Deum. Accedit, eodem, quod dum miniſtratur Viaticum ſervatur quod eſt de jure divino, & redditur infirmo id, ad quod habet jus ex inſtitutione Chriſti. Majus autem obſequium redditur Deo ſi ſerventur quæ ſunt de jure divino, & juxta Chriſti inſtitutionem, quam ſi ſerventur ea, quæ ſunt de jure Eccleſiaſtico.

Circumſtantia altera, in qua hoc dicunt licitum eſſe, ea plane eſt, in qua alias populus eſſet cariturus Miſſa, & hoc non ſolum ſi eſſet ſequuturum ſcandalum, aut murmur populi, ſed abſolute. Si enim in hoc caſu omitteretur Miſſa, obſervantia legis exigentis in ſacris veſtibus qualitatem benedictionis, impediret majus obſequium Dei, ſiquidem cum de jure naturali divino ſit colere Deum Sacrificio, & hoc jus ſit indeterminatum quoad tempus, in quo exigit Deo exhiberi hunc cultum, Eccleſia determinavit aliquos dies in quibus exhibeatur; & quamvis determinatio excedat exigentiam juris, attamen trahit ſemper ſecum hoc jus cum contineat ejus executionem. Neque dicas utramque rationem vel nihil evin-

cere,

cere, vel etiam probare quod liceret celebrare in aximo, & alia id genus, quæ tamen a Theologis non conceduntur. Quæ, enim in circumſtantiis ſimilibus fieri non permittituntur, vel ipſam proximius attingunt Sacrifici naturam, vel magnam inducunt irreverentiam, quod in caſu noſtro non accidit.

Quod vero attinet ad alia dubia, quæ poſſent ſuboriri, quid nempe potius faciendum quando occurrit neceſſitas, an celebrandum cum ornatu Sacerdotali non benedicto, an vero potius præmittenda Benedictio, ab eodem Sacerdote celebraturo, cum hinc & inde habeatur lex Eccleſiaſtica, quod ſcilicet ſacræ veſtes debeant benedici, benedicantur vero ſolum ab Epiſcopo, Abatibus, aliiſque privilegiatis; Reſpondeo cedere potius legem de benedictione ſacerdotalis ornatus. Nam cum lex cedat ex cauſa neceſſitatis, ea cedere debet, cui opponitur ipſa neceſſitas. In caſu autem neceſſitas exigit Miſſæ celebrationem, cui opponitur defectus benedictionis ornatus ſacerdotalis, adeoque lex de tali ornatu, atque propterea lex hujuſmodi cedere debet neceſſitati.

CAS. III. Confeſſarius in Confeſſione Lucillæ deprehendit quemdam juvenem ejus Domum frequentatem eſſe ipſi occaſionem peccandi, & eamdem ſæpe turbari, quia in ejus Eccleſia raro adeſt Sacerdos paratus ad Euchariſtiam petentibus miniſtrandam; quapropter hac uſus notitia munus procurat juveni, quo debeat ab ea domo abſtinere, & Sacerdotem advocat pro Euchariſtiæ adminiſtratione.

Qu. an utramque ipſi licuerit ſine fractione ſigilli.

Reſp. varias eſſe Theologorum ſententias in ordine ad Sacerdotem, qui ex notitia Confeſſionis aliquid faciat, ex quo ſolus Pœnitens conſcius ſui ſtatus, & ſuæ Confeſſionis intelligat Confeſſarium ex ea notitia, operari. Aliqui enim, quos inter Angelicus, Divus Bonaventura, Scotus, Vaſquez, Navarrus, aliique abſolute affirmant id eſſe licitum; unde & docent poſſe Sacerdotem, qui in Confeſſionem novit indignitatem, aut excommucationem pœnitentis, illi poſtea denegare aliud Sacramentum, utpote communionem, aut ſubtrahere ſuum commercium, quando nempe alii non deſint, vel non advertant, ſed ſolus ipſe pœnitens præcipiat quare id fiat. Contra vero Sylveſter, Coninkius, Valentia, Nugnez cum aliis, abſolute negant id licitum eſſe, dicentes eſſe contra ſigillum; & ita volunt non licere Sacerdoti denegare ex tali ſcientia communionem, vel vitare excommunicatum, etiamſi ſolus ipſe pœnitens advertat.

Media quadam via incedit Sanchez, & cum ipſo Lugus, Fagundez, & alii ex recentioribus cenſent id quidem illicitum eſſe quando infert roborem, & confuſionem, ſive diſplicentiam, & moleſtiam, eſtque ingratum ipſi pœnitenti, non autem quando id fit gratum, aut ſaltem non reddat moraliter odioſam, aut difficiliorem Confeſſionem. Jam vero regula hujuſmodi approbande videtur, & in praxi tenenda. Quod enim attinet ad primam partem, hæc facile ſuadetur. Si enim non eſt licitum Confeſſario cum ipſo pœnitente loqui de peccatis in Confeſſione auditis; ſi non eſt licitum exprobrare ei peccata confeſſa, neque licitum erit factis, & ſignis ea exprobrare pœnitenti, quod ſane accideret quando Confeſſarius talia ageret, ex quibus pœnitens cum ſua confuſione adverteret eum ita agere ex notitia in Confeſſione habita, & ita redderetur magis gravis, & odioſa Confeſſio. Quare nec licitum eſſet Confeſſario auſteriorem deinceps vultum oſtendere pœnitenti, vel eum declinare ob peccata ab eo audita, quæ etiam eſſet quædam tacita exprobratio. Imo, ut inquiunt auctores laudati; nec in ipſa Confeſſione licitum eſt aliquid agere odioſum pœnitenti in ordine ad aliquod munus extra Confeſſionem complen-

Digitized by Google

plendum: utpote auferre claves famulo, qui aliqua furta in Confeſſione manifeſtat.

Oſtenditur etiam altera pars. Quia ſi Confeſſarius a pœnitente audierit ſe provocatum fuiſſe ad dignatione, & odium ex tali facto ipſius, & inde inducatur, ut a ſimilibus factis abſtineat advertente eodem pęnitente, hoc non cenſebitur contra ſigillum, neque illicitum, cum non reddat Confeſſionem odioſam, neque moleſtam. Hinc Confeſſarius, ut aſſerit Lugo, ſi ob confidentiam ei a pęnitente oſtenſam in confitendis graviſſimis peccatis, & cum magnis pęnitentiæ ſignis, peculiari eum affectu, & beneficiis proſequatur, ita ut pęnitens intelligat id ex Confeſſionis notitia provenire, non id erit pęnitenti ingratum, neque illicitum reputabitur.

Hinc porro facile apparet quid ſit reſpondendum ad caſum propoſitum. Non licuiſſe ſcilicet Confeſſario ſine fractione ſigilli amovere juvenem a domo Lucillæ, licuiſſe vero advocare Sacerdotem pro adminiſtratione Euchariſtiæ. Non licuit primum neque enim hoc facere potuit quin Lucillæ exprobraret occaſionem in qua verſabatur, aliunde vero ipſa remotio juvenis potuit eſſe Lucillæ incommoda, præſertim cum potuiſſet ipſam per ſe exequi, ſi ipſi vere placuiſſet. Licuit vero ſecundum; neque enim rubore ullo poterat Lucilla ſuffundi ſi notitia Confeſſionis cautum videret, ut commodior haberetur Euchariſtiæ adminiſtratio.

M E N S E N O V E M B R I.

CAS.I. Antonius in meridie diei ſolemnis indulgentiam lucraturus, cum videat Confeſſarium jam defeſſum paratum egredi, oblata Eleemoſyna retinet ut adhuc audiat ſuam Confeſſionem.

Qu. an ſimonia committatur.

Reſp. quæſtionem a Theologis agitari an liceat urgente neceſſitate dare pecuniam Sacerdoti, nolenti ſine illa adminiſtrare Sacramenta. Negant vero Doctor Angelicus, Alenſis, aliique, quia ut dicunt emere Sacramenta nunquam eſt licitum; utpote intrinſece malum. Leſſius autem, Suarez, Gerſon, Vaſquez, aliique communiter, licet concedant eſſe intrinſece malum emere Sacramenta, adeoque in nulla circumſtantia licitum eſſe, tamen affirmant juxta caſum propoſitum licite fieri poſſe, quia hoc non eſt emere Sacramenta, ſed potius vexationem redimere, ſeu permittere cum juſta cauſa peccatum alterius. Hinc Diana, & Hurtadus dicunt hoc licitum eſſe non tantum in Sacramento Baptiſmatis, & Pęnitentiæ, ut plures volunt ex citatis auctoribus, ſed etiam in aliis Sacramentis, & non tantum in caſo graviſſimæ neceſſitatis, ſed etiam neceſſitatis gravis, puta ſi quis impleturus eſſet Præceptum Paſchale Confeſſionis, & Communionis, vel poteret Viaticum, vel etiam carere deberet frequenti uſu Sacramentorum; Denique quotieſcumque aliquis non poſſet ſine gravi incommodo aliquo Sacramento carere. Quod quidem videtur cum iis cohærere, quæ communiter docentur de ſcandalo; cuique ſcilicet licitum eſſe cauſa ſui notabilis boni permittere alterius peccatum, quod dumtaxat ex illius malitia provenit.

Poſita autem hac generali Doctrina ut excuſetur Antonius dans eleemoſynam a peccato ſimoniæ; inquirere oporte, an occaſio lucrandæ indulgentiæ tanti facienda ſit, qua occurrente permitti poſſit ut Confeſſarius Eleemoſynam acceptans ex ſua malitia ſimoniam commitet; Præterea eſt etiam inveſtigandum an poſita hac oblatione Eleemoſynæ habeatur in Antonio ſola permiſſio, an etiam cooperatio ſimoniæ Confeſſarii; quæ duo cum egre defendi poſſint, hac præciſe attenta ratione egre poterit ſimonia, ut ſcandalum evitari. Potius ex alio capite haberi

beri poterit hæc excuſatio . Cum enim caſus ſupponat Confeſſarium diuturna ſui muneris exercitatione valde defeſſum eſſe , & egredi jam paratum , fieri poſſet hæc ſuppoſitio , quod pœnitens exhibens eleemoſynam , non ipſam exhibeat quaſi pretium Confeſſionis , ſed quaſi compenſationem novi laboris per ipſum ſubeundi, eumdemque finem habeat Confeſſarius in ipſa acceptanda . Quemadmodum enim Eleemoſynam Confeſſariis aliquando largiri videmus ratione laboris quem ſubeunt ſive in longo itinere faciendo , ſive in prolixitate temporis inſumendi in Confeſſionibus audiendis , ipſoſque ſive dantes , ſive acceptantes , Doctores excuſant ; ita etiam pari ratione ſi in caſu propoſito tum in pœnitente, tum in Confeſſario eadem interveniat cauſa , & eadem habeatur intentio , poterit a ſimonia uterque excuſari.

Hæc porro dixi ſpeculative loquendo , nam practice ſi poſſet Confeſſarius hoc novum incommodum ſubire , ſubire ultro deberet ſine acceptatione Eleemoſynæ ne ſaltem cum pœnitentis ſcandalo turpe lucrum comitteret ; vel ipſo renuente deberet pœnitens , etiam cum periculo amittendæ Indulgentiæ in aliam diem Confeſſionem differre , vel , ſi poſſet , alium adire , quam inſiſtendo pro Confeſſione , oblata pecunia , ſimoniæ aditum aperire.

CAS. II. Audiens Parochus alium Parochum curiam adire ad obtinendam licentiam pro acceptando legato Miſſæ perpetuæ , conſcius ſibi ſe tale legatum acceptaſſe ſine ulla licentia , anxie quærit a Vicario Foraneo an ullam pœnam incurrerit , an valida fuerit illa acceptatio , & quid remedii opus ſit. Attenditur reſponſio.

Reſp. ad primum certum omnino eſſe in dec. *de celeb. Miſ.* Sæcularibus ſuſcipientibus onera Miſſarum perpetuarum ſine licentia imponi pœnam interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu ipſo facto incurrendam , & ſolum difficultatem oriri an debeant ſtatim ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinere non expectata judicis declaratione. Nam licet in eodem decreto habeantur hæc verba , *abſque nlla declaratione incurrat* , attamen iſta clauſula non tam videtur referri ad pœnam interdicti , quam ad pœnam privationis omnium officiorum , quæ imponitur regularibus , ut colligitur ex contextu.

Nihilominus tamen , non quidem ex hac ratione , ſed ex genere pœnarum excommunicationis , ſuſpenſionis , interdicti, & irregularitatis, quæ omnes ex communi Doctorum ſententia ſic ſolent intelligi ; dicendum videtur ſæcularem aſſumentem onus perpetuum Miſſarum celebrandarum ſine licentia , abſque ulla judicis declaratione ita incurrere pœnam interdicti , ut ſtatim abſtinere debeat ab ingreſſus Eccleſiæ . Ratio autem eſt quod cenſuræ ſunt pœnæ medicinales ordinatæ ad reſipiſcentiam, non autem ad meram punitionem . Ex quo fit , ut ſicuti quiſque tenetur reſipiſcere , & ſe corrigere , ita etiam teneatur ſumere medicinam ordinatam ab Eccleſia ad emendationem . Per id enim quod eſt impoſita cenſura , eſt inſtituta medicina : per id vero quod ipſo facto imponitur , eſt oblata delinquenti , ut ſtatim ſumpta operetur emendationem.

Ad alterum dico ſuſceptionem oneris perpetui Miſſarum celebrandum ſine licentia eſſe nullam . Ratio autem eſt quia conſenſus, ſeu licentia præfata , non requiritur ut ſimplex Conſenſus , ſed ut Conſenſus auctoritate conſolidans , cum debeat Epiſcopus ſuam auctoritatem interponere pro tali oneris ſuſceptione ; quod ſatis ex eo colligitur quod requiritur talis Conſenſus , non ratione perſonæ , ſed ratione dignitatis, quam ſuſtinet , & proinde tanquam Conſenſus , qui ſit proprius illius dignitatis

atque

Digitized by Google

ſitque adeo ut auctoritativus. Tradunt autem Abbas, Felin, Lamb., aliique, quod quando Conſenſus intervenit tanquam actus auctoritate conſolidans, requiratur ad actus validitatem.

Ad Tertium Reſpondeo quod ſi contingat ſuſcipi hujuſmodi onera abſque prædicta licentia, & proinde nullam eſſe hujuſmodi ſuſceptionem, non poterit ſuſcipiens onus ſuſceptum ſuſtinere. Primo quidem quia retentio eſt continuatio ſuſceptionis, in qua ſicuti peccavit violando legem, ita etiam continuat peccatum, quia continuat portare onus contra prohibitionem. Secundo autem, quia fuit contra mentem teſtatoris, qui intendit imponere onus cum effectu obligationis, quæ cum fuerit ex nullitate actus impedita, fraudaretur eorum mens ſi onus ſuſceptum in tali ſtatu permaneret.

Pro ſananda autem hujuſmodi nullitate, erit obtinenda licentia, quæ ſufficiat ut tunc incipiat valere ſuſceptio. Cum enim perſeveret ex una parte Conſenſus teſtatoris, cujus voluntas ultima cenſetur ſemper durare poſt mortem, utpote morte confirmata, ſeu Fundatoris, cujus inſtitutum trahit ſecum illius conſenſum; ex alia vero parte adſit etiam Conſenſus ſuſcipientis onus; qui innovatur dum petitur licentia, accedente dicta licentia perficitur de novo actus, cum concurrant principia omnia neceſſaria ad ipſum conſtituendum, & ideo tunc incipit valere.

Quod vero ſpectat ad pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, certum eſt non poſſe delinquentem abſolvi niſi eum pœniteat de crimine, & procuret licentiam ab Ordinario, aut renunciet oneri ſuſcepto. Interdictum enim eſt pœna medicinalis, & ideo non poteſt tolli niſi ſequuta reſipiſcentia propter quam principaliter impoſita eſt. Sequuta vero emendatione poterit delinquens abſolvi a ſuo Ordinario, quod intelligitur pro foro externo, nam quo ad forum conſcientiæ abſolvi poterit a proprio Sacerdote. Atque hæc omnia fuſius diſputata, ſuiſque munita rationibus invenies apud Paſqualigum *de onere perpetuo celebrandi Miſſas* cujus in pauca contraxi.

CAS. III. Clemens rogatus pro mutuo centum aureorum, exigit a mutuatario decem aureos ratione lucri ceſſantis, nomine autem lucri ceſſantis illud intelligit, quod reportare ſolet ex ludo alearum.

Qu. an licite faciat.

Reſp. negative. Ut enim docent Sylveſter, Angelus, Diana, Toletus, aliique plurimi, ad exigendum aliquid ultra ſortem in mutuo ratione lucri ceſſantis, requiritur quod ipſum lucrum ſit in actu, & morali certitudine, id eſt quod de eo habeatur probabilitas, & non ſufficit ſola poſſibilitas. Nam, ut ait Zerola *in praxi Epiſc. v. Uſura* non valet poſſibilitas lucrandi, quia multa poſſunt accidere, quæ lucrum impediant, & regula philoſophiæ eſt, *poſſibili poſito non ſequitur neceſſarium*. Sed lucrum, quod ſibi Clemens promittebat ex ludo, & ſi poſſibile eſſe poſſet, tamen non eſt probabile, & moraliter certum, quia nulla major incertitudo, quam in ludo alearum, in quo frequentiſſime homines de divitibus fiunt pauperes, ſuumque patrimonium, uxorum, ac filiorum bona diſſipant & inſumunt cum irreparabili detrimento totius familiæ & negotiorum. Ergo Clemens nullo omnino jure ratione hujus lucri, quod ipſe ſibi fingit tanquam ceſſans, poteſt, in mutuo aliquid exigere ſupra ſortem. Præterea ad obligandum Mutuatarium, ut Mutuatori lucrum ceſſans refundat, opus eſt ut ipſe Mutuator licitam negotiationem facturus ſit, remque utilem, ac honeſtam aggreſſurus. Hin Clericus non poteſt in mutuo lucrum prætendere ratione impeditæ

 nego-

negotiationis, quia Clericis interdicta eſt negotiatio. Nihil autem hujuſmodi ſibi Clemens proponit, dum animo meditatur eam pecuniæ quantitatem, pro qua mutanda rogatur, ludo alearum exponere.

At inquies lucrum ceſſans jure peti a mutuatario, quando ſpes probabilis ipſi mutuanti effulget lucrum acquirendi ex pecunia quam mutuo dat, & ex induſtria ſua, adeo ut facta æſtimatione illius ſpei, attento periculo, & aliis circumſtantiis illa æſtimatio ſolvenda ſit, ſive lucrum futurum ſit majus, ſive minus ſive etiam nullum inde lucrum proveniat. Sed in ludo dari poteſt in luſore probabilitas lucrandi, attenta ludentis peritia, dexteritate, & induſtria, cum in ludendo fraudes licitæ habeantur ad lucrandum idoneæ, ut v. g. ſi habens potiores aleas, & ſecurus de victoria, metum ſimulet ut adverſarii ſponſionem augeant; ergo attenta probabilitate lucri, & etiam ſecuritate, quam Clemens habere poteſt poterit ſupra ſortem pro pecunia mutuata lucrum exigere.

Verum reſpondeo in ludis fortunæ nullam eſſe probabilitatem lucrandi, & experientia teſte, multos, qui pluries lucra fecerunt, adverſam poſtea pati fortunam in eodem ludo, & omnes facultates ſuas perdendo conſumere. Et licet luſor aliquando ſuæ ſortis certus habeatur, hoc tamen eſt aliquid accidentale, ex quo non poteſt oriri moralis illa certitudo lucrandi, quæ neceſſaria eſt ad exigendum lucrum ceſſans a mutuatario.

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. Caſſianus ſpecie majoris boni deceptus, vovit matrimonium ad finem acquirendi gratiam Sacramentalem, cum animo ingrediendi poſtea religionem; & vi hujus voti contraxit ſponſalia cum Flavia. Admonitus autem a Confeſſario de nullitate hujus voti ab hiſce ſponſalibus receſſit. Poſtmodum vero mutato religionis propoſito, Flavia jam mortua, ſe determinat ad matrimonium cum Roſa ejus Sorore.

Qu. I. an Confeſſarius ipſum recte docuerit. II. an ex illis ſponſalibus ortum fuerit impedimentum publicæ honeſtatis.

Reſp. ad primum jure Caſſianum a Confeſſario admoneri debuiſſe de nullitate ſui voti. Excepto enim caſu quod vovens, ſe ad hoc præſtandum deliberaverit, ad reparandum damnum fœminæ, quam defloravit ſub ſpe futuri matrimonii, quodque alia ratione reparare non poteſt, in quo utique votum tenere cenſet Sanchez, Henriquez, Suarez, Coninkius, aliique; hoc inquam excepto caſu, votum matrimonii non tenet. Votum enim de genere ſuo debet eſſe de meliori bono, cum Deus id non acceptet quod minus eſt, quando hoc impedit id, quod majus, & melius eſt. Votum autem matrimonii, non eſt de meliori bono, imo ſecundum ſe eſt impeditivum majoris boni, quia ſtatus continentiæ ipſi oppoſitus teſte Apoſtolo melior eſt atque perfectior. Votum ergo matrimonii ſecundum ſe præciſe ſumptum nulla ratione ſubſiſtit.

Neque refert quod votum emittatur ea intentione, ut quis matrimonium contrahat ad obtinendam gratiam Sacramentalem, & poſtea ingrediatur religionem eo non conſummato; Hanc enim intentionem non ſufficere ad votum convalidandum docet Navarrus, Lopez, Rodriquez, aliique apud ipſos. Ratio autem ex eo primo deducitur, quia contrahere matrimonium ſub ea intentione, ut conjux intacta deſeratur, ſecundum communionem Doctorum ſententiam, quos citat Layman *tract.* 4. *c.* 3., non caret culpa. Quamquam enim cuique licitum ſit poſt contractum matrimonium, intra bimeſtre eo non conſummato ingredi religionem;
non

non tamen ſequitur licitum etiam eſſe illud contrahere cum hac intentione, ut ipſo celebrato, & conſequuta gratia ſacramentali, ante ejus conſummationem fiat tranſitus ad religionem. Nam licet actualis conſummatio in actu ſecundo, procreatio, & educatio prolis, non ſit de ſubſtantia Sacramenti matrimonii; Intentio tamen conſumandi, aliaque perficiendi, quæ ſunt bona matrimonii, eſt de illius ſubſtantia; adeoque qui contrahit cum intentione contraria, illicite contrahit. Accedit eodem, quod ita contrahere cum hac intentione, eſt maxime injurioſum parti, atque adeo illicitum. Denique matrimonium non eſt præciſe inſtitutum propter ſe, & propter gratiam quæ ad ipſum conſequitur, ſed ad ſocialem vitæ unitatem, propagationem ſpeciei, & prolis educationem, in ordine ad quæ gratia matrimonialis conceditur; ergo ceſſantibus hujuſmodi cauſis finalibus non erit licitum matrimonium contrahere, adeoque neque licitum erit illud vovere.

Ad alterum dico reſponſionem deſcendere ex dictis. Poſita enim invaliditate voti, quo Caſſianus ſpecie majoris boni deceptus ſe ad matrimonium determinavit ob acquirendam gratiam ſacramentalem, cum animo ingrediendi poſtea religionem; erunt etiam invalida Sponſalia, vi hujus voti ab ipſo contracta; neque apta erunt ad inducendum impedimentum publicæ honeſtatis, quod non oritur niſi ex ſponſalibus validis. Corruente enim principali, corruit acceſſorium. Ita communiter.

CAS. II. Fabianus in ſua approbatione pro Confeſſionibus audiendis obtinuit etiam facultatem illimitatam abſolvendi à reſervatis; amiſſo autem hujus facultatis Chirographo, dubitans de hac illimitatione, rogavit iterum pro hac facultate, eamque obtinuit, ſed limitatam, qua obtenta invenit Chirographum prioris facultatis.

Qu. an prima faculiate uti poſſit, an debeat ſtare ſecundæ.

Reſp. Regulariter loquendo poſſe Fabianum uti prima facultate. Si quæ enim haberetur dubitandi ratio, vel oriretur ex parte Fabiani, quatenus petendo novam fatultatem renunciaverit primæ, vel ex parte Ordinarii quatenus eidem derogaverit novam concedendo. Neutrum autem dici poteſt. Non primum; Sanchez enim l. 8. de mat. diſp. 21. agitans quæſtionem de eo, qui impetravit diſpenſationem, & ob aliquos ſcrupulos ſibi objectos impetravit aliam, quæ conceſſa eſt cum aliquibus limitationibus, poſtea vero certior eſt factus de valore prioris, reſpondet, poſſe adhuc illa uti, quia petendo ſecundam non videtur regularite priori renunciare. Id porro dicendum eſt etiam in caſu noſtro. Fabianus enim dum amiſſo Chirographo primæ faculiatis petit alteram, unice intendit eximere ſe ab eo dubio quod ipſi ſubortum erat de ea illimitatione, de cætero perſeverans in intentione ejuſdem utendæ, ſicuti revera accidiſſet, ſi immediate ante petitionem ſecundæ iuveniſſet primam. Ergo nullo modo præſumitur, quod novam petendo renunciaverit primæ.

Quod vero attinet ad Ordinarium concedentem, neque eſt ratio dubitandi, quod limitatione addita in poſteriori derogaverit primæ. Aliud eſt enim non concedere quantum antea conceſſerat, & aliud revocare poſitive conceſſionem jam factam. Superior enim non eſt ſemper æqualiter diſpoſitus ad concedendum; ſed tamen ex hac inæquali diſpoſitione non ſequitur, ut eo ipſo quod ſi nunc rogaretur non concederet, cenſeatur revocare, juxta illud *Turpius eiicitur, quam non admittitur Hoſpes*, & durius eſt auferre quod conceſſiſti, quam non largiri quod petitur. Si enim hoc putaremus, quamquam diverſa eſſet Perſona, æquali meriti, cui nunc facultas negaretur, vel limitaretur, argumentari quis poſſet ab-

ablatam eſſe aut limitatam conceſſionem factam alteri perſonæ ejuſdem meriti , quod nemo dicet . Sæpe enim videmus experientia duce cautiores aliquando in concedendo , rigidioreſque fieri Ordinarios , atque adeo vel negare , vel limitare gratias aliis petentibus , quin tamen cenſeantur revocare conceſſas.

Appoſite autem dictum eſt in reſponſione *regulariter loquendo* . Si enim haberentur aliæ circumſtantiæ quibus indicaretur limitationem additam poſteriori , ex voluntate Ordinarii de novo manifeſtata , vel ex ipſis verbis limitationem exprimentibus , primæ conceſſioni præjudicare , tunc utique alia ratione eſſet differendum .

CAS. III. Marcellinus per errorem recitavit officium craſtinum pro hodierno.

Qu. an cras recitare debeat officium hodiernum , an iterum craſtinum.

Reſp. Attenta rubricà de translatione feſtorum , aliquibus videri poſſe debere Marcellinum die craſtino hodiernum officium recitare . Quando enim dies propria eſt impedita , feſtum transferentur . Sicut autem impeditur dies feſto majori , impeditur etiam oblivione , quæ utique maximum impedimentum inducit . Oblivione itaque impediente , ne hodie recitetur officium hodiernum , debebit cras recitari , omiſſo craſtino , quod ejus loco recitandum eſt . Præterea ignoranti non currit tempus . Cum primum itaque venit in mentem obligatio , debet ipſi ſatisfieri . Denique nemo jure ſuo abſque culpa ſpoliandus eſt . Cum itaque oblivio non ſit cauſa culpabilis , neque ſanctus , neque recitans debet ſuo jure privari .

Nihilominus dico errorem errore corrigendum non eſſe , nam hoc non eſſet errorem corrigere , ſed bis errare . Itaque Marcellinus ſi hodie erravit omittendo per oblivionem officium hodiernum , non debet iterum cras errare omittendo craſtinum . Ratio autem eſſe poteſt quod ex mente Pii V. ſingulis diebus habetur præceptum recitandi officium illius diei . Si ergo hodie per errorem recitaſti aliud officium non ideo excuſaris a præcepto craſtino , quod nondum incæpit obligare , & quod cras obligat determinate ad tale officium . Præterea innumera exempla id ipſum oſtendunt , quæ quidem cum ex una parte clariſſima ſint , ex altera vero a nemine in dubium revocentur , omnem animi ſuſpenſionem in hac re funditus tollunt . Si enim per errorem hodie jejunaſti putans eſſe vigiliam S. Petri , quæ erit cras ; non ideo excuſaris ab jejunio die craſtino , & contra ; ſi vigilia ſit hodie , & tu per errorem putes eſſe cras , non teneris cras ad jejunandum , quod etiam valet de auditionem Miſſæ , de abſtinentia ad operibus ſervilibus &c. Ratio eſt autem quia Eccleſia non præcipit e. g. jejunare ſemel in anno in honorem Sancti Petri , ſed exigit determinate tali die jejunare. Eodem autem modo præcipit tali die determinate recitari tale officium ; quare ſi per errorem alia die illud recitaſti , nondum ſatisfeciſti præcepto Eccleſiæ , quod nondum incæperat obligare.

Non urgent autem quæ in oppoſitum afferebantur. Rubrica enim de translatione feſtorum , probat oppoſitum . Cum enim in rub. 10. caſus omnes enumerentur , quibus facienda eſt hæc translatio, enumeraretur etiam oblivio , ſi eſſet motivum transferendi . Pariter ſi abſolute verum eſſet ignoranti non currere tempus , neque curreret tempus audiendi Miſſam , jejunandi &c. atque adeo accedente notitia , accederet etiam poſt tempus elapſum , obligatio Miſſæ , jejunii &c. quod falſum eſt . Denique ut quiſque facile advertere poteſt confunderentur omnes officii rubricæ ſi in hac re valeret ea ratio quod nemo eſt ſine culpa ſuo jure ſpoliandus . Ita communiter qui de hac re diſputarunt .

L A U S D E O.

Digitized by Google

CASUS RESOLVENDI

IN DIOECESI

ANNO MDCCLXXIV.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. FLaminius captus amore Camillæ, conſanguineæ in gradu prohibito, obtinuit diſpenſationem; mox vero ante ſponſalia, novo amore irretitus erga Flaviam pariter conſanguineam, obtinuit aliam diſpenſationem nulla facta mentione primæ.

Qu. an hæc diſpenſatio valida ſit.

CAS. II. Idem Flaminius diſſoluto per mortem Flaviæ matrimonio, vi diſpenſationis antea obtentæ, vellet ducere Camillam adhuc nubilem.

Qu. an ipſi liceat.

CAS. III. Petronilla nobilis Fæmina domi retinens diebus feſtis duas filias, & duas famulas, filias quidem, ad otium præcavendum, acu pingere præcipit, famulas vero, veſtes ſuas reſarcire permittit, cum diebus ferialibus id facere ipſas non patiatur.

Qu. quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat ſive erga Matrem, ſive erga Filias, ſive erga Famulas.

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. DAmianus conditio teſtamento reliquit Eccleſiæ Parochiali legatum centum aureorum titulo ſepulturæ ab ipſo electæ in quodam Sacello ejuſdem Eccleſiæ. Accidit vero, quod ob tranſgreſſionem præcepti Communionis Paſchalis interdictus, & in interdicto decedens, Eccleſiaſtica ſepultura privari debuerit.

Qu. an Parochus legatum hoc exigere valeat.

CAS. II. Damaſus Voto Caſtitatis obſtrictus, nubendi cauſa diſpenſationem obtinuit, poſtmodum vero conſcientiæ ſtimulis agitatus, renuntiavit diſpenſationi, cum animo perſeverandi in voto.

Qu. an hac facta renunciatione ipſi nubere liceat.

CAS. III. Venantius apud Confeſſarium ſe accuſat in hunc modum: Ab ultima Confeſſione nullum habeo læthale, accuſo me de omnibus venialibus ab ea vice commiſſis.

Qu. an Confeſſarius abſque alia interrogatione poſſit ipſum abſolvere.

MENSE MARTIO.

CAS. I. ALbertus graviter offenſus a Cajo, quamquam aſſerat ſe injuriam ex animo condonaſſe, ejus tamen actionem in judicio proſequitur.

Qu. an ſit capax abſolutionis.

CAS.

CAS. II. Idem Albertus ab offenſo rogatus ut pacem in ſcriptis exhibeat, præſtare recuſat, cum ipſi ſufficiens videatur ſe id verbis manifeſtaſſe.
Qu. an hoc ſufficiat ut poſſit abſolvi.
CAS. III. Parochus pœnitentem conjugatum graviter arguens ob plura crimina contra Matrimonii bona perpetrata, ab ipſo deprehendit, quod matrimonium contraxit cum animo ad quamlibet Fæminam accedendi, prolem vero a ſua uxore naſcituram, aut impediendi, aut enecandi.
Qu. an hoc matrimonium ſine conſenſu in ejus bona ſubſtantalia validum fuerit.

MENSE APRILI.

CAS. I. ALiprandus morti proximus manifeſtat Parocho intentionem quam haberet mutandi teſtamentum, quod antea fecerat, & juramento firmaverat, ſi tamen hoc ipſi liceat, ſuumque effectum ſit habiturum.
Qu. Reſponſio Parochi.
CAS. II. Fernandus dat Filiam nuptui Titio, interim vero dum ei dos non perſolvitur cedit pignus fruendum.
Qu. An Titius, ne uſuram committat, teneatur fructus pignoris computare in ſortem.
CAS. III. Mauritius ſecreto ſciens magnam vini quantitatem brevi ſuperventuram, & edictum a Principe divulgandum pro frumenti pretio diminuendo, utrumque vendit pretio currenti.
Qu. an graviter peccet ſive contra juſtitiam, ſive contra charitatem.

MENSE MAJO.

CAS. I. CUM in magna Solemnitate Eccleſia aulæis ornaretur, Nerius malo animo in Sergium, ipſi ſtruit inſidias remoto pontis ſuſtentaculo, quo fit ut Sergius præceps ruat, & moriatur.
Divulgatis inſidiis, & homicidio ſequuto quæſtio oritur an Eccleſia polluta fuerit.
CAS. II. Dum ſermo haberetur de cauſis Eccleſiam polluentibus publicatum eſt factum multo antea in Parochiali ſequutum, vere aptum ad ipſam polluendam, licet ex ignorantia ut polluta, habita non fuerit.
Qu. an poſt hanc publicationem haberi debeat tanquam polluta.
CAS. III. Camilla amicitia juncta cum Flaminia, licet ipſi inferior divitiis, deprehendens Sergium ſuum Filium amore captum erga Lucillam Filiam Camillæ, timens ejus diſſenſum pro nuptiis contrahendis, Camillam rogat, ut ſibi rus proficiſcenti concedat Lucillam cauſa valetudinis, quo obtento Sergius, & Lucilla contrahunt matrimonium.
Qu. an obſtet impedimentum raptus ne hoc matrimonium ſit validum.

MENSE JUNIO.

CAS. I. SImplex Confeſſarius vocatus ad audiendam Confeſſione Alberti ægrotantis ad mortem, cum in ejus domo verſatur Parochus, quem novit habere facultatem abſolvendis a cenſuris, & reſervatis, invenit ipſum Albertum cenſura, & reſervato innodatum.
Qu. an poſſit ipſum abſolvere, an potius debeat Parochum advocare.
CAS. II. Eduardus obtenta facultate pro voti commutatione, exequenda a Con-

Confeſſarii electione, conſignatis litteris, & inchoata Sacramentali Confeſſione, inveniens ipſum vel aſperiorem, vel rigidiorem, ab ipſo diſcedit, & accedit ad alium.

Qu. an hic alius Confeſſarius poſſit uti hac facultate, & ipſi votum commutare.

CAS. III. Cletus emiſſo voto non ludendi, identidem ludit, ſed hoc facit modico tempore, & modicam exponit quantitatem pecuniæ.

Qu. an graviter peccet.

MENSE JULIO.

CAS. I. Timoteus commodavit Equum Blaſio per menſem. Cum autem ambo eſſent Milites in Urbana militia, fortuito caſu accidit ut inopinato jubeantur cum Equo urbem adire, ibique per dies aliquot ſuo munere fungi.

Qu. an Timoteus revocare poſſit Equum ante tempus conſtitutum.

CAS. II. Cum Fabianus in Confeſſione generali ſe accuſaret quod pluribus antea annis centum aureos lucratus erat Romualdo, tunc Filio Familias, de quibus inſcius Pater nullam cum ipſo habuit quæſtionem, atque adeo de reſtitutione non cogitavit, Confeſſarius ipſum obligavit ad eo reſtituendos, licet Pater mortuus eſſet, & Romualdus unicus Filius ejus hæres inſtitutus.

Qu. an jure fecerit.

CAS. III. Teſeus viator incidens in latrones jam paratos ad ejus equum furandum, jurat, ſi dimittant, ſe domum reducem duplum pecuniæ largiturum.

Qu. I. an adepta libertate obſtringatur juramento ad ipſam ſolvendam. Secundo poſito quod ſolvere debeat, an ſaltem eadem ſoluta poſſit ipſam repetere vel facta ad judicem denunciatione, vel compenſatione, vel alia quavis ratione.

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. Mauritius metu injuſte incuſſo coactus ad ducendam Teclam, veritus novas vexationes, niſi id etiam faciat, jurat ſe non reclamaturum contra hanc coactionem.

Qu. an hoc juramentum ipſum obliget ad non reclamandum.

CAS. II. Rinaldus impubes gravi morbo correptus, vovet, ſi convaleſcat jejunium quolibet Sabbato, pane, & aqua, cum animo petendi a Patre hanc licentiam. Adepta autem ſanitate, cum hoc voto gravetur, putans Patrem negaturum, ſi licentiam ſimpliciter petat, conceſſurum vero, ſi votum exponat.

Qu. a Confeſſario an teneatur exponere Patri votum emiſſum, ad licentiam jejunii facilius obtinendam.

CAS. III. Cum magna advenarum frequentia in quodam oppido Nundinæ celebrarentur, ibi, ut ſolet, advenerunt Salvatores, Funambuli, & Circulatores, qui periculoſos ſaltus edebant, & ad oſtentandam ſuorum pharmacorum virtutem venena ſumebant, & brachia Viperis mordenda porrigebant. Cum vero iſti in Solemni ejuſdem oppidi feſtivitate, ut indulgentia lucrarentur ad Confeſſarium acceſſiſſent, noluit eos abſolvere.

Qu. an bene ſe geſſerit.

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. Circulatores iſti ob negatam abſolutionem publice querimonias fecerunt, & rumores excitarunt contra Confeſſarium, qui ut ſe defenderet publice dixit hoc hominum genus eſſe incapax Sacramentorum.

Qu.

Digitized by Google

Qu. an fregerit Sacramentale ſigillum.

CAS. II. Cum Matri gravidæ ad mortem ægrotanti medicina propinaretur, ortum eſt dubium an fœtui eſſet nocitura.

Qu. an hoc non obſtante poſſet Mater medicinam ſumere.

CAS. III. Evaſius occulte occidit Eraſmum. Cum vero Petrus publicas, capitaleſque inimicitias cum Eraſmo haberet, innocenter in carcerem truditur, & patitur graviſſima damna.

Qu. an Evaſius teneatur damna hæc reparare.

M E N S E O C T O B R I.

CAS. I. BOnonius agriculturæ peritiſſimus, vites ab Etruria aſportatas in agro ſuo diligenter excoluit, unde vinum elicitum, quod judicio peritorum habetur pro Etruſco; Et cum ipſi a pluribus familiis vinum Etruſcum ſæpe deferendum committatur, hoc vinum vendidit pro Etruſco eodemque pretio.

Qu. an peccaverit contra juſtitiam.

CAS. II. Clericus nullum habens obligationem recitandi officium divinum, ut Sacerdoti morem gerat, illud cum ipſo quotidie recitat, ſed in ipſa recitatione ad tædium declinandum voluntarie ſe diſtrahit.

Qu. an peccet ſaltem venialiter.

CAS. III. Alipius ſimplex Sacerdos ſæpe miſſus a Parocho ad infirmos, ut ipſis afferat ſpirituale aliquod ſolatium, &, ſi inopinato accidat articulus, aut periculum mortis, impertiatur etiam abſolutionem ſacramentalem.

Qu. a Parocho quomodo dignoſcere poſſit adeſſe articulum, aut periculum mortis.

M E N S E N O V E M B R I.

CAS. I. FÆmina Confeſſione ſerio peracta, fingens ſe accedere ad manum Confeſſarii ex devotione oſculandam, verbis & actibus obſcænis ſolicitat ipſum ad turpia, atque ipſi ſolicitanti, vebis & actibus Confeſſarius conſentit.

Qu. an hæc Fœmina Confeſſarium hunc debeat denuniare.

CAS. II. Parocus ſæpe dimittit Parochianos ipſum expoſtulantes pro Confeſſione facienda, dicens ſe non teneri ipſos audire quando voluerint, ſed ſolum urgente præcepto, vel alia gravi neceſſitate.

Qu. an verum dicat.

CAS. III. Agnes conjugata, emiſit de Mariti conſenſu votum caſtitatis, quod poſtea mutata ſententia ab eodem Marito irritatum eſt. Nunc autem Marito mortuo vellet alteri nubere.

Qu. primo an Maritus poſſit irritare votum caſtitatis in Uxore, in quod antea conſenſerat. Secundo: An hac poſita irritatione poſſit alteram ducere.

M E N S E D E C E M B R I.

CAS. I. PArochus habens facultatem conferendi Capellaniam, quæ ex ſua inſtitutione, conferenda eſt Sacerdoti, confert ipſam Clerico in minoribus conſtituto.

Qu. an jure faciat.

CAS. II. Caſimirus accuſat ſe, quod integro die inhæſit pravæ cogitationi, ſed cum pluribus interruptionibus.

Quæritur ſcientia Confeſſarii in diſtinguendo numero peccatorum.

CAS. III. Pamphilus tres habens nubiles filias promiſit Placido, ſe unam ex iſtis daturum ipſi in uxorem, quam promiſſionem Placidus acceptavit. Cum autem ſingulæ paratæ ſint ad nubendum Placido.

Qu. Cui ſpectet electio, an Pamphilo, an Placido.

L A U S D E O.

AD CASUS CONCIENTIÆ

D E M A N D A T O

O L I M

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D.

PROSPERI LAMBERTINI

S. R. E. CARD. AC BONONIÆ ARCHIEP.

D E I N D E

SANCTISSIMI D. N. PAPÆ

BENEDICTI XIV.

APPENDIX NONA,

CONTINENS CASUS RESOLUTOS

AB ANNO MDCCLXXIV.

Opus Confeſſariis, atque animarum curam gerentibus perntile ac neceſſarium.

V E N E T I I S;

M D C C L X X V I.

TYPIS BARTHOLOMÆI OCCHI,

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ANNO MDCCLXXIV.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. FLaminius captus amore Camillæ conſanguineæ in gradu prohibito, obtinuit diſpenſationem: mox vero ante ſponſalia, novo amore irretitus erga Flaviam pariter conſanguineam, obtinuit aliam diſpenſationem nulla facta mentione primæ.

Qu. an hæc diſpenſatio valida ſit.

Reſp. affirmative. Nam neque Camillæ jus læditur ſecunda hac diſpenſatione, cum ſupponatur obtenta ante Sponſalia cum eadem: neque hæc gratia ex earum genere eſt, quæ, ut robur habeant prioris mentionem poſtulent. Etenim, ut docet Vincentius de Juſtis lib. 1. de Diſp. cap. 4. n. 205., & ſequentibus, tribus in caſibus neceſſaria eſt expreſſio prioris diſpenſationis. I. Quando caſus eſt a jure expreſſus. Illegitimus V. G. diſpenſatus ad Beneficium, ſi velit poſtmodum diſpenſari ſuper pluralitate, debebit petendo ſecundam diſpenſationem prioris mentionem facere, cum ob alias, tum etiam propter hanc cauſſam, quod id expreſſe præcipiatur c. 2. de Filiis Præsb. in 6. II. Quando tacita priori diſpenſatione, non poſſet Pontifex torum cognoſcere impedimentum, ſuper quo petitus diſpenſatio. Diſpenſatus v. g. ſuper affinitate, ſi nova ex illicita copula ſuperveniat, a qua iterum diſpenſari velit, debit priorem commemorare, quia duæ iſtæ affinitates faciunt unum totum indecentius, magiſque repugnans eidem Matrimonio, quam ſingulæ ſcorſim conficerent. III. Quando per ſecundam diſpenſationem petitur aliqua gratia major de eo, ſuper quo quis fuit alias diſpenſatus. Si quis v. g. obtenta ſuper voto caſtitatis diſpenſatione, ducat uxorem, & ſoluto Matrimonio, velit aliam ducere, tenebitur novam impetrando diſpenſationem, prioris obtentæ meminiſſe; ſecus ſubreptitia eſſet, quia Papa ignoraret quantam in eo voto relaxationem faciat.

Jam vero res ſecus ſe habet in caſu noſtro. I. Enim hic caſus non eſt a jure expreſſus: nullo ſcilicet jure cautum eſt, ut hocce in caſu prioris diſpenſationis mentio fiat. II. Ut Papa totum cognoſcat impedimentum, quod ſecunda hac diſpenſatione relaxat, non eſt neceſſe ut priorem noſcat diſpenſationem. Secunda enim hæc diſpenſatio, non idem reſpicit impedimentum, neque tendit ad idem Matrimonium; ſed ſunt gratiæ, ut notat Sanchez Tom. 2. lib. 8. Diſp. 22. ſuper diverſis rebus, & ad diverſum finem tendentibus. III. Cum gratia, quæ ſecunda hac diſpenſatione petitur, non ſit ſuper eadem re, a qua Flaminius fuit alias diſpenſatus, ſed ſuper diverſa, diverſo ſcilicet Matrimonio, non eſt neceſſaria Pontifici prioris diſpenſationis notitia, ut intelligat, quantum ſuper ſecundo hoc Matrimonio relaxationem faciat. Valet erga ſecunda diſpenſatio non

memorata priori: cui ſententiæ favent Sanchez , Guttierez , Layman , Tiana , & communiter DD.

Neque refert , quod Pontifex difficilius conceſſiſſet gratiam , ſi priorem noviſſet . Nam ſola taciturnitas eorum , quæ de jure exprimenda ſunt , vitiat gratiam , quamvis hæc taciturnitas ignoranter , & ſine dolo contingeret ; non autem taciturnitas earum qualitatum , quæ retardarent Pontificem a conceſſione ; tum quia præſumitur Principem velle ſe diſpoſitioni juris communis conformare , tum quia nulla gratia eſſet certa , & tuta , ſi ea omnia exprimenda eſſent , quæ ſi ſciret , difficilius Papa concederet . Ita de Juſtis cap. 4. n. 10. & ſequentibus , & n. 31. & ſequentibus .

CAS. II. Idem Flaminius diſſoluto per mortem Flaviæ , matrimonio , vi diſpenſationis antea obtentæ , vellet ducere Camillam adhuc nubilem .

Qu. an ipſi liceat .

Reſp. Executa ſecunda diſpenſatione priorem amplius non valère , adeoque diſſoluto Matrimonio cum Flavia , non poſſe Flaminium ducere Camillam vi prioris diſpenſationis . Ratio eſt , quia duplex diſpenſatio eſt contra mentem Pontificis . Cum enim diſpenſatio , ut docent Pyrrhus Corradus , & Vincentius de Juſtis ſit vulnus legis , quia juri communi adverſatur , præſumi nequit , voluiſſe Pontificem niſi id ſe agere certa ſcientia noverit , duplicem valituram diſpenſationem concedere . Cum autem diſpenſatio eſt contra præſumptam rationabiliter Principis voluntatem , nulla cenſenda , eſt & irrita , ut iidem docent Auctores , & probat Sanchez lib. 8. Diſp. 22. ex cap. fin. de fil. Presb. in 6. aliiſque argumentis .

At inquies ; prima diſpenſatio valida fuit , eaque uti poterat Flaminius ; non fuit ab eo rejecta , cum ſecunda executioni mandata eſt ; & ſi eam retractaſſet , hujuſmodi renunciatio non valeret , quia renunciatio non valet niſi ſit acceptata a legiſlatore . Reſp. primam gratiam validam fuiſſe , eaque potuiſſe frui Flaminium , antequam ſecunda uteretur ; ſed cum ſecunda fuit executioni mandata , prima infirmata eſt , & concidit . Cum enim duplex gratia ſit Beneficium nimis exorbitans a jure communi , nimiſque vulnerans legem , ſi noviſſet Pontifex aliam conceſſiſſe , cum conceſſit ſecundam , vel primam revocaſſet , vel alias conditiones appoſuiſſet , vel aliud quid piam , quo tanta coarctaretur amplitudo Beneficii , geſſiſſet .

Eſto autem animus Flaminii fuerit non renuntiare priori diſpenſationi *at Pontifex* , ut ait Sanchez diſp. 23. *noluit concedere duplicem diſpenſationem , ut utraque ſtaret , & ad libitum poſſet utravis uti impetrans : & ſi id peteretur denegaret utique tamquam rationi valde diſſonans* . Quæ autem de renunciatione & acceptione adjunguntur , non ſunt ad rem . Nam ad irritandam primam illam gratiam non eſt neceſſaria renunciato impetrantis , & acceptatio legiſlatoris . Corruit enim ſuapte natura , tamquam nimis læſiva juris ; neque Pontifex permitteret , ut utraque uteretur Flaminius ſi id noviſſet . Cum autem veriſimile eſt aliquid nolle Pontificem concedere , gratia evaneſcit : ut citati Auctore demonſtrant .

CAS. III. Petronilla nobilis Fœmina domi retinens diebus feſtis duas filias , & duas famulas , filias quidem , ad otium præcavendum

acu

acu pingere permittit, famulas vero, veſtes ſua reſarcire præcipit, cum diebus ferialibus id facere ipſas non patiatur.

Qu. quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat ſive erga Matrem, ſive erga Filias, ſive erga Famulas.

Reſp. Debere Confeſſarium arguere Matrem, quod hæc ſive permittat, ſive præcipiat. Agit enim contra divinum præceptum prohibens diebus feſtis opera ſervilia. Neque evitandi otii ratio excuſat. Non deſunt enim piæ exercitationes, laudabilia ſtudia, honeſta etiam ſi vis, ſolatia, quibus otium, malorum omnium Patrem, a ſuis puellis poteſt Petronilla eliminare. Quod ſi neque vellent puellæ tantum temporis operibus pietatis concedere, neque Mater honeſtum aliquod ſolamen illis dare, tunc permittere, aut præcipere opera ſervilia, eſſet minus malum, ſed non abſolute bonum. Contrarium tamen aliqui docent, & præſertim Suarez Tom. 1. de Rel. lib. 2. cap. 16. Fagundez aliiſque, qui laborantes modico tempore excuſant *titulo moralis neceſſitatis*. Non enim, inquiunt, poteſt homo ſæcularis, ad id non aſſuetus toto die integro orationi, & lectioni vacare; & ideo ne ſit otioſus, aut operibus, minus honeſtis indulgeat, indiget aliqua mechanica exercitatione. Sed videtur, hæc ratio probare plurimis concedi poſſe, ut integro ferme die terrenis laboribus vacent. Eſt enim major Chriſtianorum pars ita male affecta, ut niſi occupentur mechanicis operibus, aut deſides totum tranſigant diem, aut in iis detineantur, quæ Chriſtianum hominem dedecent. Ex adducta ergo doctrina concludi ſolum poteſt opera ſervilia permittere, eſſe quandoque minus malum, ſed nunquam eſſe ſimpliciter bonum. Hinc patet quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat erga Matrem.

At quomodo erga filias & famulas? Digniores profecto ſunt excuſatione. Attamen filias, quibus ſolum permittitur non jubetur ſervile opus, debet Confeſſarius allicere, quantum poteſt, ad pietatis opera; nonnullaſque ſive ſpirituales exercitationes, ſive lectiones, quæ utilitatem ſimul, & delectationem afferant, illis præſcribere. Vel ſuadere poteſt, ut mutato operum genere, ad alia ſervilia ſe applicent, quæ in pauperum utilitatem dirigantur. Licitum enim eſſe ſerviliter operari diebus feſtivis ad vitandum otium; dummodo id fiat in ſubſidium pauperum, docet cum Silveſtro Beſombes de 3. Decal. Præc. cap. 2. art. 9. Quod ſi hæc nequeat Confeſſarius obtinere, poterit tolerare, ut, ad vitandum majus animæ damnum, aliquo ſervili opere occupentur, dummodo id faciant modico tempore; idque permulti concedent graviſſimi Auctores, non tamquam bonum, ſed ut minus malum.

Famulæ vero multo magis ſunt excuſandæ. Neceſſitas enim illas cogit reſarcire veſtes, cum Domina non patiatur id illas efficere diebus ferialibus. *Opus corporale* inquit D. Thomas 2. 2. q. 121. art. 4. ad 3. *quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat ſabbatum*. Damnum autem paterentur famulæ ſi non reſtaurarent feſtivis diebus. Si tamen hoc ſemper, aut frequentiſſime Domina præciperet, debet illas Confeſſarius hortari, ut relicta eorum Domina, aliam adeant domum ſervitutis gratia; dummodo ibi tuta eſſe poſſit earum honeſtas, neque notabile paſſuræ ſint damnum temporale.

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. DAmianus condito teſtamento reliquit Eccleſiæ Parochiali legatum centum aureorum titulo ſepulturæ ab ipſo electæ in quodam Sacello ejuſdem Eccleſiæ. Accidit vero, quod ob tranſgreſſionem præcepti Communionis Paſchalis interdictus, & in interdicte decedens, Eccleſiaſtica ſepultura privari debuerit.

Qu. an Parochus legatum hoc exigere valeat.

Reſp. poſſe. Primo quidem, quia cum ſumma centum aureorum, nimis excedat illam pecuniæ quantitatem, quæ a divitibus etiam dari ſolet pro ſepultura, præſumitur teſtatorem præcipue ad cauſſas pias reliquiſſe legatum: nimirum ut reficiatur Eccleſia vel ornetur, ut pauperibus ſubſidium aliquod ſubminiſtretur &c. Ita Homobonus. Præterea cum apponitur conditio impoſſibilis, & contra leges, habetur pro non adjecta, valetque Teſtamentum, ac ſi conditio non fuiſſet adjecta. Id clare patet ex §. Impoſſibilis. Inſt. de Hered. Inſtit. *Impoſſibilis conditio in Inſtitutionibus, & legatis, nec non fidei commiſſis, & libertatibus pro non ſcripta habetur*. Et l. Conditiones 14. ff. de Condit. Inſtit. *Conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges . . . pro non ſcriptis habentur*. Conditio autem Sepulturæ in caſu noſtro eſt impoſſibilis, & contra leges. Ergo &c. Denique cum conditio abſque culpa, & negligentia hæredis, aut legatarii non impletur, non irritatur, neque ſuſpenditur Teſtamentum. Regula enim generalis eſt: *cum non ſtat per eum, ad quem pertinent, quominus conditio adimpleatur, haberi debet perinde, ac ſi eſſet impleta*. Reg. 66. jur. in 6. Atqui per Parochum non ſtetit, quominus conditio ſepulturæ adimpleretur. Ergo valet nihilomus Teſtamentum, & poteſt legatum exigere. Ita reſolvunt Silvius, Vaſquex, aliique communiter.

CAS. II. Damaſus Voto Caſtitatis obſtrictus, nubendi cauſa diſpenſationem obtinuit, poſtmodum vero conſcientiæ ſtimulis agitatus, renuntiavit diſpenſationi, cum animo perſeverandi in voto.

Qu. an hac facta renunciatione ipſi nubere liceat.

Reſp. Si mandatum Pontificis de diſpenſando, fuit executum a Delegato: & poſt executionem Damaſus renunciet diſpenſationi, cum animo perſeverandi in voto, non poteſt amplius nuberi. Nam per hujuſmodi renuntiationem reaſſumit votu diſpenſatione delectum, & denuo ſe obligat Deo. Quis enim eſt illius renuntiationis ſenſus? Non alius; ut advertit Sanchez lib. 8. Diſp. 22. niſi, volo redire ad priorem votum, ſeu illo voto quod per diſpenſationem extinctum erat denuo obligari: quod perinde eſt ac ſi tunc denuo voveret. At diſpenſatio non fuit conceſſa, niſi ad dirimendum primum votum ante illam emiſſum, non ad irritandum, quod poſt diſpenſationem emittitur. Non valet ergo diſpenſatio, ad annulandum votum, poſt illam obtentam, nuncupatum. Ita Sanchez, Merolla, de Juſtis &c.

Opponentibus autem, qui contrariam tuentur ſententiam, nullam re-

renuntiationem irritam reddere diſpenſationem niſi ipſa renunciatio acceptetur a Legislatore) ſic egregie reſpondent citati Auctores. Maximum eſt diſcrimen inter diſpenſationes, quæ fiunt in lege, & alias, quæ fiunt in voto, & juramento, quia legum obligatio ab alio pendent: iſtorum vero ab ipſomet vovente, vel jurante procedit. Unde in primo caſu ſi renuntietur diſpenſationi, & dicta renunciatio non acceptetur a Legislatore, diſpenſatio, adhuc valida erit. Ex quo enim diſpenſatus poteſtate diſpenſantis fuit ab obligatione legis liberatus, non poteſt ad illam denuo obligari, niſi voluntate ipſius Legislatoris. At diſpenſationes, quæ ſuper votis, ſeu juramentis fiunt, a ſemel perfecte conceſſæ ſint, per ſimplicem renuntiationem etiam internam, ſuam vim amittunt; ut ex adducta ratione manifeſtum eſt: & conſequenter hi, qui ei renuntiaverunt, nova egebunt diſpenſatione, ſi ab illis eximi velint. Ita etiam Salas de leg. l. 2. n. 118.

Quod ſi nondum fuiſſet hæc diſpenſatio perfecte conceſſa: ſcilicet ſi fuiſſet a Pontifice conceſſum mandatum ſed nondum executum a delegato, tunc quamvis huic mandato pluries renuntiaſſet Damaſus poſſet nihilominus, mutata voluntate, diſpenſationem, accipere, eaque uti. Cum enim diſpenſatio nondum fuerit data, non fuit adhuc ab obligatione voti exemptus: & quamvis ante diſpenſationem millies repeteret votum, non novam obligationem ſubiret, ad quam relaxandam nova exigeretur diſpenſatio, ſed primam illam confirmaret. Mandati autem vis non infirmatur, ex eo quod ante executionem eidem renuntiet Damaſus. Etenim vis privilegii & diſpenſationis pendet a voluntate concedentis: eaque propterea perſeverat, donec ſuperioris voluntas non mutatur. Ita in ſimilibus caſibus deciditur ſemper in Jure: ſic cap. litteris de Procur. in 6. *Licet is qui procurator conſtituitur ab abſente, dixerit præſentatum ſibi nolle ſuſcepere mandatum; hoc tamen nequaquam obſtante, quamdiu conſtituens in eadem perſiſterit voluntate, ipſum acceptare poterit, quandocumque placuerit*. Sic reſolvunt citati Auctores.

CAS. III. Venantius apud Confeſſarium ſe accuſat in hunc modum: Ab ultima Confeſſione nullum habeo læthale, accuſo me de omnibus venialibus ab ea vice commiſſis.

Qu. an Confeſſarius abſque alia interrogatione poſſet ipſum abſolvere.

Reſp. non poſſe. Quamvis enim divina lege non adſtringatur; qui venialia ſolum committit, ad Pœnitentiæ Sacramentum, ſi velit tamen ad illud accedere, debet aliquod venialie confiteri ſingillatim. Materia enim Sacramentorum, ut omnes docent, debet eſſe certa, & determinata. Et quamquam hæc Doctrina in Sacramento Pœnitentiæ non ſemper habeat locum, quia in caſu extremæ neceſſitatis ſufficiunt etjam nutus & ſigna attamen cum homo poteſt, debet determinatam in hoc quoque Sacramento ponere materiam. Ita D. Thomas in 4. ſent. diſt. 17. q. 3. art. 4. queſtiuncula 3. ubi cauſſam aſſignat, cur in aliis Sacramentis ſemper determinata eſſe debeat, materia, non ita vero Sacramento Pœnitentiæ: *quia*, inquit, *non exigitur ab homine pluſquam poſſit: quamvis homo non poſſit nec debeat Baptiſmum accipere niſi in aqua, quæ omnino ab exteriori, & nobis ab alio exibetur; ſed actus Confeſſionis eſt ab intra, & a nobis: Et ideo quando non poſſumus uno modo, debemus ſecundum quod poſſu-*

poſſumus confiteri . Atqui in caſu noſtro poteſt homo ponere aliquam certam materiam. Ergo debet. Ita Suarez, Coninck, Bonacina &c.

MENSE MARTIO.

CAS. I. ALbertus graviter offenſus a Cajo, quamquam afferat ſe injuriam ex animo condonaſſe, ejus tamen actionem in judicio proſequitur.

Qu. an ſit capax abſolutionis.

Reſp. Injuria poteſt eſſe ſimplex offenſio alterius ſine damno, vel damnificatio in bonis famæ, fortunæ, & vitæ. Jam vero vel Cajus pro injuria congruam exhibuit ſatisfactionem, & integre compenſavit damnum illatum; vel non. Si primum: offenſorem in judicium vocare, videtur charitati contrarium. Cur enim vexandus, qui facti pœnitens veniam petiit; qui pecuniam, honorem, & quidquid aliud injuſte rapuit, plene reſtituit? An hoc conſonat Evangelicis præceptis, quibus jubemur benefacere inimicis, vincere in bono malum, dimittere pallium illi, qui tunicam furatur; aliiſque plurimis, quibus ſacræ Litteræ redundant?

Si vero offenſor, neque injuriam congrua ſatisfactione, neque damnum reſtitutione compenſavit, poteſt offenſus Albertus jus ſuum in judicio proſequi dummodo non livore vindictæ (quod in praxi admodum difficile eſt) ſed amore juſtitiæ id faciat. Eſt hæc expreſſa D. Thomæ ſententia 2. 2. q. 108. art. 1. *Eſt in vindicatione conſiderandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum . . . Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis puta ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem ejus, vel quietem alierum, & ad juſtitiæ conſervationem & ad Dei honore poteſt vindicatio eſſe licita.*

Immo in aliquibus circumſtantiis condonare juridicam ſatisfactione minime expedit; & in hiſce præſertim. I. Si offenſor ſit publicæ tranquillitatis pertubatur. II. Si offenſus ſit perſona dignitate, & auctoritate præſtans, cujus honor vileſceret, & poteſtas contemneretur non reparata juridice offenſione. III. Si malum injuriæ & damnum in familiam, aut communitatem propagetur; ſaltem ſi detrimentum ſit grave. IV. Si redundet in Deum, & Eccleſiam. In his aliiſque caſibus, ſedato prius odio, poteſt, immo debet offenſus exigere ſatisfactionem. Ita cum D. Thoma Natal Alexandro Theol. libr. 4. capit. 3. artic. 11. Reg. 19. Concina lib. 1. in Decal. diſſ. 5. cap. 2. aliique cum veteres tum recentiores. Hinc patet quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius circa abſolutionem.

CAS. II. Idem Albertus ab offenſo rogatus ut pacem in ſcriptis exhibeat, præſtare recuſat, cum ipſi ſufficiens videatur ſe id verbis maniſeſtaſſe.

Q. an hoc ſufficiat ut poſſit abſolvi.

Reſp. Pacem ſcripto exhibere regulariter non tenemur. Scripturæ enim,

enim, Iſtrumenta, Teſtes, non ad rei ſubſtantiam pertinent, ſed ad facitiorem rei probationem; l. contrahatur, & ibi Gloſſ., ac DD. ff. de Pign. c. *cum Joannes* de fide Iuſtrum. Jam vero Evangelica lex rei ſolum ſubſtantiam directe nobis præcipit, veram ſcilicet reconciliationem, quæque cum illa neceſſario connectuntur, non vero niſi peculiaris occurrat ratio, legales probationes. Poſſunt enim adeſſe caſus quibus teneatur offenſus pacem hujuſmodi ſcripto confirmare: videlicet ſi grave damnum paſſurus ſit inimicus, denegato ei hujuſmodi ſcripto; ſi ſcandalum ex hac negatione orirettur, quia nimirum putaretur homines illos adhuc odium nutrire. In his, aliiſque caſibus, ſicuti tenemur ſpecialia etiam dilectionis ſigna inimico præbere, ita etiam pacem ſcripto obſignare. Cajet. 2. 2. q. 25. art. 8. Ugolinus de Off. Epiſc. cap. 15. §. 8. Homobonus, aliique communiter.

CAS. III. Parochus pœnitentem conjugatum graviter arguens ob plura crimina contra Matrimonii bona perpetrata, ab ipſo deprehendit, quod matrimonium contraxit cum animo ad quamlibet Fæminam accedendi, prolem vero a ſua uxore naſcituram ad impediendi, aut enecadendi, prolem vero a ſua uxore naſciturum aut impediendi, aut enecandi. Qu. an hoc matrimonium ſine conſenſu in ejus bona ſubſtantialia validum fuerit.

Reſp. Conjugatus iſte, aut non habuit animum ad ea ſe obligandi, quæ ſunt eſſentialia Matrimonio, aut contraxit, cum animo ſolum non exequendi. Si hoc ſecundum: validum eſt Matrimonium. Sicut enim validum eſt votum, & juramentum ſine voluntate adimplendi, ita contractus Matrimonialis abſque intentione ea obſervandi; ad quæ vinculo matrimoniali, ſe obligat. Ratio eſt, quia ad ſubſtantiam contractus pertinet ſola voluntas ſe obligandi, non vero exequendi. Si vero contrahente defuit voluntas ſe obligandi non valet matrimonium: unde ſic habut Jus canonicum c. aliquando 32. q. 2. ex D. Auguſtino lib. 1. de Nup. & Con. *ſi ab initio tales fuerunt non ſibi per connubium, ſe per ſtuprum potius convenerunt*: ubi ſic Gloſſa *ſi ab initio in contrahendo matrimonio, talem intentionem habuerunt non eſt matrimonium inter eos*. Etenim qui non vult ea, quæ conſtituunt eſſentiam contractus, neque ipſum cenſetur velle contractum. Hæc diſtinctio traditur a D. Thoma in 4. diſt. 31. q. 1. art. 2. in corpore ubi hæc habet: *Alio modo poſſunt conſiderari fides, & proles ſecundum quod ſunt in ſuis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum ſervandi fidem, ſine quibus matrimonium eſſe non poteſt, quia hæc in Matrimonio ex ipſa pactione conjugali cauſantur . . . . . & ſic accipiendo fidem, & prolem, ſunt eſſentialiſſima in matrimonio*. Cum ergo fides, & proles deſunt in ſuis principiis; idem cum deeſt animus ad hæc bona ſubſtantialia ſe obligandi, non poteſt ſtare matrimonium. Idque confirmat eodem loco S. Doctor, & ibi D. Bonavent. art. 1. q. 3. *ſine bono Sacramenti numquam eſt matrimonium; at poteſt eſſe ſine fide & prole: non tamen eſſet matrimonium, ſi in conſenſu exprimeretur aliquod contrarium fidei, & proli*. Ubi notandum occurrit, pactionem hujuſmodi nihil efficere, niſi probationem invalidatis in foro externo. Invalidum erit nihilominus in foro conſcientiæ matrimonium, etiamſi non deducantur in pactum

quæ ſubſtantiæ contradicunt matrimonii; dummodo retineatur animo intentio contraria bonis ſubſtantialibus matrimonii. Sanchez lib. 2. diſp. 29. Reinffeſtuel Tom. 4. Jur. Can. lib. 4. tit. 5. &c.

MENSE APRILI.

CAS. I. Aliprardus morti proximus manifeſtat Parocho intentionem quam haberet mutandi teſtamentum, quod antea fecerat, & juramento firmaverat, ſi tamen hoc ipſi liceat, ſuumque effectum ſortiturum habiturum. Qu. Reſponſio Parochi.

Reſp. Parochus perſcrutari debet qualitatem juramenti. Nam vel juramentum eſt aſſertorium, vel promiſſorium. Si primi generis eſt juramentum a teſtatore factum, poteſt revocare teſtamentum abſque perjurio: quia ſolum juravit hanc eſſe ſuam voluntatem, non autem ſe numquam eam revocaturum. Cum autem quævis ultima voluntas (arg. l. Si quis; 22. ff. de legat.) revocari poſſit, & juramentum non immutet, ſed ſequatur naturam actus, cui adjicitur, non obſtante tali juramento eam revocare poteſt teſtator. Si autem juravit ſe non revocaturum teſtamentum, non poteſt illud abſque graviſſima cauſſa, licite ſaltem, revocare. Omnia enim juramenta ſervanda ſunt, quæ non *vergunt in interitum ſalutis eternæ*, ut dicitur cap. ſi vero c. ad Aud. de his quæ vi &c. Hanc ſententiam tenet cum Gloſſ. can. ultima voluntas cauſ. 13. q. 2. Molina, Reinffeſtuel, & communiter Canoniſtæ.

Si vero gravis occurrat cauſſa poteſt illud revocare teſtator, etiamſi juramentum fuerit interpoſitum; ſi graves v. g. ob teſtamentum oriantur inimicitæ, & lites. Omne enim juramentum, ſicut & ceteri actus tacitam habent conditionem, *rebus ſic ſtantibus* prout habet communis arg. c. quemadmodum 25. de Jurejurando, ubi expreſſe deciditur quod licet quis juraverit certam ducere uxorem, eam ducere non teneatur, ſi poſt juramentum *mulier illa meretrix, vel leproſa, aut paralytica fieret, vel oculos, vel nares amitteret*. Ita obligatio juramenti ceſſat mutatis conditionibus. Docent tamen omnes in his caſibus debere juramento obſtrictum, ut ſecuritati conſcientiæ conſulat, petere juramenti relaxationem.

At ſi revocetur teſtamentum juramento promiſſorio confirmatum, quotieſcumque efficax id non poſtulet cauſſa, validane erit revocatio? Illud certum eſt juramentum habere rationem *clauſulæ derogatoriæ, arctiſſimæ, & ſpecialiſſimæ* ſequentium omnium teſtamentorum, ut probat teſtimonio celebriorum Juriſperitorum Molina Tract. 2. diſp. 53. Attamen poſſe, non obſtante hac clauſula derogatoria, valide revocari teſtamentum, fuſe docet Mantica lib. 12. tit. 8., & cum eo Monet cap. 5. n. 7. quia, ut jura ſtatuunt, nemo poteſt ſibi legem imponere, a qua non liceat recedere; neque ſibi adimere liberam facultatem teſtandi. Sed ut cenſeatur revocatum prius teſtamentum, debet teſtator talibus uti verbis in poſteriori teſtamento, ut luce clarius appareat voluiſſe illud revocare; quia numquam præſumitur velle teſtatorem preſertim morti proximum ſe perjurii crimine inquinare, niſi certo certius conſtet in animo habuiſſe juramentum illud irritare,

ritare. Hinc Molina cit. diſp. nullam aliam eſſe patet in hoc caſu formulam irritantem, niſi *expreſſam mentionem*, *& revocationem juramenti*. Quare Parochus, non debet permittere ut teſtator revocet teſtamentum juramento roboratum, niſi graviſſima adſit cauſſa: & in hoc caſu impetrare prius a ſuperiore relaxationem juramenti, & poſtea teſtatorem docere, quibus uti debeat formulis, ut valida cenſeatur ejus revocatio, ne lites oriantur, & inimicitiæ.

CAS. II. Fernandus dat Filiam nuptui Titio, interim vero dum ei dos non perſolvitur cedit pignus fruendum.

Qu. An Titius, ne uſuram committat, teneatur fructus pignoris computare in ſortem.

Reſp. Non teneri. Ita Navar. Sotus, Covar. aliique communiter, innixi definitioni Innocenti III. cap. ſalubriter de uſuris; *ſane inquit Generum ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi a Socero ſunt pronumeratâ dote pignori obligatæ, computandos in ſortem non credimus compellendum*. Etenim nondum perſoluta dote, non habet Gener, quo onera matrimonii ſuſtineat: fructus vero, quos ſoluta dote percepturus eſt, reſpiciunt tempus ſolum, quo conſtabit matrimonium poſt dotis ſolutionem: *cum frequenter*, inquit Innocentius, *Fructus dotis non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda*. Si vero preciſe ob dilationem ſolutionis dotis ſibi Titius retineret fructus pignoris, uſuram committeret. Hoc enim eſſet virtualiter mutuare ſocero pecuniam dotis, & ab eodem, hoc titulo fructus repetere. Aliquid autem recipere ratione mutui ultra ſortem, uſura eſt manifeſta. Pariter ſi Fernandus ſuppleat abundantiori dote, dato tempore perſolvenda, ex quâ anteactos etiam fructus poſſit Gener deducere, tenebitur Titius fructus pignoris computare in ſortem, ob rationem nunc adductam. Hæc aliaque permulta ad hanc rem ſpectantia molina Tract. 2. Diſp. 321.

Neque refert, quod aliquotis nullum lucrum ceſſet Genero, aut nullum damnum emergat ex dilatione ſolutionis promiſſæ dotis; ſicut v. g. ſi pecuniam repoſiturus erat in arca. Nam licet hoc etiam titulo poſſit vir induſtrius, fructus pignoris percipere, non computando eos in ſortem; attamen hoc etiam deficiente titulo, alius adeſt honeſtus, & juſtus, nempe ſuſtinendi onera matrimonii. Quod ſi non erat Gener lucraturus, hoc non quia non poſſet, ſed quia noluiſſet: nolle autem non adimit facultatem lucrandi, quotieſcumque juſtu habeatur titulus.

CAS. III. Mauritius ſecreto ſciens magnam vini quantitatem brevi ſuperventuram, & edictum a Principe divulgandum pro frumenti pretio diminuendo, utrumque vendit pretio currenti.

Qu. an graviter peccet ſive contra juſtitiam, ſive contra charitatem.

Reſp. Plura ſunt conſideranda in hoc caſu. Vel Mauritius venditurus erat frumentum, & vinum, etiamſi non habuiſſet notitiam futuræ abundantiæ, & legis promulgandæ: vel non. Si primum, non peccat, neque contra juſtitiam, neque contra charitatem. Non contra juſtitiam, quia non tradit ultra prætium juſtum. Prætium autem juſtum illud eſt, quod Principis lege, aut communi exiſtimatione ſtatutum

Digitized by Google

tutum, tempore venditionis perſeverat; privata autem ſcientia, non mutat hujuſmodi prætium neque reddit ſcientem deterioris conditionis præ aliis. Non contra charitatem, quia vendens non ſtudet damno proximi, neque illud procurat, ſed jure ſuo utens illud permittit unde non ex mala voluntate vendentis, ſed ſequitur per accidens: Ita communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4. *venditor, qui vendit qui rem ſecundum pretium, quod invenit, non videtur contra juſtitiam facere, ſi quod futurum eſt, non exponat. Si tamen exponeret, vel de prætio ſubtraheret abundantioris eſſet virtutis.*

Si autem vendat permotus notitia futuri decreti, aut futuræ abundantiæ, dico peccare contra charitatem, non peccare contra juſtitiam. Contra charitatem inquam, quia in animo habet ſe aliorum damno ditare, illudque avaritiæ cauſſa procurat: multoque magis peccat, ſi emptor magnam frumenti ac vini quantitatem emere, magnam que propterea pecuniæ copiam velit impedere. Non peccat autem contra juſtitiam, niſi fraudibus alliciat emptorem. Illa enim notitia non tollit æqualitatem rei ad pretium, in qua juſtitia contractus ſita eſt. Et ſane ſi quis vendat modium frumenti prætio currente nihil ſciens de illo decreto, aut futura copia, erit æqualitas inter rem, & prætium, juſtaque venditio, neque tenebitur ad reſtitutionem, etiam ſi paulo poſt prætium minuatur per decretum Principis. Ergo etiam erit æqualitas, & juſta venditio quamvis venditor ſciat illud decretum. Intentio autem interior, quamtumvis prava, non poteſt facere, ut actio exterior, alias juſta, fiat injuſta, & obliget ad reſtitutionem. Leſſius lib. 2. cap. 21. Dub. 5. Concina, aliique communiter.

Diſtinguunt tamen Doctores aliqui, ac præcipuæ Molina ſcientiam futuræ legis a ſcientia ſuperventure abundantiæ: & in hoc affirmant ſecundo caſu poſſe abſque injuſtitiæ labe Mauritium vendere res ſuas, quia utitur ſcientia rei, quæ pendet ab induſtria & eventu fortunæ mercatorum; non poſſe vero in primo caſu, quia vendens permovetur ſcientia legis, quæ communis futura eſt omnibus. Ideoque eo magis defendunt, quod conſentientibus Theologis omnibus, peccaret Princeps contra juſtitiam, & ad reſtitutionem teneretur, ſi legem alicui manifeſtaret, occaſione cujus ſcientiæ ditaretur. Ergo etiam ſubditus, qui utitur hac ſcientia. Sed hac diſtinctio a Leſſio aliiſque permultis improbatur. Nam lex quamvis communis futura ſit, non obligat tamen donec ſit promulgata; ac proinde antiquum prætium durat; ſicut prior lex vim habet, etiamſi alia, qua hæc abrogatur, jam conſcripta ſit, modo tamen non ſi promulgata. Neque magnum habet pondus alia ratio. Princeps enim, & Magiſtratus tenentur ex officio daremo peram, ne hujuſmodi decretis damnum aliquibus obveniat; ſubditus autem non ex officio tenetur civium commoda curare, vel damna evitare. Ita Leſſius cit. loco.

MEN-

MENSE MAJO.

CAS. I. Cum in magna Solemnitate Eccleſiæ aulæis ornaretur Nerius malo animo in Sergium, ipſi ſtruit inſidias remoto pontis ſuſtentaculo, quo fit ut Sergius præceps ruat, & moriatur. Divulgatis inſidiis, & homicidio ſequuto quæſtio oritur an Eccleſia polluta fuerit.

Reſp. non eſſe pollutam. Nam ut homicidium polluat Eccleſiam debet fieri actione, quæ apprehendatur ut injurioſa Eccleſiæ, ejuſque ſanctitati contraria. Hinc eſt, ut neque per homicidium caſu contingens, neque in amentia factum, neque propriæ defenſionis cauſſa, cum moderamine inculpatæ tutelæ, polluatur Eccleſia, quia per actiones hujuſmodi, attentis earum circumſtantiis nulla Eccleſiæ irrogatur injuria. Jam vero ut homicidium ſit injurioſum Eccleſiæ, & contra debitam ei reverentiam, non ſufficit, auctore Paſqualigo, ut ſit voluntarium, & graviter culpabile, ſed debet eſſe patratum actione Phyſica, ſeu externa vi vulnere v. g. aut ſuffocatione, vel alia violenta actione; quæſit cauſa poſitiva inferens mortem. Neque graviſſimo deſtituitur fundamento hæc ſententia. Cum enim res ſacræ, ſicut eſt Eccleſia, realiter non polluantur, dicente textu in C. fin. 15. q. ult. & in c. veſtra de cohab. cler. & mul. *non poteſt aliquis, quantumcumque pollutus divina polluere Sacramenta*; ſed ad terrorem incutiendum fidelibus, reverentiamque erga Dei domnum ſervandam, habeatur tanquam polluta; neceſſe eſt, ut hæc de polluta Eccleſia opinio, inducatur per actionem, in qua homines percipiant gravem in Eccleſia irreverentiam, atque injuriam. Hæc autem apprehenditur in actione Phyſica tendente ad mortem inferendam, non in cauſa negativa; qualis eſt remotio ſuſtentaculi. Licet enim malus inde oriatur effectus, nihil tamen in ſe continet, quod horrorem ingerat fidelibus nihil exhibet inhumanum, nihil truculentum, ut eſt effuſio ſanguinis ex vulnere, aut percuſione ſecuta. Et ſane jura ipſa, ut notat Paſſerinus, licet adverſæ ſententiæ Patronus, loquuntur ſemper de homicidio per rixas, & contentiones commiſſo; ut patet ex cap. propoſuiſti & cap. ſi verum, de Conſecrat. Eccl.

Neque refert, quod removens ſuſtentaculum, intentionem foveat malam. Homicidium enim non polluit Eccleſiam, quatenus eſt in intentione, ſed quatenus eſt in executione; quia Eccleſia non judicat de intentione, ſed de actibus externis. Ita Paſqualigo de Sacrif. novæ Legis Tom. 1. q. 544.

CAS. II. Dum ſermo haberetur de cauſis Eccleſiam polluentibus publicatum eſt factum multo antea in Parochiali ſequutum, vere aptum ad ipſam polluendam, licet ex ignorantia ut polluta, habita non fuerit.

Qu. an poſt hanc publicationem haberi debeat tamquam polluta.

Reſp. Certum eſt cauſſam pollutivam quamdiu occulta eſt, vel non inducere pollutionem, ut loquuntur Suarez, & Paſqualigo, vel hanc pollutionem, non inducere impedimentum, niſi a tempore manifeſtationis, ut docet Pax Jordanis lib. 5. Tit. 11. Cum igitur divulgatur

cauſſa

cauſſa pollutiva, antequam Parochus decernat, an Eccleſia indigeat reconciliatione, duo debet animadvertere. Primo, quænam fuerit cauſſa violans Sanctitatem Eccleſiæ. Si enim cauſa ſit permanens, ut ſepultura excomunicati, aut Infidelis, Eccleſia indiget reconciliatione quocumque demum tempore manifeſtetur ejus pollutio. Durat enim injuria, & irreverentia in Eccleſiam, quamdiu durat cauſſa, ſeu quamdiu remanent cadavera in gremio Eccleſiæ: & ideo etiamſi poſt diuturnum tempus id publicetur, conſurget effectus pollutionis, tanquam ex cauſa de præſenti polluenti Eccleſiam.

Si vero cauſſa pollutiva ſit tranſiens, ut homicidium, effuſio ſanguinis, & ſeminis, obſervare debet Parochus, quantum tempus a ſecuta pollutione elapſum ſit cum publicatur. Si enim divulgatur poſt longum tempus, puta poſt annum, non erit Eccleſia reconcilianda; quia injuria apprehenditur, ut deleta diuturnitate temporis, nec amplius habens vim maculandi. Hanc doctrinam jura confirmant. Nam juxta l. ſed ſi ûnius §. ſi ante judicem ff. de injur., injuria ſpatio unius anni aboletur, ita ut injuria laceſſitus, neque agere amplius poſſit, neque implorare officium Judicis. Ergo etiam diuturnitate temporis aboletur injuria facta Eccleſiæ: adeoque licet publicetur pollutio ſecuta, non erit reconcilianda Eccleſia. Si vero reveletur injuria non diu poſt ſecutam pollutionem, cenſeri debet maculata Eccleſia, atque indigens reconciliatione. Cauſſa enim moralis ad aliquod tempus ſuum extendit effectum; atque injuria non multo ante illata Eccleſiæ, horrorem adhuc ingerat fidelibus, & ſcandalum; atque apprehenditur, ut læſiva reverentiæ Eccleſiæ, Ita Paſqualigo Tom. 1. quæſt. 60.

Parum autem juvat, quod interim celebrata fuerit Miſſa, & divina officia. Quamvis enim Alphonſus a Caſtro, & Aloyſius Riccius putaverint celebratione ſecuta reconciliationem ulterius non requiri quia Dei præſentia in ſacrificio purgationem præſtat: jura tamen indiſtinctæ reconciliationem exigunt, nec aliter diſtinguunt: *unde nec nos diſtinguere debemus*. Ita Cardinalis de Lugo 3. Part. diſp. 20. ſect. 44. n. 2. Sacrificium enim Miſſæ, licet ineffabilis virtutis, non eſt ordinatum, ut notat Pax Jordanis cit. loco, ad reconciliationem: multoque minus adminiſtratio ſacramentorum, & celebratio divinorum officiorum vel dicendum cum eodem Paſqualigo, quod ſi Eccleſia reconciliata eſt ſubſtantialiter non tamen ritualiter quod omnino præſtari debet ad amovendum ſcandulum & horrorem ab animis fidelium.

CAS. III. Camilla amicitia juncta cum Flaminia, licet ipſi inferior divitiis, deprehendens Sergium ſuum Filium amore captum erga Lucillam Filiam Flaminiæ, timens ejus diſſenſum pro nuptiis contrahendis, Flaminiam rogat, ut ſibi rus proficiſcenti concedat Lucillam cauſa valetudinis, quo obtento Sergius, & Lucilla contrahunt matrimonium.

Qu. an obſtet impedimentum raptus ne hoc matrimonium ſit validum.

Reſp. Non obſtare impedimentum Raptus. Etenim ad naturam raptus deſideratur violenta abductio. Nullo autem vis in noſtro caſu, occurrit, cum Mater conſenſiſſe ſupponatur, ut Filiarus proficiſce-

retur,

retur, & puella non invita eo ſe contulerit. Ita Sanchez, Paſqualigus, Molina, aliique communiter: & expreſſe habetur textus in Jure §. Item lex Inſtit. de Publ. Judic. & l. qui naufragium §. non ſolum autem ff. de Incen. ubi dicitur: *Aliud autem eſſe rapi, aliud amoveri palam eſt. Siquidem amoveri aliquid etiam ſine vi poteſt. Rapi autem ſine vi non poteſt.*

Neque obſtant, quod Puella Lucilla doloſe ſit abducta, ſub pretextu ſcilicet clementiori cælo fruendi, revera autem ut ad nuptias alliciatur. Quamvis enim doloſa abductio, interdum æquiparetur violentiæ: hæc tamen doctrina, non pertinent ad rem noſtram. Primo enim, quinam ſit dolus equipollens violentiæ ſic deſcribitur un. l. §. oportet C. de Raptu Virg. *Hoc ipſum velle (ideſt violati) mulierum ab inſidiis nequiſſimi hominis qui meditatur rapinam, inducitur: niſi eam ſollicitaverit, niſi odioſis artibus circumvenerit &c.* Quis autem dicat puellam Lucillam fuiſſe a Camilla nequiſſimis inſidiis, nefariis ſollicitationibus, odioſis artibus circumventam? Illa enim valetudinis recuperandæ gratia, fuit urbane a Camilla invitata: dic etiam, amice coacta. Quæ ibi nefaria calliditas, quæ nequitia fraudis? Et quamquam alia etiam intentio, ſub hoc humanitatis, & amicitiæ ſigno latuerit: attamen ad hoc etiam fuit puella vere invitata, ut propriæ ſaluti conſuleret: cui profectioni mater, & puella conſenſere. Quod autem Camilla in animo habuerit quoque hac uti occaſione, ad nuptias inter Lucillam & Sergium conciliandas: hoc ſagacitatis potius fuit, quam fraudulentiæ.

Secundo abductio debet eſſe ad extorquendum Matrimonium. Porro in propoſito caſu oppoſitum omnino contigit. Cum enim libertas Matrimonii potuiſſet præſentia Matris lædi, hujuſmodi abductio puellæ ſtatuit potius, quam abſtulerit libertatem Matrimonii. Et quamquam importuni precibus, & ſuaſionibus fuiſſet adducta ad contrahendum cum Sergio, attamen preces importunæ non equivalent violentiæ, niſi conjuncte ſint cum metu ſaltem reverentiali, eoque tamen gravi ut puella non audeat ſic inſtanti contradicere: quod omnino alienum eſt a caſu noſtro, in quo ſupponitur rem actam inter amicos. Talis debet eſſe perſuaſio, ut verificari poſſit quod dicitur l. §. perſuadere ff. de ſervo corrupt. *Perſuadere autem eſt pluſquam compelli.* Perſuaſio autem hæc coactiva, ne ſingi quidem poteſt in noſtro caſu. Sanchez lib. 41. diſc. 7. & lib. 7. diſ. 12.

MENSE JUNIO.

CAS. I. Simplex Confeſſarius vocatus ad audiendam Confeſſionem Alberti ægrotantis ad mortem, cum in ejus domo verſetur Parochus, quem novit habere facultatem abſolvendi a cenſuris & reſervatis, invenit ipſum Albertum cenſura, & reſervato innodatum. Qu. an poſſit ipſum abſolvere, an potius debeat Parochum advocare.

Reſp. Duplex eſt ſententia. Plures enim arbitrantur poſſe quemlibet Confeſſarium, immo ſimplicem Sacerdotem, etiamſi adſit copia delegati ad reſervata abſolvere in articulo mortis ab omnibus cenſuri,

ſuris, & reſervatis. Innituntur celeberrimæ definitioni Tridentini ſeſſ. 14. de Pœnit. cap. 7. Alii exiſtimant, licite ſaltem, id fieri non poſſe. Etenim I. Concilium non condidit ſus novum, ſed confirmavit antiquum: ut denotant illa verba; *in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit*. Sed jure veteri abſolvere a reſervatis tunc ſolum poterat ſimplex Sacerdos, & Confeſſarius, quando aberat ſuperior: cap. Aurelius cauſ. 26. q. 6. & cap. fin. Præsbyter, & Extravag. Inter cunctas §. Incend. de privileg. & Extravag. 1. §. Decernimus, de Sent. Excom. II. Tridentinum hanc concedit facultatem omnibus Sacerdotibus ratione extremæ neceſſitatis: *ne hac occaſione*, inquit, *aliquis pereat*. Sed qui habet inpromptu approbatum ad reſervata, non eſt amplius in periculo pereundi. Ergo &c. Ita Suarez, Giribaldus aliique innumeri.

Neque obſtat quod Tridentinum, *omnes Sacerdotes*, dicat poſſe abſolvere quoslibet pænitentes in articulo mortis. Nam ſi intelligeret, omnes nullo excepto eadem prorſus facultate pollere, ita ut nullus eſſet alteri præferendus, ſequerentur poſſe infirmum, rejecto Confeſſario approbato, aut ſimplici Sacerdotes, eligeret excomunicatum, hæreticum, ſuſpenſum, quod nullus, aut fere nullus admittit. Tales enim in caſu ſolum extremæ neceſſitatis, deficiente nimirum quocumque alio Sacerdote, poſſe excipere Confeſſionem conſtituti in articulo mortis, omnes docent; immo hoc alii etiam cum Fagnano negant, qui in cap. *non eſt vobis* de Sponſal. teſtatur Sacram Congreg. Cardinalium Conc. Trid. Interp. cujus princeps Cardinalis Moronus, qui paulo ante fuerat Legatus Apoſtolicus in Concilio, cujus proinde mentem probe norat, declaraſſe verba Concilii reſtringi ad Sacerdotes in unitate Eccleſiæ viventes, & capaces Juriſdictionis, quales non ſunt excommunicati &c. Tridentinum ergo debet cum reſtrictione intelligi. Accedit declaratio Ritualis Romani: *ſi periculum*, inquit, *mortis immineat*, *approbatuſque deſit Confeſſarius*, *quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcumque cenſuris*, *& peccatis abſolvere*. Quod docet etiam S. Carolus: in Inſtruct. ad Confeſſ. Generalis ergo ille loquendi modus, quo utitur Tridentinum, non probat, etiam præſente delegato, poſſe quemlibet Sacerdotem abſolvere infirmum a reſervatis.

Hæc evincunt, licite ſaltem, non poſſe impendi abſolutionem a carente juriſdictione quoad reſervata. Attamen ſi aliquis, auſu temerario hoc miniſtraret Sacramentum, valide conficeret. Eccleſia enim, ut ſaluti filiorum ſuorum proſpiciat, nullam irritam eſſe vult, ex parte Miniſtri in articulo mortis abſolutionem: Quod cum ex multis probari poſſet, tum ex eo potiſſimum, quod Benedictus XIV. veteri Eccleſiaſticæ diſciplinæ addictiſſimus, ex qua deprompſit, & ad cujus normam omnes ſuas confecit ſanctiſſimas leges, in Conſtit. de non abſolvendo complice peccati contra ſextum, licet omni ſpoliet auctoritate, & juriſdictione complicem Sacerdotem, adeo ut in nullo caſu, niſi in mortis articulo, & deficiente quocumque alio ſimplici Sacerdote illi tribuat abſolvendi facultatem: attamen in illa extrema neceſſitate, ſi aliquis audeat abſolvere, cum alius vocari poſſit Sacerdos, illicitam utique, ſed ſimul validam declarat hanc ob-

ſolu-

Digitized by Google

ſolutionem. Si ergo, qui eſt poſitive reprobatus, & rejectus valide abſolvit; multo magis, qui non eſt rejectur, ſed nondum juriſdictione donatus.

CAS. II. Eduardus obtenta facultate pro voti commutatione exequenda a Confeſſario ab ipſo eligendo, facta jam Confeſſarii electione, conſignatis litteris, & inchoata Sacramentali Confeſſione, inveniens ipſum vel aſperiorem, vel rigidiorem, ab ipſo dicedit, accedit ad alium. Qu. an hic alius Confeſſarius poſſit uti hac facultate, & ipſi votum commutare.

Reſp. poſſe. Eſt hæc aſſertio contra Navarrum Conſ. 8. de Offic. Jud. Deleg. qui reſolvit negative, propterea quod juriſdictio delegata non poteſt prorogari de perſona in perſonam cap. de Off. Deleg. cumque juriſdictio ſit delegantis, ad dictum delegantem pertinet eam extendere, & non ad partes, nec ad judicem, quorum non eſt: *Id enim quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt*: de Reg. Juriſ. Reg. id quod noſtrum. Confeſſarius autem delegatus is eſt, quem primo eligit Pœnitens. Eo ergo electo, non poteſt juriſdictio, inconſulto ſummo Pœnitentiario, ad alium transferri. Hanc opinionem ſequuntur Zerola in Praxi V. Pœnitentiarius, Leo in Praxi Pœnit. P. 1. &c.

Attamen Sanchez lib. 8. diſp. 27. Pirrhus Corradus lib. 7. c. 4. n. 72. de Juſtis lib. 1. cap. 8. n. 121. oppoſitum & probabilius ſentiunt. Etenim cum Confeſſarius ſi delegatus in foro conſcientiæ dumtaxat, ea comiſſio ſequitur naturam illius fori, quæ eſt ut poſſit pœnitens a Confeſſario, qui cæpit aperire conſcientiam, recedere, & alium adire.

Argumentum Navarri nihil evincit. Nam, ut notat Sanchez, non prorogatur juriſdictio de perſona, & in perſonam, ex voluntate ſola partis, aut Confeſſarii, ſed ex voluntate, ipſius Pœnitentiarii, qui litteras conceſſi: cujus ea voluntas cenſetur, ut liceat diverſos adire Confeſſarios: Atque hanc eſſe mentem Sacræ Pœnitentiariæ & in his caſibus conſultam ita reſpondiſſe, affirmat Corradus, qui inter Officiales ejuſdem Tribunalis diu verſus eſt. Quod ſi dicas Pœnitentiarium, unicam Confeſſarii electionem ſuo reſcripto concedere, nihil evincis quia de actu conſumato intelligit. At prior actus conſumatus non eſt, cum diſpenſatio non execute.

CAS. III. Cletus emiſſo voto non ludendi, identidem ludit, ſed hoc facit modico tempore, & modicam exponit quantitatem pecuniæ. Qu. an graviter peccet.

Reſp. Navarrus in ſumma cap. 12. n. 11. & Manuel, I. Tom. Sum. tradunt votum non ludendi explicandi eſſe de ludi illicito, & magnæ quantitatis, & non de lud. modicæ quantitatis: nullamque reperiri culpam contra votum in hoc ludo. Immo Manuel putat hoc votum eſſe irritum: quia cum ludus honeſtus ſit actus illius virtutis, quam *Eutrapeliam* vocant, teſte D. Thoma 2. 2. p. 168. art. 2. in corp. votum abſtinendi a ludo eſſet contra bonos mores, & virtutem, adeoque nullum. Sed hæc ſententia omnino eſt rejicienda. Quamvis enim concedatur ludum honeſtum eſſe virtutis exercitationem, poteſt eſſe tamen materia voti. Ita Sotus, Concina &c. Ratio eſt, quia aliqui virtutis actus reperiuntur, quorum privatio eſt

 per-

perfectius bonum, propterea quod illarum uſus, animum volvit ad res terrenas, metiſque evagationem generat. Sic valet votum abſtinendi a Matrimonio, licet uſus Matrimonii ſit actus virtutis, quia ut egregie Paludanus 4. diſ. 38. p. 1. n. 22. privatio boni, qualis eſt hæc, quæ includit bonum majus, non eſt mala, ſed melior, & ideo legitima voti materia. His poſitis dico.

Ad decernendum, an gravis, aut levis, ſit culpa contra votum, perpendenda eſt alinquando quantitas temporis, aliquando ſumma pecuniæ, quæ ludo exponitur, interdum etiam gravitas occaſionis peccandi. Si intentio voventis fuit ſe abſtinere a delactione ludi in pœnam præcedentium delictorum, vel ne hac animi remiſſione a divinis rebus abſtrahatur, aut ut majus temporis ſpatium ei ſuperſit vacandi Deo, aliiſque honeſtis, & utilibus negotiis, perpendenda eſt temporis quantitas. Si enim ſolatium cito interrumpat, in venialem ſolum incurret culpam, quia remiſſione animi non prolixa, parum a propoſito ſibi fine divertit. Si vero ludum diu protrahat, mortalis culpæ reus erit, licet nullam pecuniam ludo exponat.

Si intentio autem voventis fuit vitare jacturam pecuniæ, & prodigalitatem, ad diſcernendum an graviter peccaverit, attenda potius eſt pecuniæ quantitas, quæ ludo exponitur, quam temporis diuturnitas. Si enim modicam pecuniam exponit, erit ſolum veniale; immo aliqui, nec veniale cenſent, niſi periculum ſit admodum probabile incaleſcendi in ludo, & magnam pecuniæ copiam effundendi. Ad decernendum autem quanta pecuniæ ſumma requiratur, ut fractio voti ſit gravis, debent examinari facultates perſonæ. Si enim ſit pauper, etiam tenuis pecuniæ profuſio erit prodigalitas: ſecus vero ſi ſit dives. Prodigalitas enim non eſt abſoluta, ſed reſpicit facultates prodigentis: quamvis concedendum ſit, aliquam pecuniæ ſummam ita eſſe parvam, ut reſpectu cujuſcumque non conſtituat mortale: aliquam ita magnam, ut reſpectu cujuſcumque mortale efficiat; quod arbitrio prudentis ſtatuendum eſt.

Si denique finis fuit vitare occaſionem peccati, Perjurii v. g., Blaſphemiæ, aliorumque peccatorum, quæ oriri ſolent ex ludo, examinandum eſt utrum ludus fuerit voventi gravis, & proxima peccandi occaſio, ut inde eruatur, an graviter peccarit frangendo votum Albertus, Sanchez, in Præcep. Decal. lib. 3. cap. 18. Diana, aliique.

MENSE JULIO.

CAS. I. Timotheus commodavit Equum Blaſio per menſem. Cum autem ambo eſſent Milites in Urbana militia, fortuito caſu accidit, ut inopinato jubeantur cum Equo urbem adire, ibique per dies aliquot ſuo munere fungi.

Qu. an Timotheus revocare poſſit Equum ante tempus conſtitutum.

Reſp. poſſe revocare. Ita Silvius, Molina, Layman, aliique communius contra Navar. cap. 17. n. 181. Ratio eſt, quia ad inopinatum eventum, ex quo commodans damnum, non revocando rem

Digitized by Google

commodatam, paſſurus eſſet, ſupponitur non ſe obligare voluiſſe: quiſque enim præſumitur ex re propria ſibi magis velle conſulere, quam alteri. Confirmatur hæc aſſertio a DD. hoc modo. Certum eſt locatorem poſſe repetere rem locatam, ſi ſuperveniente inopinato eventu, ea uſibus Domini, & familiæ ſuæ ſit neſſaria, quamvis damnum ex hac revocatione paſſurus eſſet conductor: §. ædem c. de locati. Ergo multo magis licebit in contractu mere gratuito commodati.

Neque refert, quod donator revocare non poſſit donationem traditione perfectam, quia re donata præter opinionem valde indigere incipiat. Eſt enim diſpar ratio: quia in donatione transfertur omne jus dominii in donatarium, non item in commodato, & locato, in quibus jus dominii commodans, & locans ſibi reſervant ſicut recte obſervant Molina, Leſſius &c. Neque pariter aliquid probat ratio Navarii: quemque ſcilicet debere promiſſis ſtare, & pactis, quod confirmat ex Reg. Jur. 33. in 6. *Mutare concilium quis non poteſt in alterius detrimentum*. Nam quiſque tenetur promiſſis ſtare, & pactis; quamdiu manet idem ſtatus rerum non vero ſi mutatus ſit. V. G. promiſiſti alteri alimenta, & poſtea in egeſtatem incidiſti, non teneri promiſſa obſervare, quia qui promittit, non cenſetur tales eventus voluiſſe comprehendere. Idem dicendum in caſu noſtro. Regula autem juris valet, cum nulla eſt juſta cauſſa recedendi a promiſſis, vel cum promittens directe intendit damnum alterius. Bartol. a S. Fauſto diſp. 9. quæſt. 18. aliique communius.

CAS. II. Cum Fabianus in Confeſſione generali ſe accuſaret, quod pluribus antea annis centum aureos lucratus erat Romualdo, tunc Filios Familias, de quibus inſcius Pater nullam cum ipſo habuit quæſtionem, atque adeo de reſtitutione non cogitavit Confeſſarius ipſum obligavit ad eos reſtituendos, licet Pater mortuus eſſet, & Romualdus unicus Filius ejus hæres inſtitutus.

Qu. an jure fecerit.

Reſp. Plurimi Theologi putant lucrantem teneri reſtituere Patri dum vivit, aut Filio, a quo lucratus eſt; ſi ejus pater e vivis exceſſerit. Rationem afferunt non exigui ponderis. Non poteſt, inquiunt, filius etiam pubes alienare bona, quorum uſusfructus ad Patrem pertinet, ſine conſenſu ejuſdem Patris. Quare cum ex contractu nullo, neque dominium, neque jus acquiri poſſit, ſequitur debere Fabianum reſtituere Romualdo, ſi pater ejus ſit defunctus.

Communius tamen auctores, quorum multos in medium effert Leſſius lib. 2. cap. 17. dub. 8. putant Fabianum non obligari ad reſtitutionem. Quamvis enim Filiusſamilias, vel minor, vel etiam pubertati proximus, ad contractus initos ſine conſenſu Patris non obligetus civiliter, obligatur tamen naturaliter. Hæc obligatio fundatur tum in ratione, tum in Jure. In ratione quidem, quia prædictus Filius in ea eſt ætate, quæ capax eſt ad conſenſum cum judicio præſtandum. Ex conſenſu autem oritur obligatio naturalis. Layman lib. 3. Tract. 4. cap. 9. Fundatur quoque in jure civili. Primo quia fide juſſor minoris obligatur etiam civiliter,

ut colligitur L. fin. de Jurejur. & L. Marcellus 23. ff. de fidei juſſoribus. Ergo obligatur ipſe minor obligatione ſaltem naturali. Conſeq. patet, quia ſententia juriſperitorum eſt, principali nullo modo obligato, non obligari fidejuſſorem. Deficiente enim principali obligatione, non valet acceſſoria; unde ut fidejuſſor teneatur requiritur ut principalis ſaltem naturaliter obligetur. II. L. ſi pupillus 21. ff. ad l. Falcidiam, aperte dicitur pupillum ex mutuo accepto contrahere *obligationem naturalem* reddendi: & l. 1. ff. de novat. illum *obligari naturaliter* ſi ſine tutoris auctoritatem promiſerit. Non debet ergo Confeſſarius adſtringere Fabianum ad reſtitutionem. Ita Molina, Leſſius &c.

Poteſt tamen prædictus Romualdus, dummodo non compleverit 29. ætatis ſuæ annum, licet minor amplius non ſit, repetere quod ſolvit, quia lex beneficium concedit reſtitutionis in integrum iis, qui a prædicta ætate nondum ſunt egreſſi, quod privilegium cum bono Reipublicæ communi multum conferat, & multa impediat damna, quæ a contractibus minorum derivant, non fovet peccata neque naturalem legem evertit, immo innumera mala impedit, quæ contra naturalem legem evenirent. Igitur, ut concludamus; quod Fabianus minor ſolvit, poteſt Romualdus tuta conſcientia retinere, donec ab eo repetatur beneficio legis, reſtitutionem in integrum concedentis. Etenim minor ſaltem naturaliter obligatur: & legis beneficium ipſi non prodeſt, ſi eo non utatur, ſive quia noluit, ſive quia ignoravit. Ita laudati Auctores.

CAS. III. Theſeus viator indicens in latrones jam paratos ad ejus equum furandum, jurat, ſi dimittant, ſe domum reducem duplum pecuniæ largiturum. Qu. I. an adepta libertate obſtringatur juramento ad ipſam ſolvendam. Secundo, poſito quod ſolvere debeat, an ſaltem eadem ſoluta poſſit ipſam repetere vel facta ad judicem denunciatione, vel compenſatione, vel alia quavis ratione.

Reſp. affirmative ad primum. Id expreſſe habetur in cap. ſi vero de Jurejur. c. ad audientiam, de his quæ vi &c. Ratio quæ citato capite affertur, eſt, quia juramentum hujuſmodi, *non vergit in interitum, ſalutis eternæ*; ſed honeſte ac licite ſervari. poteſt Neque obſtat. c. 2. de Jurejur. ubi dicitur: Epiſcopum quemdam *ab Arnulpho comite rebus ſuis ſpoliatum, & jurare compulſum, quod ablata non repeteret, nullius juramenti vinculo poſſe conſtringi*. Nam, ut reſpondent Gloſſa, Panormitanus, & alii: juramentum præſtitum fuit de rebus Eccleſiæ non repetendis, quod ſine peccato ſervari non poterat, adeoque erat invalidum, nec impleri debebat.

Ad alteram partem dico poſſe repetere ſoluta, facta ad judicem denuntiatione, & compenſatione etiam, ſi nulla alia ei ſuperſit via tem ſuam recuperandi. Ratio eſt, quia ſe ſolum ſoluturum juravit, non vero ſoluta non repetiturum. Immo hujuſmodi juramentum irritum eſſet, ſi in publicum damnum redundaret, ſicut videtur eſſe in caſu noſtro, in quo ſupponitur Theſeum aggreſſum fuiſſe ab hominibus latrociniis aſſuetis. Impii enim hujuſmodi homines ea liberius patrant, ſi non accuſentur, nec furata pecunia, nec vindicta exigatur: quod ſane Reipublicæ plurimum nocet. Ita S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 6. *Poteſt tamen in judicio repetere quod ſolvit*, vel

vel Prælato denunciare, non obſtante quod contrarium juravit quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: eſſet enim contra juſtitiam publicam. Vel ſaltem deberet (quod tutius eſt) petere juramenti relaxationem, ut docet idem S. Doctor. Romani Pontifices *ab hujuſmodi* inquit, *Juramentis homines abſolverunt, non quaſi decernentes hujuſmodi juramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi hujuſmodi obligatione ex juſta cauſſa relaxantes*.

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. MAuritius metu injuſte incuſſo coactus ad ducendam Theclam, veritus novas vexationes, niſi id etiam faciat, jurat ſe non reclamaturum contra hanc coactionem.

Qu. an hoc juramentum ipſum obliget ad non reclamandum?

Reſp. duplici modo intelligi poteſt hoc a Mauritio prolatum juramentum. Vel enim juravit ſe ſine reclamatione ducturum Theclam vel juravit ſolum ſe non denunciaturum hanc ſibi illatam violentiam. Juramentum primo modo factum, non obligat ad ducendam Theclam; ſi ſponſalia gravi metu extorta ſint ipſo jure nulla; ut communior, & probabilior docet ſententia apud Sanchez Diſp. 19. lib. 4. firmata cap. ex litteris de Deſp. Impub. Juramentum enim ſequitur naturam actus; cui adjungitur l. ult. Gl. c. de non numerata pecunia. Si igitur non valet promiſſio de futuro matrimonio violenter extorta, neque juramentum obligat. Quoniam vero alii non contemnendi Theologi apud eumdem Sanchez docent non eſſe ipſo jure nulla hæc ſponſalia, ſed irritanda potius, hinc ſequenda eſt S. Antonini, Cajetani, aliorumque ſententia, qui ad conſcientiæ ſecuritatem volunt eſſe poſtulandam a Superiorem juramenti relaxationem.

Si vero Mauritius juravit illatæ injuriæ ultionem ſe penitus condonaturum, dico debere ſolvere jusjurandum. Valet enim ſemper juramentum, quotieſcumque res, quæ juramento promittitur eſt licita: ſicut profecto eſt ſilentium illatæ injuriæ. Conſtat ex c. debitores de Jurejur. ubi dicitur obligare juramentum *ſolvendi uſura* factum *ad redimendam vexationem*: & c. 2. de pactis in 6., & c. cum contingat, ubi ſtatuitur juramenta eſſe ſervanda, quę non *vergunt in diſpendium ſalutis eternæ*. Si tamen (quod ex poſtremo hoc capite colligitur) hujuſce juramenti cuſtodia gravia productura eſſet damna, hoc juramentum vel irritum eſſet, vel quod tutius eſt, irritandum ut in expoſitione ſuperioris caſus diximus.

Atque ut plenius hæc doctrina explicetur, advertendum cum D. Thoma 2. 2. q. 89. art 7. ad 3. duplicem oriri obligationem ex Jurejurando: *Prima cum homine contrahitur, & ex hac parte juramentum turpiter extortum non obligat: homo enim nullum jus per injuſtitam aquirit; Altera initur cum Deo, qui ſicut teſtis invocatur; atque ita jurans tenuetur ſervare, quod per nomen ſuum promiſit, ſi id licitum ſit*. Ita etiam docent legis canonicæ, quæ tamen concedunt relaxationem hujuſmodi juramentorum, ne ſit juramenta vinculum iniquitatis. Sic Molina, Covaruv., Sanchez, Concina &c.

CAS. II. Rinaldus impubes gravi morbo correptus, vovet ſi convaleſcat jeju-

jejunium quolibet Sabbato, pane, & aqua, cum animo petendi a Patre hanc licentiam. Adepta autem ſanitate, cum hoc voto gravetur putans Patrem negaturum, ſi licentiam ſimpliciter petat, conceſſurum vero, ſi votum exponat.

Qu. a Confeſſario an teneatur exponere Patri votum emiſſum, ad licentiam jejunii facilius obtinendam.

Reſp. teneri Rinaldum petere licentiam; & ſi hanc Pater nolit concedere, exponere etiam votum. Sic ſentiunt Sotus lib. 7. q. 3. art. 1. Azor. Tom. 1. Inſt. lib. 11. cap. 16. Lopez aliique. Etenim, qui ſe adſtrinxit voto, tenetur, ut illud poſſit implere ad media ſaltem quæ non ſunt admodum difficilia, cujuſmodi profecto eſt votum emiſſum manifeſtare. Si enim hoc exigunt homines, quibus promiſſio eſt facta, quanto magis debet homo iis uti mediis, quæ non multum afferunt laboris, ut poſſit fidem Deo datam liberare?

Contrariæ tamen ſententiæ favent Suarez, Layman, Sanchez aliique bene multi; quia, qui vovet, inquiunt, ſolum communiora media tenetur adhibere, ut voto ſatisfaciat. Commune autem medium in noſtro caſu eſt, petere licentiam. Ergo ad hoc ſolum vovens tenetur. Sed videtur, in re tanti momenti, qualis eſt executio promiſſionis Deo factæ, non ſufficere, ut vovens ordinariis ſit contentus mediis, ſi ea inutilia experiatur: ſed inſuper eam ſaltem requiri electionem mediorum, quæ facilia ſunt, & ſine magno labore poſſunt adhiberi. Dicunt etiam, quod vovens ſolum tenetur ad conditionem incluſam in voto. At in voto includitur ſolum conditio petendi licentiam. Ergo &c. Sed cur non includitur etiam conditio aperiendi votum? Ideo enim includitur conditio petendi licentiam, quia ut inquit Sanchez, in præc. Decal. lib. 4. cap. 25. n. 28. *eſt medium neceſſarium ad implendum votum*. Sed in caſu noſtro non minus eſt neceſſarium, ut Rinaldus manifeſtet ſe adſtringi voto: aliunde vero hæc manifeſtatio, non eſt medium difficile. Videtur ergo dicendum debere voventem aperire patri promiſſionem Deo factam.

CAS. III. Cum magna advenarum frequentia in quodam oppido Nundinæ celebrarentur, ibi, ut ſolet, advenerunt Saltatores, Funambuli, & Circulatores qui periculoſos ſaltus edebant, & ad oſtentandam ſuorum pharmacorum virtutem venena ſumebant, & brachia Viperis mordenda porrigebant. Cum vero iſti in Solemni ejuſdem oppidi feſtivitate, ut indulgentiam lucrarentur ad Confeſſarium acceſſiſſent, noluit eos abſolvere.

Qu. an bene ſe geſſerit.

Reſp. Præmitto artem Circulatorum, ſicut & Hiſtrionum, aliaſque ſimiles per ſe licitas eſſe. Ita S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 3. ad 3. *Ad omnia, quæ ſunt utilia converſationi humanæ, deputari poſſunt aliqua officia licita & ideo etiam officium hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum*. Verum ſæpe eſt illicitum: ſicut profecto eſt, ſi cum vitæ periculo exerceatur. Jam vero brachia viperis mordenda porrigere, & venenum ſumere (etſi Circulator glorietur ſe potiri medicamine certæ virtutis) eſt ſemper actio imprudens, & periculoſa. Quælibet

libet enim Medicina, quantumvis efficax, datis quibuſdam humani corporis circumſtantiis, quæ utrum exiſtant, interdum ignoratur, ſuo fruſtratur effectu.

Navarrus tamen, Fagundez, alique defendunt, cum potio medicinalis facta eſt ab homine perito, ejuſque vis experta in animali, poſſe Circulatorem abſque culpa, venenum abſorbere, manumque viperæ extendere. Sed Sayro in Clavi Regia lib. 7. cap. 9. aliiſque non placet hæc reſponſio. Certum eſt enim in veneno naturalem, & inevitabilem eſſe vim necandi, non vero ſanandi in medicamentis, quorum efficaciem permultæ ignotæ cauſſe latentes in humano corpore ſæpe ſæpius eludunt.

Illi pariter, qui ſupra funem excelſo loco ſuſpenſam gradiuntur, & ſaltus edunt miros, cum id non præſtent, ſine magno vitæ periculo, artem profitentur illicitam. Experientia docet hujuſmodi homines ſæpe præcipites ruere ex funi, cui vitam committunt, atque interire, aut oſſium certe fracturam pati. Proibentur jure canonico Haſtiludium, Torneamenta, Taurorum agitatio, licet hæc fiant a viris expertis, atque viribus, nec non velocitate plurimum valentibus, quia ſe exponunt probabili mortis periculo. Ita enim legit. cap. Felicis, de Torneamentis: *ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pænitentia non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura*. Eadem de cauſſa videtur repobanda ars funambulorum adeoque Confeſſarius, qui iis denegat abſolutionem non male ſe gerit.

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. Circulatores iſti ob negatam abſolutionem publice querimonias fecerunt, & rumores excitarunt contra Confeſſarium, qui ut ſe defenderet publice dixit hoc hominum genus eſſe incapax Sacramentorum.

Qu. an fregerit Sacramentale ſigillum.

Reſp. Confeſſarium ita loquentem frangere indirecte ſigillum. Cum enim ut ſe defendat, ita loquatur, hoc ipſo declarat ſe denegaſſe abſolutionem, atque propterea illorum peccatum audiviſſe in Sacramentali Confeſſione. Verum eſt, quod etiam id novit extra Confeſſionem. *Illud autem*, inquit D. Thomas in 4. Sent. ſeu ſuppl. q. 11. art. 5. *quod homo alias ſcit, ſive ante Confeſſionem, ſive poſt, non tenetur celare, quantum ad id, quod ſcit ut homo . . . tenetur autem celare illud, in quantum ſcit ut Deus.*

Sed primo Reſp. cum eodem D. Thoma non expedire ut confeſſarius de iis rebus ſermonem habeat, quæ illi innoteſcunt extra confeſſionem, ſi eadem noverit etiam in confeſſione: *propter ſcandalum vitandum* ſunt verba S. Doctoris, *debet abſtinere ne de hoc loquatur, niſi immineat neceſſitas*, niſi ſcilicet immineat Eccleſiæ, vel Reipublicæ, aut proximi damnum; atque niſi ad hoc adſtringat mandatum Judicis, vel Superioris Eccleſiaſtici, jubentis revelare auctorem criminis, vel alia gravis cauſſa. Quamvis enim inde ſcandalum oriri poſſit: attamen, ut ait S. Doctor, *non debet ita vitari ſcanda-*

datum ex una parte, quod ex alia juſtitia relinquatur, veritas enim non eſt propter ſcandalum dimittenda. Ita etiam Natal. Alexand. de Sacr. Pænit. lib. 5. cap. 3. art. 10. Reſp. 2. qui ſe defendit, quod abſolutionem denegarit peccatum manifeſtat, in quantum ſcivit, ut Deus: hoc eſt teſtatur indirecte, ſe audiviſſe tale peccatum in Confeſſione, cui noluit abſolutionem impendere. Viva in Appen. §. 9. la Croix lib. 6. P. 2. num. 693.

CAS. II. Cum Matri gravidæ ad mortem ægrotanti medicina propinaretur, ortum eſt dubium an fætui eſſet nocitura.

Qu. an hoc non obſtante poſſet Mater medicinam ſumere.

Reſp. Triplici ſub aſpectu conſiderari poteſt hic caſus. Vel enim conſtat fætum eſſe animatum, vel dubium eſt an anima potiatur, vel certum eſt adhuc carere anima. Si primum: non poteſt mulier gravida ſumere medicinam, quia eſſet cauſſa mortis corporalis, & ſpiritualis ſui fætus. Nemo autem, ut ſe ipſum, incolumen ſervet, poteſt necare Innocentem; multo minus eripere vitam alterius ſpiritualem, ut propria ſervetur tranſitoria. *Diſtinguendum eſt*, inquit S. Antonius, *de puerperiis. Si enim erat animatum, dando talem medicinam medicus peccat mortaliter quia eſt cauſſa mortis puerperii ſpiritualis, & corporalis:* part. 3. Tit. 7. cap. 2. §. 2., & communiter omnes DD.

Si vero dubia ſit animatio fætus, nequit pariter mulier aſſumere medicinam ſibi paratam a medico, quia non debet exponere periculo utriuſque mortis proprium fætum: idque etiamſi matri aliter ſubveniri non poſſet: juxta illam ſententiam, quæ ex S. Ambroſio afſertur in corpore Juris Canonici c. 14. q. 5., can. Denique: *ſi non poteſt ſubveniri alteri, niſi alter, lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quam gravari alterum.* Et ſane, conſentientibus omnibus, non eſt aperiendus uterus matris proximæ mortis, ut fætur vivus extrahatur, & baptizetur, quia non ſunt facienda mala ut veniant bona. Ergo multo minus æterna ſalus, nec non innocens, terrena licet, vita fætus committenda periculo, ut temporalis propria ſervetur.

Major eſt difficultas, ſi proles nondum ſit animata D. Antoninus citato loco, aliique graviſſimi Doctores arbitrantur, licere Matri aſſumere medicinam nocituram fætui. I. quia fætus nondum eſt homo ſed maſſa quædam informis, & compoſita: unde abortus dici nequit homicidium. II. quia mater eſt in poſſeſſione ſuæ vitæ, filius vero nequaquam. Nondum enim vita humana fruitur, quia nondum potitur anima. Melior eſt autem conditio poſſidentis. III. quia abortus, in hoc caſu, ſequitur per accidens. Evenit enim præter intentionem, matre jure ſuo utente: ſicut ſi valetudinis cauſſa, quis utatur medicamento, unde ſecutura pollutio putetur, quam nullo modo intendit, cenſetur ſolum permiſſa, & per accidens contingens. Quæ doctrina firmatur auctoritate. D. Thomæ aſſerentis poſſe fieri actum bonum ex honeſta fine, licent inde ſequatur malum, dummodo hoc non intendatur. *Nihil prohibet unius actus eſſe duos effectus: quorum alter ſolum ſit in intentione, alius vero ſit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt ſpeciem, ſecundum id, quod intenditur, non autem ab eo, quod eſt præter intentionem, cum ſit per acci-*

accidens: 2. 2. q. 64. art. 7. Neque dicendum eſt, ex hac ratione erui, poſſe matrem ſumere medicinam, quamvis fætus ſit animatus, quia ſi inde ſequitur illius mors, eſt prætor intentionem. Licet enim eveniret præter intentionem, alia tamen prohibent, quominus id fieri poſſit. Tunc enim fætus animati æterna vita, nec non temporalis objicitur periculo. Debet autem anteponi vita alterius ſpiritualis propriæ corporali, quia illa eſt longe melior: neque licet morti committere innocentem, ut propria vita terrena incolumis permaneat.

Aliis tamen Doctoribus oppoſita videtur amplectenda ſententia: quia, inquiunt, quamvis non ſit verum homicidium abortus fætus inanimati, eſt tamen ſpecies quædam homicidii: juxta illud Tertulliani Apolog. cap. 9. *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an diſturbet naſcentem. Homo eſt qui futurus eſt. Etiam fructus omni jam in ſemine eſt*. Item C. ſi aliquis 5. de homic. dicitur: *eum qui fecerit, ut mulier non poſſit concipere, vel generare, vel ut proles non poſſit naſci, ut homicidam tenendum*. Id hiſce textibus, quamquam ſermo ſit de iis, qui directe abortum procurent, quia tamen effectus indirectæ procurationis eſt idem, nempe interemptio fætus, ſequitur habere ſpeciem homicidii. Utraque ſententia validis nititur fundamentis. Secunda tutior.

CAS. III. Evaſius occulte occidit Eraſmum. Cum vero Petrus publicas, capitaleſque inimicitias cum Eraſmo haberet, innocenter in carcerem truditur, & patitur graviſſima damna.

Qu. an Evaſius teneatur damna hæc reparare.

Reſp. vel Evaſius, occidendo Eraſmum prævidit calamitatem, & damna Petri, vel non prævidit. Si non prævidit ad nullam reſtitutionem tenetur, quia hujuſmodi damnum, pre accidens evenit Petro. Actio enim occiſiones tendebat ſolum ad damnum Eraſmi non Petri: hujus autem damnum directe provenit ex ignorantia, & malitia accuſatorum ac teſtium. Iſtis igitur potius quam Evaſio incumbit onus reſtitutionis. Confirmatur. Illud damnum nec in ſe fuit volitum, nec in cauſſa. Non in ſe, quia illud non prævidit, multo minus intendit Evaſius. Non in cauſſa: quia ut effectus ſit volitus in cauſſa debet, aut neceſſario, aut frequenter ſaltem ex tali cauſſa oriri. Sed raro evenit, ut eo tali facto damnum alterius oriatur. Ergo &c. Leſſius lib. 2. cap. 9. dup. 16. Fagundez, & alii.

Dubitandum potius eſt, aut teneatur Evaſius reparare damna Petri, ſi aut prævidit, aut voluit. Graviſſime peccaſſe Evaſium contra charitatem extra omne dubium eſt. Quæri autem debet, utrum peccaverit etiam contra juſtitiam. Solum enim peccatum contra juſtitiam exigit damni reparationem, Jam vero partita de hac re Theologorum ſententia eſt. Sotus, Corduba, Bajetanus. & alii, volunt in hoc peccato contineri aliquam injuſtitiæ labem. Qui enim futurum damnum prævidet, multo magis qui illud intendit, rei injuſtæ, quamvis indirecta actione, operam dat. Igitur committetur in hoc facto aliqua ſpecies injuſtitiæ. Sed docente Adriano in 4. Sent. de reſt. q. 10., & aliis ob peccatum contra charitatem, quis tenetur reſtituere, cum id eo admiſcetur injuſtitia. Ergo &c.

 Na-

Digitized by Google

Navarrus tamen, Leſſius, Fagundez multique alii Doctores, putant eum qui non impedit prævium damnum, aut illud concupiſcit, & vult, ſi ad idem non concurrat actione directe ad illud tendente, peccare contra charitatem, non autem contra juſtitiam; neque teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia numquam pravus animus, & mala intentio obligant ad reſtitutionem, ſed actio oppoſita juſtitiæ. Actus autem occiſionis eſt injurioſus Eraſmo, non autem Petro. Immo voluntas, & intentio ſumunt malitiæ ſpeciem ex natura actus. Cum ergo actus prædictus non ſit injuſtus reſpectu Petri, volitio mali, quod inde ſequitur per accidens, eſt contra charitatem, non vero contra juſtitiam. Confirmant id multis exemplis. v. g., ut alia mittam, ſi fureris Petri theſaurum, unde prævideas, & deſideres illum moriturum contra charitatem graviſſime peccas, non cenſeris tamen homicida, & irregularis: quia hoc damnum non ex illo furto directe, ſed ex voluntario animi affectu ſecutum eſt.

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. Bononius agriculturæ peritiſſimus, vites ab Etruria aſportatas in agro ſuo diligenter excoluit, unde vinum elicitum, quod judicio peritorum habetur pro Etruſco; Et cum ipſi a pluribus familiis vinum Etruſcum ſæpe deferendum committatur, hoc vinum vendidit pro Etruſco eodemque pretio.

Qu. an peccaverit contra juſtitiam.

Reſp. affirmative, idque probo D. Thomæ Doctrina, inquientis: *Dare alicui occaſionem periculi, vel damni, ſemper eſt illicitum .... Venditor autem, qui rem vendendam proponit, ex hoc ipſo dat emptori, damni, vel periculi occaſionem, quod rem vitioſam ei offert, ſi ex eo, vitio damnum, vel periculum incurrere poſſit. Damnum quidem, ſi propter hujuſmodi vitium, res quæ venenda proponitur minoris ſit pretii, ipſe vero per hujuſmodi vitium nihil de pretio ſubtrabat periculum autem ſi propter hujuſmodi vitium uſus rei reddatur impeditus, vel noxius*: 2. 2. *q.* 77. *Art.* 3. His poſitis ſic dico. Bononius, qui loco vini Etruſci vendit vinum ſui agri periculo exponit emptorem: ſi non periculo, ut uſus vini, quod vendit, reddatur impeditus, vel noxius, periculo ſaltem, ut ejuſdem vini uſus, non ſit ita ſalubris ſtomacho, ut eſt vini Etruſci uſus; quamvis guſtui appareat æqualiter bonus. Difficile enim eſt, ut vites ex nativo in alienum ſolum translatæ uvas germinent, quæ ad corroborandum ſtomachum, & exilarandum animum, alioſque ſalutares effectus, eamdem habeant virtutem, quamvis palatus apprehendat eumdem ſaporem in utroque vino. Saltem periculum eſt, ne hoc vinum ſit æqualis virtutis. Sed qui periculo exponit emptorem peccat contra juſtitiam: quia vendit cum, dolo, & fraude, dans emptori rem dubiæ, pro re certe virtutis. Ergo &c. Rurſus Bononius damnum infert emptori. Hoc ipſo enim, quod hujuſmodi vinum fortaſſe non eſt ejuſdem virtutis, minoris pretii judicandum eſt: ſolum enim periculum mercis facit ejus pretium decreſcere. Sed in hypo-

hypoteſi Bononius vendit eodem prætio vinum agri ſui. Ergo damnum inſert.

Præterea admodum probabilis eſt opinio, quam in ſimilibus caſibus tenet Molina diſp. 352. cotractus hujuſmodi, nullos eſſe, ipſo jure, aut certe reſcecandos doli exceptione. Dolus enim dat cauſſam contractui. Ideo enim alii emunt hoc vinum, quia decepti putant eſſe Etruſcum, & ſi noviſſent, non eſſe illius regionis, non conſenſiſſent in contractum. Conſenſus ergo hic ex tortus eſt per dolum: unde non amplius valet, quam contractus extortus per vim, & metum gravem. Nullus ergo eſt, aut certe reſecandus.

CAS. II. Clericum nullam habens obligationem recitandi officium divinum, ut Sacerdoti morem gerat, illud cum ipſo quotidie recitat, ſed in ipſa recitatione ad tædium declinandum voluntariæ ſe diſtrahit.

Qu. an peccet ſaltem venialiter.

Reſp. peccare venialiter. Quamvis enim Gabriel, & Palatius dixerint, in orationibus, quæ non ſunt de præcepto, ſed libera eliguntur voluntate, diſtractionem ex deliberato animo profectam, non eſſe peccatum, ea cuncti ratione quod talis oratio omitti poſſit ſine culpa; ergo & ſine attentione dici: nihilominus contrarium docent communius Theologi: S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 3. Cajetanus, Navarrus, Boſſius. Licet enim recitans orationes, ad quas nullo præcepto adſtringitur, non teneatur illas dicere; dato tamen quod recitet, id præſtare tenetur cum debitis circumſtamtiis, ut patet in omnibus aliis actibus virtutum. At una ex debitis, circumſtantiis, Orationis eſt mentis attentio. Ipſa enim naturalis ratio ſuggerit precari Deum ſine attentione eſſe contra reverentiam Deo debitat: ſicut qui loqueretur cum Principe, & nugis daret operam, injuria illum afficeret. Confirmatur. Qui ſuſcipit munus aliquod, quamvis ſponte, & libere, debet recte illud peragere: v. g. ſi advocatus patrocinetur pauperi, non poteſt hujus cauſſam negligere. Ergo multo magis ſi qui velit agere cum Deo, oratione licet voluntaria, debet ita ſe gerere, quemadmodum illum decet, qui divinam alloquitur majeſtatem. Boſſius, Mor. Var. Part. 3. Tit. 1. §. 62.

CAS. III. Alipius ſimplex Sacerdos ſæpe mittitur a Parocho ad infirmos, ut ipſis afferat ſpirituale aliquod ſolatium, &, ſi inopinato accidat articulus, aut periculum mortis, impertiatur etiam abſolutionem Sacramentalem.

Q. an Parocho quomodo dignoſcere poſſit adeſſe articulum, aut periculum mortis.

Reſp. ſolent communiter diſtinguere Theologi articulum a periculo mortis, ut videre eſt apud Suarez Diſp. 26. de Pænit. ſect. 4. Cardinalem de Lugo, Tract. 5. De Pænit. Reſol. 1. alioſque permultos. Articulum vocant, cum mors imminet, eſtque moraliter certa, & inevitabilis; ſive illa ex naturali cauſſa proveniat, ut ex morbo; ſive ex violenta cauſſa, ut cum quis morte plectendus eſt. Periculum appellant, quando probabili argumento de alterius morte dubitatur, eo quod frequenter ſoleat in tali caſu mors accidere, ſic actuale bellum, gravis exorta tempeſtas, longa, & periculoſa navigatio, diffi-

Google

cilis mulieris partus conſtituunt mortis periculum. Hæc tamen diſtinctio in jure canonico, & apud Sanctos Patres non habetur, ut evidenter oſtendunt permulti Theologi, & noviſſime P. Michael Angelus Griffinus in Animad. Diatr. 3. Reg. 14. Id cum permultis oſtendi poſſit auctoritatibus, una contentus ero. In 6. lib. 5. cap. *eos qui*, dicitur: *Eos qui a ſententia canonis vel hominis, eum ad illum, a quo alias de jure fuerant abſolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum . . . habere recurſum, ab alio abſolvantur. Si ceſſante poſtea periculo &c.* Ex quo patet articulum, & periculum mortis a Jure non diſtingui.

His poſitis dico, ſi Parochus, non habet in ſua Parœcia niſi Sacerdotem Alipium; & ipſe aliis occupatus curis Paſtoralibus, aut utilibus certe non poſſit ſe coſerre ad periclitantem infirmum, non debet ſcrupuloſe examinare an articulus, an ſolum mortis periculum immineat. Non enim in ſolo articulo, ſed in periculo etiam mortis concedit Eccleſia, in favorem Pœnitentium, facultatem omnibus Sacerdotibus abſolvendi, quando deeſt copia approbati. Prob. quia non diſtinguit Eccleſia articulum a periculo, ut mox diximus. At in articulo certe tribuit omnibus hanc poteſtatem. Ergo & in periculo. II. Si in ſolo mortis articulo eſſet conceſſa facultas abſolvendi, negata vero in periculo, innumera occurrerent dubia, cum non admodum facile ſit diſtinguere interdum articulum a periculo: ſicque fieret ut Sacerdos hiſce dubitationibus implexus, vel abſolutionis beneficium non largiretur infirmo: vel eo concederet tempore, quo ſenſibus deſtitutus non poſſet ad tam ingens bonum ſe ſe diſponere. Hoc autem alienum eſt a mente Eccleſiæ, quæ ſummopere ſollicita eſt de ſalute filiorum ſuorum: ſeu ut ait Tridentinum, *ne aliquis pereat*. III. Ut alia mittam, quæ plenius tractat laudatus auctor, præceptum divinum ad Confeſſionem obligat non ſolum in articulo, ſed etiam in periculo mortis, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma in 4. ſent. diſt. 17. q. 3. art. 1. q. 4. Sed repugnat, non voluiſſe Eccleſiam peculiari aliqua ratione ei ſubvenire, qui ad habendam confeſſionem obligatur. Ergo dicendum eſt non voluiſſe ab hac facultate arcere ſimplices Sacerdotes, quando non adeſt copia approbati Confeſſarii.

MENSE NOVEMBRI.

CRS. I. **F**Œmina Confeſſione ſerio peracta, fingens ſe accedere ad manuum Confeſſarii ex devotione oſculandam, verbis & actibus obſcænis ſolicitat ipſum ad turpia, atque ipſi ſolicitanti, verbis & actibus Confeſſarius conſentit.

Qu. an hæc Fæmina Confeſſarium hunc debeat denunciare.

Reſp. Res admodum dubia eſt, an talis Confeſſarius ſit accuſandus, cum non fuerit verus ſollicitator, ſed ſollicitatus. Sanctarellus, de Peirinis, Bonacina, Boſſius, aliſque magni nominis Theologi, putant, quando tractatus ortum habent ab ipſa muliere, licet Confeſſarius conſentiat, non eſſe denuntiandum Confeſſarium. Hæc ſententia validis fulciri poteſt argumentis. Primo enim cum mulier hu-

hujuſmodi ſermones, & tractatus inſtituat, non eſt illi confeſſarius occaſio ruinæ & ſcandali, ſed ipſa ante omnem confeſſarii conſenſum, molitur malum. II. Hic conſenſus non reddit Confeſſarium ſuſpectum de fide, cum derivatus præſumatur ex inopinato ardentiſſimæ libidinis impetu, a mulieris blanditiis genito, quorum tanta eſt vis, ut in repentinis eventibus ſæpe ſæpius excæcentur etiam ſapientes. III. Deeſſe videtur *auſus temerarius*, qui neceſſarius eſt ad incurrendas pœnas Auſus autem temerarius, idem eſt ac contemptus, animus refractarius, dolus, audacia, perfecta voluntas. Jam vero hic auſus requiritur, ut reus pœnæ ſit obnoxius. Unde Suarez de Cenſ. diſp. 45. ſect. 3. §. 23. & 25. *Si verba legis*, inquit, *talia ſunt, quæ poſtulant perfectum, & directum voluntarium, tunc imperfectio actus excludens tale voluntarium excuſabit etiam a cenſura*. Irretitus autem blanditiis mulieris, peccat quidem graviter, ſed non eo contemptu, audacia, & perfecto voluntario, quod videtur neceſſarium ad pænas incurrendas.

Sed inquies: ſive a muliere cæperint, ſive a Confeſſario illi ſermones, & tractatus inhoneſti, ſemper ſtat, Confeſſarium turpiter eſſe locutum, immediate poſt Confeſſionem. Sed qui hujuſmodi utitur indecoro loquendi genere, ſive immediate ante, ſive immediate poſt Confeſſionem, ſive in actu Sacramentali Confeſſionis eſt denuntiandus. Ergo &c. Hoc nixi argumento Fagundez, Diana, aliique, docent denuntiandum eſſe hunc confeſſarium. At illud certum omnino eſt, hujuſmodi ſermones, & tractatus ſubiici pænis, non ſimpliciter ob irreverentiam erga Sacramentum, ſed præſertim quia ſunt via ad ſollicitationem. His autem non utitur Confeſſarius ad ſollicitandum, ſed ad manifeſtandum conſenſum ſollicitationi præſtitum. Paucis. Confeſſarius non active, ſed paſſive ſe habet: non porrigit, ut verbis utar Benedicti decimi quarti, *pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum*, ſed ipſi porrigitur. Ita Boſſius in Append. de Conf. ſollic. n. 6.

Duo tamen advertenda eſſe videntur. I. Si mulier interrupit ſollicitationem, & poſt aliquod ſpatium Confeſſarius illectus præcedenti mulieris ſollicitatione, cum illa denuo ſermones, & tractatus inhoneſtos introducat, ipſamque provocet ad turpes actu, eſt denuntiandus, quia ſcandalo eſt mulieri, ipſamque excitat ad inhoneſta. II. Si aſſenſus Confeſſarii, non eſt ſimplex adhæſio pravæ mulieris voluntati, ſed includit provocationem ad magis inflammandum animum mulieris æſtu libidinis accenſum, videtur denuntiandus, quia eſt verus ſollicitator, ſcandali auctor, nec abreptus ſolum, ſed abripiens ad malum.

CAS. II. Parochus ſæpe dimittit Parochianos ipſum expoſtulantes pro Confeſſione facienda, dicens ſe non teneri ipſos audire quando voluerint, ſed ſolum urgente præcepto, vel alia gravi neceſſitate.

Qu. an verum dicat.

Reſp. Parochum pronuntiare falſum. Non ſolum enim cum adſunt tempora definita ab Eccleſia, graviſque inſtat neceſſitas, ſed debet frequenter ſuis ſubditis Sacramenta adminiſtrare; ſi non ſemper, quando petunt, plerumque ſaltem, ſeu cum illa poſtulant ratio-

rionabiliter. Id infertur ex ipſo munere paſtorali. Sic enim præcipitur animarum rectoribus Jerem. 1. *Ecce conſtitui ſuper gentes . . ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*. At quomodo ad hæc complenda poterit pervenire? Rationem munerum hujuſmodi implendorum inſinuat Apoſtolus 2. ad Tim. 4. *inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina*. Jam vero inſtare, arguere, obſecrare, increpare, opportune, importune, raro, aut certe minori cum fructu fieri poteſt extra Sacramentalem Confeſſionem. Debet ergo illam petentibus frequenter adminiſtrare. II. Ideo recipit decimas, & ſtipendia a populo, ut aliis ſolutus curis, totus eorum ſpirituali ſaluti applicetur. Quare ſicuti Judex, & Magiſtratus, qui a ſubditis recipiunt ſtipendia, tenentur juſtitiam adminiſtrare, quoties petunt rationabiliter; ita Parochus. III. Parochus eſt veluti medicus, & oves ut infirmi. Porro medicus non ſolum debet viſitare ægrotum, cum gravi, & periculo morbo vexatur, ſed in levioribus etiam infirmitatibus, ei opem ferre; ita Parochus debet cum omni ſollicitudine animabus ſibi commiſſis conſulere. Id autem vix præſtare poteſt alio modo, quam ſæpe recipiendo eorum Sacramentales Confeſſiones. Debet ergo ad tale munus accurrere cum vocatur: immo impellere negligentiores, ut frequentius accedant ad hoc Sacramentum.

Neque audiendi ſunt Medina, & Reginaldus, dum dicunt, non teneri Parochos, niſi tempore præfinito a jure divino, aut Eccleſiaſtico, nec ratione fraternæ charitatis, nec vi paſtoralis officii. Non ratione charitatis, quia charitas obliget omnes: alii autem a Parocho non tenentur miniſtrare hoc Sacramentum, niſi in gravi neceſſitate. Non ratione paſtoralis officii, quia officium Parochi imitatur officium Patris. At Pater ſatisfacit proprio muneri, tribuendo filiis neceſſaria, negando abundantiora.

Non, inquam, audiendi ſunt. Nam charitas non omnes urget æqualiter, ſed magis, aut minus, ſecundum majorem, aut minorem conjunctionem perſonarum. Sed quidquid ſit de charitate, falſum eſt, quod Pater non teneatur, niſi ad ea, quæ ſunt neceſſaria vitæ, ſed tenetur, ſi non rigoroſæ juſtitiæ, ſaltem paternæ pietatis vinculo, filios alere *ſecundum quod ei ſuppetunt facultates*: ut dicitur cap. cum haberet, de eo, qui: ubi ſic Gloſſa, *hoc eſt regulare quod ſecundum facultates alimenta miniſtrentur*. Deinde, quod abundantiora, latiſſimum eſt diſcrimen inter Parochum, & Patrem. Parochus enim fructus recipit & ſtipendia hac de cauſſa, ut ad plebem ſalutaribus alimentis nutriendam totus occupetur: adeoque juſtitiæ lege ad hoc adſtringitur. Demum eſt plerumque utilius ut Pater ſubtrahat filiis abundantiora, ne vitiis aſſueſcant, quę ex nimia rerum terrenarum copia promanant. Hoc autem dici nequit de ſpiritualibus alimentis, ſeu Sacramentis, ex quorum frequentia innumera bona oriuntur: unde Eccleſia Indulgentiis, exhortationibus, favoribus compellit fideles ad frequentiam Sacramentorum.

Aliquoties tamen poteſt Parochus ſe ſe ab audienda Confeſſione excuſare: & in his preſertim caſibus, Primo, ſi aliis curis Paſtoralibus,

libus detineatur. Secundo, ſi id expediat utilitati pænitentium, quatenus ex crebrioribus Confeſſionibus eorum ſcrupuli augeantur. Tertio, ſi aliquis nimis intemperas ſit, ut ſolent eſſe mulieres, in petenda Confeſſione Roſignol. Part. 1. de Pænit. Q. 7. Art. 14.

CAS. III. Agnes conjugata emiſit de Mariti conſenſu votum caſtitatis, quod poſtea mutata ſententia ab eodem Marito irritatum eſt. Nunc autem Marito mortuo vellet alteri nubere.

Qu. primo an Maritus poſſit irritare votum caſtitatis in Uxore, in quod antea conſenſerat. Secundo: An hac poſita irritatione poſſit alterum ducere.

Reſp. Plures affirmant, poſſe virum irritare votum caſtitatis ab uxore de ejus licentia emiſſum, licet ſit votum omnimodæ, & perfectæ caſtitatis: & quamquam peccet vir irritando hujuſmodi votum, validam tamen eſſe irritationem. Ita Sanchez, Boſſius, aliique magni nominis Theologi. At hæc ſententia aliis permultis, non arridet.

Atque, ut clare procedam, diſtinguendum eſt. Vel enim vir conceſſit licentiam vovendi perfectam caſtitatem; adeo ut ceſſerit juri ſuo, etiam quoad debiti repititionem: vel tribuit facultatem vovendi ſolum imperfectam caſtitatem; videlicet non fornicandi, non nubendi alteri poſt ejus mortem, non petendi debitum; ſibi autem reſervavit facultatem exigendi. Si hoc ſecundum, probabilius eſt, non poſſe virum ab hoc voto diſpenſare uxorem: quia votum hoc modo prolatum, non videtur de materia ſubjecta viro. Non enim in omnibus mulier ſubditur viro; ſed in iis, quæ ſpectant matrimonium, filiorum educationem, regimen familiæ, adminiſtrationem bonorum &c. At de iis rebus, quæ non ſubjacent viri poteſtati, poteſt mulier vota edere, etiam ſine conſenſu viri, neque ea vir poteſt irritare; ut D. Antonius, Suarez, aliique multi cenſent. Ergo multo minus accedente conſenſu viri poterit idem vir ea irritare.

Contradicunr alii. Ajunt enim, quod ſi non eſt dominus materiæ promiſſæ, eſt tamen, ut caput mulieris, dominus actus liberi uxoris, quo ſe Deo devovit. Sed hoc negatur. Etenim actus ille, conſentiente viro, jam eſt Deo conſecratus, divinique juris factus. Neque rurſus evincit, quod dicunt, uxoris vota habere ſemper imbibitam hanc conditionem niſi vir contradixerit. Primo enim id valet principium, quando votum eſt de materia viro ſubjecta. Secundo, quando ſibi reſervavit poteſtatem relaxandi votum, quam videtur non ſibi reſervaſſe, cum in votum perpetuæ caſtitatis uxoris conſenſit.

Major difficultas, eſt, ſi votum uxoris fuerit omnimodæ caſtitatis. Nam quatenus reſpicit debiti redditionem, videtur eſſe de materia ſubjecta viro. Sed ibi rurſus diſtinguendum eſt. Vel ſibi expreſſe, aut mente etiam reſervavit facultatem irritandi votum; & tunc poterit illud quoad hanc partem irritare: vel conceſſit facultatem perpetuam, & irrevocabilem: & tunc dico non poſſe irritare, quia jus ad uſum conjugii pænitus a ſe abdicavit, & Deo obtulit. Unde S. Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 7. *vota vero continentiæ,*

ita

ita alterius permiſſu ab altero valent offerri, quod poſt promiſſionem non valeant in irritum deduci: quæ auctoritas refertur cap. fin. 33. q. 5. Hanc opinionem amplectuntur celebriores Theologi: D. Thomas in 4. diſt. 32. ibi D. Bonav. n. 4. D. Antonius, Albertus Magnus &c.

Hiſce ſtatutis reſponſio ad ſecundum dubium profluit ſuapte natura. Si tamen admittas oppoſitam ſententiam; quæ magnos habet Patronos dicere debes quod, mortuo viro non reviviſcit votum, adeoque poſſit uxor alteri nubere. Hujuſmodi enim relaxatio, non eſt ſuſpenſio voti tempore ſubjectionis, ſed perfecta irritatio, & annulatio. Ita Sanchez, ceterique rejectam a nobis ſententiam amplectentes.

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. PArochus habens facultatem conferendi Capellaniam, quæ ex ſua inſtitutione conferenda eſt Sacerdoti, confert ipſam Clerico in minoribus conſtituto.

Qu. an jure faciat.

Reſp. Quæſtionem hanc copioſe tractat Proſper Faganus in 1. Dec. de ætat. & qualit. c. ut Abbates: ex quo doctiſſimo viro, quæ ad caſus ſolutionem ſufficiunt, delibabo. Inveſtigandum eſt igitur, an Capellania ſit vere Sacerdotalis: an Clericalis: & ſi Sacerdotalis utrum exigat Sacerdotem actu, aut aptitudine tantum. Si Clericalis, poteſt conferri Clerico in minoribus conſtituto. Si Sacerdotalis aptitudine, conferri poteſt non Sacerdoti, dummodo intra annum promoveri poſſit ad ſacrum Præsbyteratus ordinem. Si requirit Sacerdotem actu, conferri nequit, niſi conſtituto in ordine Sacerdotali. Ad dignoſcendum autem, cujus generis ſit Cappellania, ſpectandum eſt privilegium, ſtatutum, conſuetudo, præſertim vero verba Fundationis. Exempla rem declarent.

Capellania in cujus erectione ſic diſpoſuit fundator: *Inſtituatur Capellanus, qui Miſſas celebret*, non eſt Sacerdotalis, & conferri poteſt Clerico 14. annorum. Ita S. Congr. Concil. in Mediol. 6. Julii 1581., ut teſtatur citato loco Fagnanus, n. 65. & in Melevitana, quam affert idem Fagnan. n. 70. Item Capellania, cum hac conditione erecta: *eligi debeat Præbendatus, qui ſingulo quoque die teneatur Miſſam celebrare*, eſt Clericalis, ut deciſum fuit a Sacra Cong. in Placent. teſte eodem Fagnano n. 67. Ratio eſt, quia illis loquendi modis Teſtator reſpicit potius onus Miſſarum, quam qualitatem perſonæ; & ſollicitus eſt potius de celebratione Miſſarum, quam de obligatione, ut Capellanus celebret per ſe ipſum. Poterit ergo adimplere per alium hanc obligationem: quæ concluſio fundatur in generali illa regula; beneficia ſimplicia non exigere reſidentiam, eorumque onera poſſe per ſubſtitutum impleri, niſi aliter lege, conſuetudine, ſtatuto &c. cautum ſit.

Quædam autem ſunt capellaniæ, quæ requirunt Sacerdotem aptitudine: & iſtæ nequeunt conferri, niſi, qui intra annum promoveri poſſi, V. G. Capellania hac lege fundata: *Capellanus per ſe ipſum*

ipſum Miſſas celebrare teneatur, eſt capellania Sacerdotalis, quæ tamen non eſt neceſſario conferenda actuali Sacerdoti, ſed ſufficit, ut conferatur illi, qui aptus ſit intra annum promoveri. Ita deciſum a S. Congr. teſtatur Fagnanus n. 52. qui eodem loco ſimiles alias deciſiones adducit. Hujus generis eſt hujuſmudi fundatio: *Sacerdos reſidentiam perſonalem teneatur facere, & ſingulis diebus celebrare*. S. Congr. 5. Jan. 1664. Ratio eſt, quia in beneficiis Sacerdotalibus ſufficit habilitas proxima ad Sacerdotium, ut ex pluribus Decretalibus, & ex Drident. ſeſſ. 24. cap. 12. de Refor. colligitur. Poterit ergo capellania hiſce verbis fundata, conferri Clerico, dummodo intra tempus a jure præfixum valeat ordinari.

Quædam denique ſunt Capellaniæ, quæ nequeunt conferri, niſi actuali Sacerdoti. Id dignoſcitur ex verbis fundationis. V. G. *eligatur Capellanus, qui ſit actu Sacerdos*; vel, *non eligatur niſi Praesbyter*, hæc verba denotant præſentandum debere actu eſſe Sacerdotem. Clare enim exprimitur mens Teſtatoris exigentis qualitatem Sacerdotii actualis; a qua non poteſt recedi, neque ab Ordinario de conſenſu etiam Patronorum; ut cenſuit S. Cong. Conc. teſte Fagnano in cap. conquerente 6. de Clericis non reſidentibus n. 54. & ſtatuit Rota in Alexandrina Decanatus 12. Jun. 1598.

Parum autem refert, utrum verba fundationis ſint affirmativa, aut negativa: ideſt *eligatur Sacerdos*, vel *non eligatur niſi Sacerdos*. Nulla enim inter has expreſſiones eſt realis differentia, ut contra aliquos DD. probat Fagnanus n. 56. Neque rurſus neceſſe eſt, ut addita fuerit particula *actu* vel *actualiter*, ſed ſufficit expreſſio Sacerdotes: quia *qualitas adjuncta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi*: ut ex legibus plurimis demonſtrat idem Fagnanus. Ex his Parochus poterit dignoſcere, utrum collatio capellaniæ a ſe facta Clerico ſit valida.

CAS. II. Caſimirus accuſat ſe, quod integro die inhæſit pravæ cogitationi, ſed cum pluribus interruptionibus.

Quæritur ſcientia Confeſſarii in diſtinguendo numero peccatorum.

Reſp. Confeſſarius debet examinare, cujuſmodi fuerit hæc interruptio. Poteſt enim interruptio contingere: I. Per actum contrarium, quo retractetur prava voluntas. II. Per voluntariam ceſſationem a cogitatione peccaminoſa: ut cum quis pravam deſerit cupiditatem, non odio peccati, ſed ut ad ſtudium, negotium, laborem; aliamve occupationem animum convertat. III. Per naturalem ceſſationem, ut per ſomnum, inadvertentiam, mentis evagationem. Jam vero cum interruptio ſequitur per actum contrarium, omnes affirmant, toties comitti peccatum, quoties renovatur voluntas jam retractata. Etenim voluntas ſuccedens eſt novus actus, diſtinctus omnino a præcedenti.

Major eſt difficultas, cum interruptio ſequitur aliis duobus modis. Tres ſententias affert Suarez Diſp. 22. ſect. 5. n. 7. Prima, Docet omnes interruptiones, breviſſimas licet, eſſe quantum fieri poteſt explicandas. Secunda, Docet longiſſimas etiam intetruptiones non eſſe declarandas. Tertia, Docet, tunc eſſe explicandas, cum interruptio eſt notabilis.

Prima ſententia eſt nimis rigida. Singulæ enim cogitationes, inter quas non niſi modicum intercedit tempus, cenſetur unus, idemque actus moralis. Præterea, ſi ſingulæ notandæ eſſent tam exiguæ interruptiones, in magnas anguſtias conjicerentur pænitentes, qui diu cogitationibus malis adhæſerunt; cum impoſſibile ſit veriſimilem etiam, nedum certum, ac definitum interruptionum numerum recenſere.

Secunda ſententia videtur nimis laxa. Ex ea enim ſequeretur, eum qui integro anno foviſſet voluntatem fornicandi, eamque nuſquam revocaſſet, unicum peccatum comiſiſſe. At inquiunt. Cum voluntas nunquam retractaverit conſenſum, cenſetur habitualiter ſemper in eo permanere, & conſequenter omnes illas cogitationes eſſe unum peccatum. At non recte. Per diuturnam enim interruptionem fit, ut ſinguli actus ſint ab invicem realiter diſtincti, & quamvis tempore interruptionis habitualiter perſeveret voluntas mala, attamen maxima eſt differentia inter ſolam habitualem permanentiam, & novum actum, qui ſit per novam applicationem potentiæ ab objectum.

Tertia ſententia videtur in praxi ſequenda, eamque communius admittunt Theologi. Ita Suarez, Giribaldus, Coninck &c. Non poteſt autem aſſignari certa regula ad diſcernendum, an interruptio dici queat longa, vel modica. Nam ut cum Deccaſtillo, & Antonio a Spiritu S. Docet Girib. tract. 7. de Sacr. Pænit. cap. 8. pro diverſitate materiæ aliquando major, aliquando minor interruptio requiritur, & ſufficit, ac proinde judicio prudentum relinquitur determinandum.

CAS. III. Pamphilus tres habens nubiles filias promiſit Placido, ſe unam ex iſtis daturum ipſi in uxorem, quam promiſſionem Placidus acceptavit. Cum autem ſingulæ paratæ ſint ad nubendum Placido.

Qu. Cui ſpectet electio, an Pamphilo, an Placido.

Reſp. Illud primo ſtatuendum eſt electionem ſemper eſſe promiſſoris, & debitoris. Idque generale eſt in omni promiſſione alternativa: Reg. in alternat. 70. de Reg. Jur. in 6. Quam doctrinam multarum legum citatione confirmant Sanchez, & Coninck: ac præſertim l. ſi in Emptione 34. ff. de contract. emptione. §. 6. ubi dicitur: *Si emptio ita facta fuerit; eſt miſſe emptus Stichus, aut Pamphilus, in poteſtate eſt venditoris, quem velit dare.*

Illud præterea advertendum eſt DD. aliquos, Vaſquez videlicet diſp. 4. de Matr. Pontium lib. 12. cap. 4. alioſque apud Girib. tract. 10. cap. 1. dub. 3. opinari acceptationem promiſſionis eſſe virtualem promiſſionem, adeo ut qui acceptat, eodem vinculo obligetur, ac ſi expreſſe promiſiſſet: alios vero cenſere hanc acceptationem non equipollere repromiſſioni, neque per eam aliquo vinculo conſtringi acceptantem: ex quibus laudatus Auctor memorat Sotum, Navarrum, Sanchez, alioſque multos.

Jam vero in prima hypoteſi ſolus promiſſor eſt Pamphilus. Quare ipſius erit eligere filiam Placido jungendam matrimoniali ligamine.

In ſecunda hypoteſi uterque eſt promiſſor. Examinanda tamen eſt vis repromiſſionis Placidi. Nam Placidus acceptans promiſſionem, vel intellexit ad illam individuam ducendam, ſe obligare, quæ placebit Pamphillo: vel non intellexit ad eamdem preciſe, ſed ad unam indefinite ex filiabus Pamphili ducendam ſe obſtringere. In primo ca-

ſu

ſu debitor eſt Pamphilus , & ad eum ſpectat electio . Placidus vero tenetur eam recipere in uxorem , quam determinat Pamphilus : ut ex legibus allatis conſequitur.

In ſecundo caſu pariter cum promiſſio cæpta ſit a Pamphilo , ad ipſum prius ſpectat electio . Non tenetur tamen Placidus eam ducere, quam eligit Pamphilus , quia non ad illam individuam , ſed ad unum indefinite ducendam , ſe obligavit . Sed cum & ipſe Placidus ſit promiſſor, tenetur, ſi eam nolit , quam offert Pamphilus , aliam eligere , ut datam fidem liberet . Non tenetur tamen Pamphilus illi hanc concedere , quia jam promiſſioni ſuæ ſatisfecit aliam proponendo. Ita uterque ſolvit promiſſionem , quin Matrimonium ſequatur.

FINIS.

Il ſuo prezzo L. 1:

Digitized by Google

Google

AD CASUS CONSCIENTIÆ

DE MANDATO

OLIM

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI

PROSPERI LAMBERTINI

S. R. E. CARD. AC BONONIÆ ARCHIEP.

DEINDE

SANCTISSIMI D. N. PAPÆ

BENEDICTI XIV.

APPENDIX DECIMA

Continens Casus Resolutos

Ab Anno MDCCLXXV. uſque ad Annum MDCCLXXVIII. incluſive:

Opus Confeſſariis, atque animarum cura gerentibus perutile ac neceſſarium.

VENETIIS,

MDCCLXXIX.

Typis Bartholomæi Occhi.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CASUS IN DIŒCESI

Ad reſolvendum propoſiti, nunc vero reſoluti

ANNO MDCCLXXV.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. NIcolaus Parochus hoc anno Jubilæi publicans Indulgentias Plenarias pro Defunctis, quæ ſuſpenſis aliis firmæ remanent, eaſdem addit pro Vivis etiam valere, dummodo qui eas lucrari cupit, eleemoſynas elargiatur.

Qu. utrum, & in quas cenſuras incurrerit.

Reſp. Duplici modo erraſſe Nicolaum Parochum. I. Publicando, ſeu nuntiando Indulgentias ſuſpenſas. II. Eaſdem promulgando ſub conditione eleemoſynas elargiendi. Ob prohibitam enuntiationem Indulgentiarum ſuſpenſarum incurrit Excommunicationem latæ ſententiæ, aliaſque pœnas arbitrio Ordinarii infligendas. Sic enim in Litteris Apoſt. Clementis XIV. habetur: *Quocirca ... præcipimus, & mandamus, ne interim præter ſuperius expreſſas, aliæ quam indicti a nobis prædicti Jubilæi Indulgentiæ ſive publice, ſive privatim quovis prætextu, ... ſub Excommunicationis eo ipſo incurrendæ, aliiſque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis publicentur &c.* Hæc tamen Excommunicatio nemini reſervatur.

Nunc videndum eſt utrum, & in quas pœnas incurrerit Nicolaus, quia eleemoſynas impoſuit volentibus lucrari Indulgentias. Adeo Eccleſia deteſtata eſt omnes turpes Quæſtus occaſione Indulgentiarum, ut cum remedia adhibita a Conciliis Lateranenſi, Lugdunenſi, Viennenſi, adverſus pravos Quæſtorum abuſus inutilia reddita eſſe perſpexerit, ipſum Quæſtorum nomen in Tridentino Concilio aboleverit; Seſſ. 21. cap. 9. Seſſ. 25. Decreto de Indulgentiis.

Cum nihil hominus abuſus hujuſmodi perdurarent, immo ſerperent latius, S. Pius V. Duplici conſtitutione eoſdem iterum prohibuit. In Conſtitutione *Etſi Dominici Gregis* Indulgentias omnes irritat, annullat, ac viribus vacuat, pro quibus conſequendas *porrigendæ ſint manus adjutrices, & quæ quæſtuandi facultatem quomodolibet continent*; omnibuſque, quacumque etiam dignitate fulgentibus prohibet, ne audeant, vel præſumant *quæſtas facere, aut Nuncios, Quæſtores ... conſtituere, & deputare, niſi ex ſpeciali licentia & certa ſcientia Romani Pontificis &c.* In altera autem Conſt. *Quam plenum ſit periculi* decernit, ut quicumque ſecus egerint ſeu attentaverint, ſi Antiſtites ſint *ab ingreſſu, & perceptione fructum ſuarum Eccleſiarum ſuſpenſi: inferiores vero ab Epiſcopis ſententiam Excommunicationis incurrant; a qua, niſi in mortis articulo conſtituti, ab alio quam Romano Pontifice abſolutionis beneficium nequeant obtinere.*

Hæc omnia adeo vigere voluit Sanctiſſimus Pontifex, ejuſque ſucceſſor

Digitized by Google

Gregorius XIII. ut cum cognoverint, pro multis alendis Hoſpitalibus neceſſarium eſſe aliquas Quæſtas permittere id (teſte Fagnano in cap. *cum ex eo de Pœnit. & Remiſs. n. 21. & ſequ.*) non conceſſerint, niſi ſub permultis conditionibus. Datis enim, prævia ſententia Sacræ Cong. Trident. Encyclicis litteris Ordinariis locorum Eleemoſynarum collectionem in favorem Hoſpitalium, permittunt; dummodo qui eas colligent I. Sint honeſtæ vitæ & ſpectatæ Religionis. II. Minime ſint participes Eleemoſynarum. III. Quæſtorum nomen nullo modo gerant ſed ſimpliciter Eleemoſynarum collectores nuncupentur. IV. Non publicent ullas Indulgentias. V. Nulla Quæſtorum inſignia ferant. VI. Non petent Eleemoſynam tamquam debitam, aut ſolitam, nec ulla arte extorqueant pecuniam. Alia etiam nonnulla collectoribus obſervanda præcipiunt.

His poſitis dico, ſi Nicolaus Parochus publicavit Indulgentias, pro quibus porrigendæ ſint manus adjutrices certis locis, aut perſonis; moltoque magis, ſi quæſtas aut per ſe, aut per alios fecit, inflictas a Sanctiſſimo Pontifice Pio V. pænas incurrit. Si vero pauperibus, aut locis indeterminatis Eleemoſynas tribuendas eſſe pronunciarit, neque eas ullo modo quæſiverit, non videtur incurriſſe prædictas pœnas. Nam allatæ Conſtitutiones loquuntur de publicatione Eleemoſynarum in favorem peculiarium locorum, ac perſonarum, & de turpi earumdem quæſtu. Ita Carolus Theſaurus de Pœnis Eccl. Part. 2. verbo Indulgentiæ cap. 2.

CAS. II. Idem Parochus ex Sacro Altari pronunciavit Indulgentias ſingularibus Perſonis conceſſas, firmas remanere, & inconcuſſas hoc anno Jubilæi. Qu. I. utrum verum dixerit. II. ſuppoſito quod falſum dixerit, an ignorantię hujuſmodi illum excuſet a cenſura.

Reſp. Indulgentiæ ſingularibus perſonis conceſſæ, vel Plenariæ, eſſe poſſunt vel non Plenariæ. Si Plenariæ ſint, remanere ſuſpenſas adeo certum eſt, ut nulla opus ſit probatione. Si vero de non Plenariis ſermo inſtituatur. Quæſtio erat olim non contemnenda, utrum anno Jubilæi eſſent ſuſpenſæ.

Navarrus de Jubil. notab. 33. n. 26. Benzonius de Jub. lib. 4. cap. 8. dub. 2. aliique apud Benedictum XIV. Conſtit. *Inter præteritos, ac præſentes* §. 2. ſolas Plenarias remanere ſuſpenſas ſcripſerunt: unde conſequitur non Plenarias ſingularibus perſonis conceſſas vigere etiam anno Jubilæi. Neque levi nituntur fundamento Doctores hujuſmodi. Cum enim in Bullis Sixti IV. ex Gregorii XIII. qui Pontifices Jubilæum indixere, legatur *omnes & ſingulas Indulgentias Plenarias*, de non Plenariis vero nullum verbum habeatur, conſequi videtur illas ſolum, non has autem eſſe ſuſpenſas.

Alii vero opinati ſunt etiam non Plenarias, ſive univerſaliter, ſive ſingulis perſonis conceſſas ſuſpendi conſueviſſe a Romanis Pontificibus. Ita ſcripſerunt Conſtantinus in Tract. de Jub. parte 3. cap. 7. Theodorus de Indulg. tom. 1. cap. 13. art. 5. quæſt. 2. aliique citati ab eodem Benedicto. Doctores huiſmodi non Sixti & Gregorii Conſtitutiones, ſed poſteriorum Pontificum examinarunt, in quibus univerſaliter nulloque diſcrimine facto inter Plenarias, & non Plenarias ſuſpenduntur *omnes, & ſingulæ Indulgentiæ*. Hac autem generali loquendi formula comprehendere voluiſſe Romanos Pontifices non Plenarias etiam, inde magis eruitur, quod illas Indulgentias, quas a communi lege excipere,

& in

& in ſuo robore permanere, anno Jubilæi voluerunt, expreſſe nominarunt. Sic Clemens X. Innocentius XII. Benedictus XIII. exceperunt Indulgentias ſeptem annorum, & totidem Quadragenarum, quæ dantur Romæ Fidelibus vere contritis, in comprecatione Quadraginta horarum. Inde conſequitur alias ſive omnibus, ſive ſingularibus perſonis conceſſas, remanere ſuſpenſas durante anno Jubilæi.

Quæſtionem hanc eliminavit Benedictus XIV. Sapientiſſimus Pontifex; neque per Conſtit. Clementis XIV. reviviſcit, ſed magis proſtrata jacet. Uterque enim ſic ſe explicat: *Ceteras omnes & ſingulas Indulgentias tam Plenarias, quam non Plenarias &c. ſuſpendimus &c.* Et ne ulla cavillandi occaſio relinqueretur circa Indulgentias ſingularibus perſonis conceſſas, ſe ſuſpendere declararunt non ſolum quas Romani Pontifices conceſſere *Eccleſiis Monaſteriis &c.* Sed quas elargiti ſunt *tam ſecularibus quam.... Regularibus perſonis.... tam ſingulariter, quam univerſaliter... ipſis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus &c.*

At ſi Parochus Indulgentias ſuſpenſas publicarit, excuſandaſne eſt a cenſura? Ignorantia hujuſmodi certe eſt culpabilis. Cum enim Parochus ſit plebis ſuæ Doctor, debet ea, quæ palam pronuntiaturus eſt, accurato prius examini ſubiicere. Nihilominus dico: ſi ignorantia hæc vincibilis profecto, non fuit *craſſa & ſupina* excuſandus videtur. Etenim in ignorantia culpabili licet, ſed non craſſa, & ſupina, ſpecialis ille interpretativus contemptus, & animus malus deſideratur, qui penæ obnoxium reddit delinquentem. Cui ſententiæ favere videntur leges ipſæ. Etenim in cap. *Ut animarum periculis* de conſtit. in 6. ſic ſtatuitur. *Ut animarum periculis obvietur ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina:* ubi apparet ſolam craſſam, & ſupinam ignorantiam non liberare a pœna, a qua proinde eximit ignorantia minus culpabilis.

Non ignoro plures Doctores huic opinioni nolle acquieſcere. Etenim laudatum cap. ſola reſpicit Ordinariorum ſtatuta, non leges Romani Pontificis: & congrua quidem ratione. Cum enim Summi Pontificis legibus major impendi debeat reverentia, minor etiam culpa ſufficiet ad pœnas per eoſdem ſtatutas incurrendas. Sed cum in odioſa verſemur mitius agendum puto.

Atque ut omittam poſſe non inepte dici cum Sylvio verb. *ignorantia* q. 8. n. 16. Ordinariorum nomine Romanum etiam Pontificem comprehendi, qui eſt Ordinarius Ordinariorum; animadverto cum eodem Sylvio & Sanchez lib. 9. Diſp. 32. n. 11. argumentum a contrario ſenſu vim non habere, quando in contrario ſenſu militat eadem, vel major ratio. At in cenſuris jure Pontificio latis vim habet magnam ratio in illo textu expoſita; nimirum *ut animarum periculis obvietur*: immo in iſtis pleniorem vim habet: facilius enim leges Pontificiæ ignorantur, quam quæ ab Ordinariis locorum emanant. Ergo &c. Verum etiam eſt majus deberi obſequium Pontificiis, quam Epiſcopalibus ſtatutis: at hæc non eſt ratio quæ ſplendeſcit in laudato textu, ſed ſola animarum ſalus adducitur; cui proſpiciendæ antiquus rigor mitiori lege temperatus eſt. Hæc autem ratio potius locum habet in Juris Pontificii ſtatutis. Ex his apparet reſponſio ad propoſitum dubium.

At inquies: non poteſt hujuſmodi ignorantia non eſſe craſſa, & ſupina.

Sola enim lectio Bullæ, quæ eſt minima diligentia adhibenda a Parocho, ſufficiebat ad eliminandam hanc ignorantiam. Sed cum in Bullis tot ſint clauſulæ, tot ampliationes, reſtrictiones &c. quarum aliquæ fugere etiam poſſunt aciem diligentis lectoris, non mirum ſi nonnulle ab oſcitante lectore non obſerventur, & perpendantur. Quare Parochum excuſandum cenſeo: præſertim ſi ad lectionem Bullæ acceſſit animo imbuto opinione antiquorum plurium Theologorum, quod Indulgentiæ ſingularibus perſonis conceſſæ, firmæ maneant & inconcuſſæ. Præconcepta enim opinio, vel aditum ad veritatem claudit, vel luce ipſa clariorem veritatem in ſenſum animo infixæ opinioni omnino congruentem detorquet & trahit.

CAS. III. Caſimirus in quadam Academia, ubi conſcientiæ caſu explanantur, palam dixit, etiam anno Sancto, privilegiatos Confeſſarios, qui poteſtate gaudent abſolvendi a crimine abortus, & diſpenſandi impeditos a petitione debiti conjugalis, poſſe uti hac facultate: & pro hac ſententia acerrime pugnavit.

Qu. utrum erraverit.

Reſp. Notandum Epiſcopos per Conſtit. Gregorii XIV. recuperaſſe facultatem abſolvendi ſive per ſe, ſive per ſubdelegatos a crimine abortus, quam illis abſtulerat Sixti V. Conſtitutio. Item facultatem diſpenſandi impeditos a petitione debiti conjugalis, exercendam vel ab ipſis Epiſcopis, vel ab eorum ſubdelegatis, nunquam Paſtoribus Eccleſiæ fuiſſe vel raptam, vel imminutam. His poſitis, ſi Confeſſarius juriſdictione ab Ordinario ſibi conceſſa potitur, tutto poteſt, & abſolvere, & diſpenſare. Facultates enim omnes, quibus Epiſcopi quomodolibet fruuntur, intactæ permanent hoc etiam Jubilæi anno: ut ex Conſt. Clementis XIV. manifeſte patet. Quare ſi Caſimirus de poteſtate ab Epiſcopis in ſingulares Confeſſarios derivata locutus eſt, non erravit aſſerendo, hanc preſervare anno Sancto.

Si vero Confeſſarius juriſdictione potiatur a Summo Pontefice immediate conceſſa, dico non poſſe hoc Jubilæi anno abſolvere, ab iis delictis, & diſpenſare ab impedimentis, a quibus alias poterat. Non ignoro acerrime olim concertaſſe Theologos utrum omnes omnino facultates, an illæ ſolum ſuſpendantur, quæ conceduntur intuitu, & occaſione Indulgentiarum. Hæc controverſia orta eſſe videtur ex formula ſuſpenſionis facultatum, qua uſus eſt Gregorius XIII. Sic enim ſe exprimit: *Suſpendimus .... omnes & quaſcumque Plenarias .... & earum cauſſa, Facultates, Conceſſiones & Indulta quæcumque &c.* Solæ ergo facultates illæ ſuſpenduntur, quæ ideo elargiuntur, ut Fideles Indulgentias conſequi valeant. Huic opinioni favent Viva, Quarti, Conſtantinus &c. Hujus ſententiæ fautores illam ea reſponſione corroborant, quam a Datario viro perito, & Pontificiæ mentis apprime gnaro retulit Navarrus. Hic ſummus vir (ut ipſe narrat de Jub. & Indul. notab. 33. n. 2.) ne ſummo Pontifici importunus videretur interrogavit Datarium, num ſub generali ſuſpenſione Facultates, & Indulta ex aliis cauſſis, & non ratione, aut per occaſionem Indulgentiarum conceſſa comprehenderentur: atque ſequens tulit reſponſum: *Intentionis Sanctiſſimi Domini noſtri fuiſſe ſuſpendere ſolas, & omnes Indulgentias Plenarias, & omnia, earum quærendarum cauſſa Conceſſa, & Indulta: ita quod nulla indulgentia, quæ non eſſet Plenaria, nec ulla Facultas, quæ non eſſet cauſſa Indulgentiæ Plenariæ quærendæ conceſſa, cenſeatur ſuſpenſa.*

Sed

Sed hæc probant ſolum, ita rem ſe habuiſſe in Jubilæo Gregorii XIII non vero in aliis Jubilæis. Ceteri enim Pontifices, ſive qui Gregorium præceſſerunt, ſive ejuſdem ſucceſſores, non uſi ſunt in eorum Conſtitutionibus reſtrictiva Gregorii formula, neque ea verba, *& earum cauſſa* in eiſdem inſeruerunt. Magna autem, ut opportune notat Benedictus XIV. in Conſt. *Inter Præteritos* n. 2. eſt vis generalitatis verborum Quare concludendum omnes omnino facultates, exceptis iis, quæ expreſſe nominantur, vertente hoc Jubilæi anno ſuſpenſas remanere.

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. LAurentius Confeſſarius præcipit Damaſo, quem ſcit invalide contraxiſſe Matrimonium, ſed ignorare nullitatem ſui Matrimonii; præcipit, inquam, ut debitum reddat uxori ſuæ, quam cum magno proſequatur odio, a Toro abjecit: cumque obedire renuat Damaſus illi negat abſolutionem. Qu. an juſte deneget.

Reſp. Suppono Damaſum laborare ignorantia invincibili, quæ cum maximo erga conjugem odio conjuncta ſit, a Confeſſario profecto eſt ſilentio prætereunda, ne inde graviſſime oriantur ſcandala, juxta illud *cap. quia circa de Conſang. & Affinit....... Diſſimulare poteris, ut remaneant in Copula ſic contracta, cum ex ſeparatione videas grave ſcandalum imminere*. Suppono etiam impedimentum invicibiliter ignoratum a Damaſo, alios etiam latere. Si enim divulgatum eſſet, teneretur Confeſſarius, monere Damaſum, quamvis cognoſceret ipſum teneri ignorantia invicibili, eaque deleta graviſſima naſcitura ſcandala: Sanchez lib. 2. diſp. 38. Bonacina &c. quia bonum commune proferendum eſt bono privato.

Suppoſito ergo quod Laurentius Confeſſarius in ea ſe videat circumſtantia, in qua nullitas Matrimonii ſit diſſimulanda, debet ne Damaſo præcipere copulam, an alio uti temperamento? Si audiamus Sanchez dicta Diſp. Averſam quæſt. 21. ſect. 3. Coninck, Layman &c. omnino præcipienda eſt copula. Damaſus enim ſuppoſita ignorantia invincibili, peccat graviter debitum non reddendo adeoque Confeſſarius & jubere debet ut reddat, & negare abſolutionem ſi non promittat ſe redditurum. Neque mentitur Laurentius cum dicit Damaſo, illam quam a Toro abjecit, eſſe conjugem ſuam: ſicuti mentita non eſt B. Virgo cum Joſeph appellavit Patre Chriſti: *ego & pater tuus dolentes quærebamus te*. Id enim dicitur eſſe, quod communiter tale reputatur, quamvis revera non ſit.

Sed eſto mendacii non ſit reus Laurentius, illam quam a Toro abjecit Damaſus, vocando ejus uxorem; non poteſt tamen præcipere copulam. Hoc enim eſſet non debitum, ſed veram fornicationem jubere. Fornicatio autem eſt intrinſece mala ut docet S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 2. & patet ex 48. inter damnatas propoſitiones ab Innocentio XI. *Clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta*. Concurrere autem ad actum intrinſece malum licet in agente, ob ignorantiam invincibilem, minime culpabilem, numquam licet. Atque hæc vera ſunt, ſive impedimentum ſit juris divini, ſive juris humani. Quamvis enim impedimentum, quo irretitur Damaſus ſit fortaſſe a ſolo humano jure inductum, ſemper verificatur, Matrimonium ſecutum non eſſe legitimum, adeoque copulam

Digitized by Google

eſſe fornicariam, non licitum congreſſum: quamquam neſciis impedimenti hoc nequeat imputari ad culpam. Non debet ergo Confeſſarius perſuadere copulam. Huic opinioni cum Soto 4. D. 18. q. 2. art. 4. ad 2. favent plures alii.

Qua ergo ratione ſe gerere debet Confeſſarius? Omnes rixarum cauſſas amovere & abſolutionem ſuſpendere donec odium fuerit extinctum. De conjugali debito autem, cujus negatio eſt odii concepti effectus, vel nihil loqui debet, cum radice vindictæ, evulſa, omnes ſuapte natura corruant illius effectus: vel ut citato loco docet Sotus, dicere ſolum in genere conjuges teneri reddere debitum.

CAS. II. Simplicius depoſuit apud Facundum viginti aureos, ut illos cuſtodiret. Eoſdem repetit Simplicius, ſed ut iis utatur ad ſcortandum, & venena emenda, ut mortem inferat inimico. Hæc peſſima mens licet innoteſcat Facundo, aureos nihilhominus teſtituit. Qu. utrum, & quo peccati genere peccet Facundus: & an ſecuta fornicatione, & homicidio ad aliquid teneatur.

Reſp. Duplicem, ut notat caſus, fovet animo Simplicius malam intentionem; fornicandi nempe, & necandi inimicum. Videndum eſt igitur primo, utrum, & quo peccati genere peccet Facundus depoſitum reſtituendo Simplicio, ut fornicetur.

Dico igitur: ſi Facundus ſtatim reddit, non poſſit ſine injuria petentis differre reſtitutionem, nulla præſertim correctionem, præmiſſa graviſſime peccat contra charitatem. Lex enim dilectionis præcipit, ut fratrum noſtrorum ſaluti, quantum fieri poteſt, proſpiciamus. Nam proximum debemus diligere, *quemadmodum Chriſtus dilexit nos*, qui ut nos a peccato redimeret, & ſalvaret, *animam ſuam pro nobis poſuit*. Debemus ergo ſaltem, aliqua ratione operam dare, cnm poſſumus ut peccata proximi impediamus. Si autem Facundus nullo modo reſiſteret Simplicio petenti depoſitum, profecto non ſtuderet illius ſalutis, immo illam ſummopere negligeret: atque proinde contra charitatem peccaret.

Non ignoro hanc opinionem, quam Molina, Leſſius, Lugo, Arragonius aliique communiter admittut, nonnullis diſplicere. Reſtitutionem enim non eſſe differendam, quando non affert, detrimentum niſi ipſi creditori, acerrime defendunt Petrus Navarra lib. 4. de Reſt. cap. 2. n. 39. Azorius 3. parte l. 4. cap. 39. Sanchez, Bonacina &c. Creditor enim inquiunt, habet jus petendi rem ſuam, quæ propterea abſque injuria ei negari nequit: ſicut Parochus non poteſt peccatori occulto negare Euchariſtiam in publico, quia habet jus petendi; & ſicut uxor tenetur reddere debitum marito licet voto caſtitatis obſtricto, ac proinde illicite petenti.

Sed hæc nihil officiunt. Habet utique jus creditor, ut res ſua illi reſtituatur, ſed non ſemper habet jus, ut illico, & immediate illi reſtituatur. En ſplendida D. Thomæ doctrina 2. 2. Quæſt. 62. Art. 5. *quando res reſtituenda apparet eſſe graviter nociva ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet TUNC reſtitui, quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui reſtituitur. Omnia enim quæ poſſidentur, ſub ratione utilis cadunt:* & infra docet, debere, qui retinet rem alienam *reſervare, ut congruo tempore reſtituat*. Et certe Dominus qui re ſua male uſurus eſt, irrationabiliter eſt invitus, ut rei ſolutio differatur, cum hæc dilatio non ordinetur, niſi ad bono ipſiuſmet creditoris.

Allata exempla nihil probant. Nam Parochus debet dare Euchariſtiam, non

non quia peccator jus habeat illam petendi, ſed quia habet jus ad propriam famam. Scio adverſarios ab hac reſponſione aliud inferre argumentum in defenſionem propriæ ſententiæ. Quia, inquiunt, peccator habet jus ad famam, non poteſt Parochus negare Euchariſtiam peccatori pubblice petenti, qui ea in ſui perniciem abuſurus eſt. Ergo quia creditor habet jus ad propriam, pecuniam, non poteſt ei denegari licet ad peccandum illa ſit uſurus. Magnum tamen intereſſe diſcrimen obſervat Lugo Diſp. 31. Sect. 2. Nam ex negatione pecuniæ nullum damnum ſequitur creditori, immo maxima illi oritur utilitas; ex negatione vero Euchariſtiæ maximum reportat detrimentum peccator, amiſſionem ſcilicet famæ, & honoris. Quare illa negatio fit ſine injuria proximi, hæc autem injuria afficit proximum.

Uxor autem debet negare debitum marito obſtricto voto caſtitatis ſi id poſſit ſine gravi incommodo. Tenetur enim, quantum poteſt impedire peccatum mariti. Vel cum ipſa habeat jus petendi noſcens voluntatem mariti poteſt ipſa tunc uti jure ſuo & petere; & ita Maritus ſe habebit potius ut reddens, quam petens debitum. Hæc citatus Lugo eodem loco.

Jam vero ſi Simplicius æſtu libidinis abreptus, non aquieſcat conſilis Facundi, ſed omnino velit reſtitutionem depoſiti: dico eſſe reſtituendum. Ex duobus enim malis minus eſt eligendum. Jam vero ſi Facundus reſtituat, depoſito utitur Simplicius ad crimen patrandum, quod opponitur charitati; ſi vero nolit Facundus, urgente creditore, reſtituere, privat illum ſuo jure, adeoque depoſitarius operatur contra juſtitiam. Sed majus malum eſt juſtitiæ leges frangere, quam permittere peccatum contra charitatem. Igitur hoc ipſum potius, quam illud malum eſt eligendum. Atque in hoc caſu Facundus, ut patet, ſe habet potius tamquam permittens, & invitus quidem, peccatum quod opponitur charitati, quam cooperans eidem peccato. Si enim prius reſtitit Simplicio ob malum finem petenti depoſitum, ſi illud negavit, ſi non reſtituit niſi coactus ab ipſo creditore, profecto non concurrit niſi materialiter, & neceſſario, ad malum fornicationis. Videatur Aragon. quæſt. 62. art. 5.

Videamus modo, utrum peccet Facundus contra juſtitiam reſtituendo depoſito, quo uti vult Simplicius ad venena emenda ut occidat inimicum. Dico, ſi Facundus non obſtet petendi ob injuſtum finem, ſi prompte reddat, nulla neceſſitate adactus reſtituat, peccare nedum contra charitatem, ſed contra juſtitiam. Eſt contra Molinam aliosque nonnullos hæc aſſertio, qui reſtituentem putant peccare ſolum contra Charitatem, dummodo qui reſtituit non reſtituat eo animo, ut injuria proximo inferatur. Non enim, inquiunt, tenemur defendere proſſimum ex lege juſtitiæ, ſed ſolum ex lege charitatis. Qui ergo ſine mora depoſitum reddit, peccatum committit charitati ſolum, non juſtitiæ oppoſitum.

Falluntur tamen Auctores hujuſmodi. Etenim qui conſenſum præbet, qui media ſubminiſtrat ad injuſtitiam, profecto eſt particeps ſecuti damni; adeoque peccat contra juſtitiam. Jam vero ita ſe habet Facundus in propoſito caſu. Quid enim eſt, ſtatim, nulla coactione, æquo animo reddere pecuniam, niſi conſentire ut inimicus occidatur? Quid eſt petenti ad necem adverſarii depoſitum, illico, libenter reſtituere, niſi aditum aperire ad homicidium, niſi medium ſubminiſtrare omnino neceſſarium, ut ſupponimus, ad occiſionem? His poſitis, quis non dicet

etiam

etiam Facundum reum eſſe injuſtæ cædis ? Nec plura deſunt ſimilia exempla, quibus id comprobetur. Qui commodat gladium, quo ſcit alterum eſſe occidendum peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, ut conſtat ex lege *ſi Pignore ff. de furtis*, *& cap. nequis arbitretur cauſ.* 22. *q.* 2. Item qui vendit venenum, quo ſcit hoſtem interimendum, peccatum committit contra juſtitiam, ut ex adductis legibus ſequitur, & omnes fatentur. Idem dicendum videtur in caſu noſtro. Verum eſt magis proxime ad peccatum concurrere, qui gladium porrigit aut venenum, quam qui pecuniam ſubminiſtrat, nihilominus & iſte medium præbet neceſſarium, ſine quo, ut ſupponimus, peccatum non comitteretur, adeoque eſt vera cauſſa peccati. Unde D. Thomas 2. 2. quæſt. 62. art. 7. ad primum inquit: *non ſolum peccat ille, qui peccatum exequitur, ſed etiam qui QUOCUMQUE MODO peccati eſt cauſa*. Et ſane, licet ex cauſſis expreſſis illis verſiculis *Juſſio*, *conſilium* &c. aliquæ magis, aliæ minus immediate concurrant ad damnum proximi, omnes tamen tenentur ad reſtitutionem: ita dicendum in caſu noſtro.

Hinc corruit objectum adverſariorum. Aliud enim eſt non defendere proximum, aliud concurrere ad ejus necem. Primum eſt contra charitatem, ſecundum juſtitiæ opponitur. Qui vero dat medium neceſſarium ad occiſionem, profecto concurrit ad malum. Quare non poterit Facundus reſtituere, niſi graviſſima neceſſitate coactus: puta ſi Judex præcipiat reſtitutionem, ſi grave damnum immineat depoſitario, non reſtituendo &c. At negatione, inquies depoſiti læditur jus deponentis. Sed jus præſtantius, nempe jus alterius ad propriam vitam, læditur reſtituendo. Non ergo reſtitui debet depoſitum, niſi gravis id poſtulet neceſſitas.

CAS. III. Calphurnius Bononienſis, Interdictus ob tranſgreſſum Paſchale præceptum, Romam hoc Jubilæi anno proficiſcitur: & receptis in privato Oratorio Sacramentis, cetera quæ ad Indulgentiæ acquiſitionem a Summo Pontifice injuncta ſunt, adamuſſim, & devote implet. Bononiam reverſus interrogat Parochum ſuum, an potuerit, licet nondum abſolutus ab Interdicto lucrari Jubilæum.

Qu. vera reſponſio.

Reſp. Ut Quæſtionis hujus ſolutio habeatur, nonnulla ſunt diſcutienda. Ac primo, quid veniat Eccleſiæ nomine ſtatuendum eſt. Nomine Eccleſiæ non venit Oratorium privatum, ſed Templum auctoritate Epiſcopi inſtitutum, & benedictum, ſeu ſacratum, ad ſacra publice facienda. Ita Covar. in cap. *Alma mater*. 2. par. ſ. 1. n. 3. Suarez Diſp. 35. Sect. 4. n. 6. aliique innumeri ab his citati. Nam verba legis, odioſæ præſertim, ac pœnalis non ſunt interpretanda niſi in ſenſu naturali & obvio, vel ſaltem in eo ſolum, quem obtinent in jure Eccleſiaſtico. Sed ut teſtatur laudatus Suarez diſp. 22. ſect. 2. n. 13. tam in jure, quam in uſu Eccleſiæ nomine intelligitur Templum proprie dictum, numquam vero Oratorium privatum. Quod ſi in favorabilibus ampliorem ſignificationem admittit *Eccleſiæ* nomen, numquam ſane refertur ad Oratorium privatum, ſed ad Monaſteria, Hoſpitalia, & alia pia loca ab Epiſcopo ſacrata, quæ argum. cap. *Ad hæc* de rel. domibus, æquiparantur Eccleſiis. In odioſis vero *Eccleſiæ* vox non ſignificat niſi verum Templum: unde Jura pænalia, cum alium aliquem locum expreſſum volunt, vel illum ſingillatim nominant ut cap. *ſi civitas*.

tas in 6. de Sent. Excom. vel generalibus utuntur vocibus, quæ omnem omnino locum vel plura loca deſignent, ut *cap. ſi Sententia* in 6. de Sent. Excom.

Poterit ne ergo Interdictus in Privato Oratorio Pœnitentiæ Sacramentum recipere? Affirmative. Nam cap. *Alma mater* de Sent. Excom. in 6. tempore interdicti, conceditur pœnitentia, iis etiam, *propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata eſt ſententia interdicti*. Hoc ſolum exigitur ab hiſce hominibus, ut prius, ſi nequeant ſatisfacere, idoneam *de ſatisfaciendo dent cautionem*, etiam, ſi opus ſit, juramento firmatam. Multo magis autem Interdicto ob trangreſſum Paſcale præceptum dari poſſe pœnitentiam exiſtimo. Etenim Pœnitentia eſt pars ſatisfactionis, quem ab Interdicto requirit Eccleſia: unde in noſtra Diæceſi non admittitur ad abſolutionem Interdicti, niſi qui prius Sacramentum ſuſceperit (extra tamen Eccleſiam) Pœnitentiæ. Quare ſi Interdictus ſe cetera impleturum ſpondeat, quæ ſui muneris ſunt, poterit accedere ad Pœnitentiam. Videatur Boſius de Trip. Jub. Priv. Sect. 4. Caſ. 12. §. 1.

Major difficultas eſſe poteſt circa uſum Euchariſtiæ. Etenim cap. *Alma mater* ſumptio Euchariſtiæ prohibetur Interdictis, præterquam in mortis articulo per modum viatici. Cum enim Interdicti tempore concedatur, ut in aliquibus feſtivitatibus divina publice celebrentur, & ſolemniter, ſubditur: *ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, altari nullatenus appropinquent*. Attamen Covar., Suarez, Boſſius, citatis locis, aliique innumeri ab iiſdem memorati, cenſent Euchariſtiam, & alia quælibet Sacramenta ſumi poſſe ab Interdicto, non ſolum in privato Oratorio, ſed etiam in Cœmeterio, & quocumque alio loco, qui non ſit Eccleſia proprie dicta. Hæc enim prohibentur non per ſe, ſed per conſequens, non directe, ſed ratione loci dumtaxat. Conſtat ex cap. *Is cui*, in quo ſic ſtatuitur: *is cui eſt Eccleſiæ interdictus ingreſſus; cum ſibi per conſequens cenſeatur in ipſa divinorum celebratio interdicta*. Celebratio ergo divinorum eſt vetita, quatenus eſt vetitus Eccleſiæ Ingreſſus: unde conſequitur, quod ſi alius ſit locus, qui ab interdicto poſſit ingredi, in eo licite poſſit Interdictus nedum participare, ſed etiam, ſi Sacerdos ſit celebrare. Præterea cum in eodem cap. dicatur *In ipſa In ea* apparet ſummum Pontificem ſemper loqui cum limitatione ad Eccleſiam. Neque aliter res ſe habet in cap. *Alma mater*. Nam ibi ſermo eſt de ſolemni celebratione divinorum in publica Eccleſia, cui permittuntur in quatuor feſtivitatibus aſſiſtere etiam Interdicti, dummodo non fiant participes ſacramentorum, & altari nullatenus appropinquent. Non ignoro, quandoque interdici delinquentem directe a participatione, & celebratione divinorum juxta cap. *Si Sententia*: & tunc in nullo loco poterit Interdictus recipere Euchariſtiæ Sacramentum. Sed cum ingreſſus in Eccleſiam dumtaxat prohibetur, ut in caſu noſtro, Sacramentorum participatio extra illam non interdicitur, ſicut jam declaravimus.

Reliquum eſt, ut videamus, utrum Interdictus, & quomodo poſſit Eccleſias viſitare. Duplex circa hujuſmodi rem habetur opinio. Plurimi ſentiunt, poſſe Interdictum, cum divina non celebrantur officia, ingredi Eccleſiam, & ibi privatas orationes fundere. Nam cap. *Is cui* aliiſque ad interdicti pœnam ſpectantibus, ingreſſus in Eccleſiam prohibetur ad celebrationem ſolum, & participationem divinorum, non

ad private orandum. Ita Cov. in cap. *Alma &c.* p. ſec. §. 1. n. 3. & cum eo innumeri alii. Sed Silveſter Verb. *Interdictum* cum plurimis aliis, quos refert, cenſet, neque ad privatas habendas orationes poſſe Interdictum Eccleſiam ingredi. Fundamentum hujus opinionis ſumitur præſertim ex cap. *Latorem* 33. quæſt. 2. ubi ſic de interdicto decernitur. *Per annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ ſtans, orans, & deprecans Deum, perſeveret*. Primam ſententiam Suarez Diſp. 35. de Cenſuris Sect. 4. n. 23. vocat communiorem, & in praxi ſecuram, ſecundam in rigore juris veram. Quæcumque admittatur ſententia, ſequitur poſſe Interdictum injuncta pietatis opera valide adimplere. Satis enim Pontificis menti facit ſi viſitans Baſilicas, in earum foribus oret, & Deum precetur. Ita Boſſius de Trip. Jub. Sect. 4. Cap. 19. cum plurimis, quos ipſe citat, & noviſſime Theodorus a Spiritu Sancto cap. 11. art. 1. Qui enim ſtat ad valvas Eccleſiæ in ea moraliter eſſe cenſetur: & ideo ad Eccleſiæ oſtium confugiens, eſto illam non ingrederetur, gauderet Eccleſiaſticæ immunitatis privilegio: & Miſſam audiret, qui ad fores Eccleſiæ ſtans, aſſiſteret Sacrificio. Boſſius addit praxim. Nam Romæ, dum viſitantur primo diluculo, quod fit a pluribus, ſeptem Eccleſiæ, invenitur ſæpius Eccleſia clauſa, & nihilominus, ſi orent ante fores Eccleſiæ cenſentur communiter obtinuiſſe Indulgentiam. Ex his elucet quid Calphurnio debeat Parochus reſpondere.

MENSE MARTIO.

CAS. I. ALbertus cum certo ſciat, ſe vocandum a Judice, ut in favorem Innocentis teſtimonium proferat, cumque privatas cum illo innocente jamdiu foveat ſimultates, ſe occultat ne teſtificari cogatur. Qu. utrum peccet contra juſtitiam, aut contra charitatem, aut contra utramque virtutem.

Reſp. Albertum peccare contra charitatem dubitari quidem poteſt. Quiſque enim charitatis lege obligatur proximo in magnis neceſſitatibus opem ferre, & injuſta damna ab illo propellere. Exemplum præſto eſt in Eleemoſyna, quam graviter indigenti tenetur, qui poteſt elargiri. Eſt autem & hoc genus quoddam, idemque præcipuum Eleemoſynæ. Quapropter, concludit Dominicus Soto lib. 5. quæſt. 7. Art. 1. non ſolum petitus a ſuo proximo, & rogatus obligatur, verum etſi minime fuerit requiſitus tenetur quiſque ſuum exhibere teſtimonium, ſi prodeſſe poſſit: ita enim nos admonet Pſaltes. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*: & Proverb. 18. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*. Multo magis autem peccat Albertus ſe occultando. ne cogatur teſtimonium proferre. Id enim facit in vindictam; cum ſupponatur privatas adverſus innocentem illum fovere ſimultates.

At peccat ne etiam contra juſtitiam? Reſp. etiamſi ſciat ſe a Judice vocandum, ut teſtificetur, non peccat contra juſtitiam. Nam, ut notant Leſſius lib. 2. cap. 30. Dub. 8. Bonacina, & alii nemo præcepto Superioris adſtringitur, niſi illi fuerit intimatum. Potius dubitari poteſt utrum peccet contra juſtitiam, ſi non ſolum noſcat ſe vocandum a Superiore, ſed ſciat ſe juſſum eſſe citari, & ſe occultet, ne Superioris præceptum ei intimetur. Videtur, enim Albertum declinare fraudulenter Superioris præceptum. Sua autem fraus non debet illi patrocinari.

At

At citati auctores graviſſime quidem peccare putant Albertum contra debitam Superiori obedientiam, ſed non contra juſtitiam: idemque ſentiunt etiamſi reipſa fuerit citatus, & arte aliqua, vel fraude declinet præcepti obſervantiam. Etenim citatio Superioris, inquiunt, non imponit citato obligationem juſtitiæ, ſed obedientiæ ad teſtandum; ſicut magiſtratus præcipiens alicui, ut ſuſcipiat curam pupilli, non imponit obligationem juſtitiæ, & qui recuſat curam ſuſcipere pupilli non dicitur injuſtus, ſed inobediens, & contumax contra Magiſtratum. Deinde, ut recte advertit Leſſius, obligatio, qua quis lege juſtitiæ tenetur in gratiam proximi aliquam functionem obire, non naſcitur præciſe ex præcepto Superioris, ſed ex acceptatione ejus, qui illam obit: hic enim acceptando officium, vel functionem, implicite promittit; & ita ſe ad illam obligat, & alteri jus tribuit ad illam exigendam. Nemo enim poteſt dare jus ad actiones liberas alterius, niſi qui illarum eſt dominus. Quare Albertus, in nulla hypoteſi tenetur ad reſtitutionem, quæ ſemper ſupponit peccatum contra juſtitiam. Hæc quæ communior eſt ſententia, probabilior etiam videtur.

CAS. II. Agnes deliquio corripitur præſente ſimplici Sacerdote, qui errore putans illam gravi, & periculoſo morbo laborare, cum revera levi ſolum incommodo fuerit correpta, illius excipit Sacramentalem Confeſſionem, eadamque abſolvit.

Qu. an valide.

Reſp. validam eſſe. Etenim juriſdictio ab Eccleſia conceſſa omnibus, & ſingulis Sacerdotibus abſolvendi conſtitutos in mortis periculo, ſe extendit non ſolum ad verum, & reale periculum, ſed etiam ad periculum rationabiliter putatum, & prudenter præſumptum. Idque probari non inepte poteſt. Nam ſi in vero ſolum mortis articulo præſto eſſet ſimplici Sacerdoti juriſdictio, anxius plerumque eſſe deberet an reale, an ſolum putatum adeſſet mortis periculum. Ipſi enim vel ſolertiſſimi Medici ſæpe ancipites ſunt, ſæpe etiam decipiuntur in judicando, an ſpecies dumtaxat ſit periculi, an illud reapſe exiſtat, præſertim in morbis mulierum, quæ in extremo agone interdum conſtitutæ videntur, & mox ita recipiunt ſe ſe, ut vix morbi veſtigia in illis remaneant. Jam vero quomodo ſe gerere debet Sacerdos ita animis pendens? An abſolutionem ſuſpendere? Sed hoc nonne eſſet periculo æternæ damnationis exponere infirmum? quod ſane a charitate omnino abhorret, & a maternis Eccleſiæ viſceribus, quæ filiorum ſuorum ſaluti conſultum omnibus rationibus eſſe vult. An abſolutionem conditionatam elargiri debet; nimirum, *ſi es in gravi periculo conſtitutus, te abſolvo*? Sed quandonam Eccleſia hoc abſolutionis genus aut uſurpavit, aut permiſſit? Plurimi utique Teologi, quos fuſe memorat Benedictus XIV. de Synod. Diœc. lib. 7. cap. 15. arbitrantur poſſe abſolutionem cum hac conditione impertiri *ſi es diſpoſitus*; iis nimirum, qui nulla dant Pœnitentiæ ſigna: ſed hæc conditio, *ſi gravi, & periculoſo morbo laboras* nunquam reperitur adhibita, nec ab ullo Theologo probata, immo fortaſſe nec memorata.

Aliud accedit validum argumentum ab extremæ Unctionis inſtitutione deſumptum. Certum eſt, atque *Eccleſiæ* latinæ, ut ait Benedictus XIV. de Syn. l. 8. cap. 5. *perpetua & conſtans traditio fuit Extremam Unctionem ſolis infirmis eſſe exibendam, & quidem tali morbo laborantibus unde peritorum judicio mors ſecutura prudenter timeatur*. Et profecto non eſſe adminiſtrandum hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus mor-

te

te timetur, patet evidenter ex celeberrimo Eugenii IV. decreto, nec non ex Tridentino Seſſ. 14. cap. 3., immo ex ipſis Jacobi Apoſtoli, quibus utitur, vocabulis. Nam, ut notat Nicolaus Serarius Op. ſc. de Extrem. Unct. iis vocabulis nominat infirmum Sacro Oleo inungendum, quæ ſignificant infirmum morti proximum. Non debet ergo hoc Sacramentum conferri niſi infirmo, in mortis periculo conſtituto; idque non ſolum ex præcepto, ſed ut cum Suarez alii arbitrantur, ex neceſſitate Sacramenti. At in quo periculo eſſe debet infirmus? An in periculo certo, & evidenti: an vero ſufficiet ut in periculo reperiatur præſumpto? Ita eſt ſane. Nam impoſſibile eſt perſæpe, judicare, utrum verum, an apparens ſit periculum. Hæc eſt, ut patet ex citato ſuperius textu, Benedicti XIV. doctrina. Non enim dicit iis dandam extremam unctionem, de quorum periculo evidenter conſtat, ſed prudenter judicio peritorum timetur. Dummodo ergo ſit timor prudens, poteſt hoc Sacramentum infirmis adminiſtrari. Hanc doctrinam hauſiſſe videtur Sapientiſſimus Pontifex a Concilio Tridentino inquiente *hanc unctionem infirmis adhibendam; illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt ut in exitu vitæ conſtituti videantur*. Non dicit *conſtituti ſint, ſed videantur. Quia nimirum*, ait Paſqualigus de Priv. in Art. mortis quæſt. 385. §. 4. *reſpiciendum eſt ad apparentiam periculi mortis: non autem ad realitatem*. Ex his validiſſimum hoc reſultat argumentum. Si ad valide, & licite conferendum hoc Sacramentum, in quo ex præcepto, & fortaſſe ex neceſſitate Sacramenti gravis riquiritur infirmitas, ſatis eſt periculum apparens; & præſumptum; multo magis prudenter judicatus, licet non realis mortis articulus juriſdictionem ſuppeditabit ſimplici Sacedoti ad dandam pœnitentiam Infirmo, de cujus morte timetur, cum hoc ſit Sacramentum neceſſitatis. Valide ergo Agnetem deliquio correptam abſolvet ſimplex Sacerdos.

Neque objicias debere ſaltem ſimplicem Sacerdotem, ut ad abſolutionem deveniat, prudenter judicare infirmam in extremo mortis articulo, & non ſufficere, ut illam arbitretur in gravi periculo. Etenim in articulo ſolum, & non in periculo mortis omnibus datur juriſdictio. Non inquam hoc dicas. Nam Sacri Canones revera non diſtinguunt articulum a periculo mortis, & tam in articulo quam in periculo tribuunt omnibus Sacerdotibus juriſdictionem abſolvendi etiam a reſervatis, ut ſuperior anno probatum eſt Menſis Octobris Caſ. 3.

CAS. III. Hieronymus Sacerdos fingens ſe Confeſſarium, die ſolemni ſedit in Confeſſionali: cui cum plurimi bona fide accedant, ut confiteantur, inter ceteros illius pedibus ſe proſternit Vitalis, qui illi Sacræ Pœnitentiariæ litteras offert, ut ab eo diſpenſetur in voto caſtitatis. Hanc diſpenſationem exequitur Hieronymus.

Qu. utrum error communis ſuffragetur Vitali, bona fide accedenti, ad validitatem diſpenſationis.

Reſp. Ut propoſita Quæſtio diluatur, prius quærendum eſt, utrum Hieronymus fictus Confeſſarius roboretur titulo colorato, an ſine colorato titulo ſe ſe intruſerit in officium Confeſſarii. Si Hieronymus, qui communi errore putatur Confeſſarius, titulo colorato fulcitur (eſt autem titulus coloratus ille, quem Sacerdos reapſe obtinuit, a Superiore legitimo; ſed vel nulliter obtinuit, quia erat incapax ob aliquod impedimentum canonicum, vel amiſit ob ſuperveniens impedimentum) omnia ejus geſta, quæ vim haberent, ſi juriſdictione potiretur, valent

etiam

etiam ſi auctoritate ſpoliatus, eam exerceat titulo colorato, qui communi errore putetur legitimus, & verus. Hæc univerſalis eſt doctrina, fundata in *l. Barbarius* ff. de Off. Prætor. quæ ad Eccleſiam translata eſt, cum ex communi Canoniſtarum, & Theologorum conſenſu, tum ex Can. *Infirmis* Cauſ. 3. quæſt. 7. *Lex autem civilis canonizata*, *ſeu inſerta Canoni dicitur lex Canonica* ex Fagnano in Cap. *Nulli*, *de rebus Eccleſiæ non alienandis* n. 45. Hanc legem admiſit Eccleſia ad tranquilliorem gubernationem animarum, & ad multa evitanda incomoda, quæ ex invaliditate hujuſmodi actuum conſequerentur. Hieronymus ergo concurrente titulo colorato, & errore communi valide, & abſolvit, & exequitur diſpenſationem, niſi aliud officiat impedimentum; ſicut eſſet V. G. ſi litteræ Apoſtolicæ conceſſæ ſint Doctori in Sacra Theologia, vel jure Canonico, ipſe autem non ſit Lauræa inſignitus.

At deficiente titulo colorato, & concurrente ſolum errore communi, valida ne ſunt acta in foro conſcientiæ? Quidam affirmant plurimi negant, ut videre eſt apud Sanchez de Matr. lib. 3. diſp. 22. quæſt. 6., & 7. qui utriuſque ſententiæ Patronos nominat. Nonnulli videlicet affirmant errorem communem ſine titulo colorato, cum poſſeſſione officii, ſeu putatæ auctoritatis, conferre juriſdictionem, & omnia geſta Confeſſarii intruſi ſine legitimo titulo convalidare. Si enim, inquiunt, geſta hæc eſſent viribus, & effectu vacua ea omnia mala in perniciem animarum conſequerentur, quæ provenirent, ſi irrita eſſent geſta exercentis juriſdictionem cum titulo colorato. Sed alii communius cenſent communem errorem, ſi titulus deſit coloratus, non tribuere juriſdictionem, nec actus validos efficere. Nam nulla lege docemur geſta hæc robur habere: immo potius lex declarat oppoſitum. Ut enim civiles leges omittamus, cap. *Infamis* dicitur: *ſervus dum putaretur liber*, *ex delegatione ſententiam dedit*: ubi ſententia ſervi approbatur, non ſolum quia errore communi putabatur liber, ſed quia a legitimo Superiore fuit delegatus.

Ratio diſparitatis eſt, ut docet Card. Lugo, de Juſt., & Jur. Tom. 2. Diſp. 37. Sect. 3. n. 23. quod in primo caſu Eccleſia, quæ proponit populo illum miniſtrum, eo ipſo tacite hortatur populum ad illum recipendum: idcirco Eccleſia ne cooperetur deceptioni, & detrimento populi, ſupplet defectus occultos, quantum ſufficit, ut populus damnum non patiatur ex vitio latenti. Cum autem aliquis ex ſua malitia intruſus eſt ſine titulo collato a Superiore, tunc Eccleſia nullo modo illum proponit populo, nec cooperatur detrimento, ſed ipſe intruſus eſt cauſſa adæquata damni. Non ergo mirum ſi in hoc caſu Eccleſia non ſuppleat defectus. Ex his conſequitur juxta probabiliorem, & communiorem ſententiam. Hieronymum, etiamſi eſſet in poſſeſſione officii Confeſſarii, invalide exequi diſpenſationem.

MENSE APRILI.

CAS. I. CUM relinquatur hoc anno Indulgentia; quam conceſſit Benedictus XIII. *cunctis fidelibus ſalutationem Angelicam*, *ſeu alias preces de tempore*, *mane*, *aut meridie*, *ſeu veſpere*, *ad campanæ pulſum*, *degenu*, *vel juxta dierum*, *ac temporum rationem*, *ſtando*, *recitantibus*, a Gregorio Theologo interrogati fuerunt ejus diſcipuli, utrum, qui tempore Paſchali recitat ſtatutas preces de genu, non autem ſtando, lucrari poſſit Indulgentiam.

Qu. ſolutio hujus quæſiti.

Reſp.

Reſp. Ille qui ſtatutas preces recitaret tempore Paſchali de genu, non lucraretur Indulgentiam, Ratio eſt, quia non ſe conformaret Eccleſiæ ritui, a primis uſque ſæculis introducto. Nam etiam ante Concilium Nicænum I. invaluerat hic ritus recitandi diebus Dominicis aliiſque anni temporibus preces ſtando: ſed cum non eſſet adhuc univerſalis, eumdem ad totam Eccleſiam extendit laudatum Concilium, ſic decernendo can. 29. *Quoniam ſunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes, ut omnia in univerſis locis conſtanter obſerventur, placuit Sancto Concilio a Paſchate uſque ad octavas Pentecoſtes ſtantes Domino vota perſolvere, vel Deo orationes effundere*. Hic autem ritus non invenitur neque ab ullo poſteriori Concilio, neque ab aliquo Romano Pontifice immutatus: immo confirmatus fuit a Benedicto XIV. Ut enim ritus diſſonantiam tolleret: confirmatis prius Indulgentiis a Benedicto XIII. conceſſis, recitantibus ad ſonum Campanæ ſtatutas preces. juſſit Orationes illas a Veſperis cujuslibet Sabbati uſque ad totam Dominicam ſequentem a ſtantibus recitari: ac inſuper durante Tempore Paſchali Antiphonam *Regina Cæli* cum verſiculo, & Oratione correſpondente a ſtantibus dicendam decrevit: ut habetur ex Notif. Card. Guadagni ejuſdem Pontif. in Urbe Vicarii, Romæ publicata die 20. April. 1742. Videatur Theodorus a Spiritu Sancto Cap. 2. §. 5.

CAS. II. Cum Lucretius Parochus nactus ſit occaſionem alienandi cum magna utilitate pretioſum mobile Eccleſiæ, ſecumque reputet, hac relicta occaſione, non poſſe aliam tam opportunam ſibi offerri, reipſa vendit dictum mobile: eoque diſtracto, facultatem illud alienandi implorat a Pontifice, quam conſequitur.

Qu. I. an pœnas alienantium bona Eccleſiæ incurrerit. II. an beneplacitum Apoſtolicum ſit ſubreptitium, & nullum.

Reſp. Poſſe dictum Parochum excuſari a pœnis latis contra alienantes bona Eccleſiæ. Videtur enim non animi perfidia, non auſu temerario alienaſſe prætioſum mobile, ſed errore potius, & ignorantia, putans in illa circumſtantia ſibi licitam fuiſſe illam alienationem. Atque ad hujus reſolutionis declarationem animadvertendum eſt cum Carolo Theſauro P. 1. cap. 15. quod cum lex pœnas ſtatuit contra agentes aliquid *ſcienter*, *audacter*, *ſeu ex præſumptione*, illæ non incurruntur ab ignorantibus, etiamſi ignorantia ſit craſſa, & ſupina, non tamen affectata, & craſſiſſima. Audacia enim, auſu temerario, præſumptione quid exprimitur? *Illud verbum præſumpſerit* ait laudatus auctor P. 2. cap. 4. §. 2. *requirit plenam advertentiam*, *ſeu voluntarium perfectum*, *ſeu dolum malum*. Itaque ſola imperfectio actus excludens tale voluntarium excuſabit a cenſura. Ita etiam Suarez, Sanchez, Fagnanus, qui in cap. *Omnis de Pœnit. & Remiſſ.* docet verbum *præſumpſerit* includere eos tantum, qui dolo & temeritate, non autem eos, qui per ſimplicitatem, & aliqua probabili ratione ducti, legem frangunt. Quid eſt autem dolus malus? *Eſt*, inquit Cl. Otto Diſſert. de Dolo malo c. 2. *quævis calliditas*, *fallacia*, *machinatio*, *ad circumveniendum fallendum*, *decipiendum alterum adhibita*. Cum igitur pœna infligatur præſumentibus, & dolo malo agentibus, ea non incurritur niſi ab iis, qui plena advertentia, plenoque voluntatis propoſita legem violare audent. Jam vero pœnæ latæ in Extravag. *Ambitioſæ*, afficiunt ſolum præſumentes, refractarios, doloſos. Igitur prædictus Parochus, ſi ſimplicitate potius & ignorantia, quam animi perfidia, & temeritate vendidit mobile prætioſum,

non

non eſt judicandus pœnis obnoxius. Videtur autem Parochum alienaſſe hoc mobile, non animo fraudulento, & legi adverſo, ſed errore potius putando in illo caſu; in quo de magna Eccleſiæ utilitate agebatur, habere locum *Epyckiam*. Neque enim credibile eſt, ſi noviſſet ſe agere contra legem, voluiſſe ſine ulla privata utilitate, ſino ullo proprio bono, hoc crimine ſe inquinare, & graviſſimis pœnis ſe ſe ſubjicere.

Queris an breve Apoſtolicum impetratum ſuper alinatione facienda, quæ jam facta eſt, ipſa nempe re tradita emptori, dicendum ſit ſubretitium, & nullum? Reſp. Affirmative, ut cum Bald. in leg. *Hæc Damnoſa* num. 1., & Rota part. 1. noviſſ. deciſ. 435. num. 1. decet Carolus Theſaurus part. 2. cap. 2. Nam impetrans Apoſtolicum breve, id ſilentio premit, ſuper quo verſari debebat gratia, quæ in noſtro caſu, eſt ſanatio rei geſtæ adverſus jura, non relaxatio juris ad gerendum.

CAS. III. Antonius filius Cauponis multum ſua induſtria, ac labore lucratur Patri: a quo tamen nullam obtinuit mercedem. Putans autem Antonius ſibi; præter alimenta, deberi ſalarium, neque illud a Patre valens impetrare utitur compenſatione,

Qu. an licite.

Reſp. Antonium exigendo ſalarium, parum videri gratum erga Patrem. At eſt ne etiam injuſtus? Plures Doctores juſtitiæ reum dicunt filium exigentem a Patre mercedem ob induſtriam laboremque ſuum. Nam neque jura, neque conſuetudo permittunt ut ex bonis paternis, ex quibus lucratur, filius ſalarium, vel partem lucri exigat, ut docet Gloſſa in l. *cum oportet* Cod. *de bonis quæ liberis &c.* Syl. Petrus Navar. Diez. Medina &c. Jura, inquam, id non permittunt. Nam indiſtincte ajunt, quæ ex re, ſeu ſubſtantia Patris proveniunt, ipſi Patri aquiri: Inſt. *per quas perſonas nobis aquiritur* §. 1. & l. *cum oportet*. Neque ipſa conſuetudo id permittit. Vix enim unus reperietur filius qui ob hujuſmodi paternorum bonorum adminiſtrationem ſalarium a Patre petere audeat: & nullus fortaſſe invenietur, qui ſi petat non illico a Patre repellatur, eo quod ex gratitudine erga Patrem, dum in ejus domo degit, ad obſequii opera, obligatus eſſe videatur. Juxta hanc ſententiam nequit filius ſe compenſare.

Hæc tamen ſententia non omnibus placet, & contrarium aperte docent Martinus Nav. cap. 17. Angelus V. Peculium, aliique, ut videre eſt apud Layman lib. 3. Tract. 3. cap. 8. n. 6. Nam bona, quæ filius induſtria ſua, & labore aquirit ex ſubſtantia patris ſunt quid mixtum: hoc eſt partim inter profectitia bona, partim inter adventitia numeranda eſſe videntur. Hinc eſt, ut filius partem lucri ſibi poſſit arrogare, eam ſaltem ob cauſſam quod ejus labor non ſit ſolum mechanicus, qualis eſt ſervi quem fortaſſe poſſet exigere pater, ſed voluntariam comprendit etiam induſtriam, qua notabiliter auget patrimonium paternum. Videtur enim hoc opus eſſe ſupra debitum Filii. Jura autem de bonis, quæ ſimpliciter profectitia ſint loquuntur, atque hæc ad patrem ſpectare ajunt, atque a filio patri aquiri. Hinc colligunt filium poſſe, detractis tamen expenſis, quas pater facit in illo alendo, pro ſuo labore, & induſtria, tantumdem ſaltem exigere, quantum daretur extraneo. Tria tamen ſunt neceſſaria. Primo, ut filius proteſtetur ſe velle lucrari; qui enim negotia alterius, gerit, ſi mercedem velit, id debet aperte dicere. Secundo ut conſtet parentem non acturum per ſe hanc negotiationem, neque alium fore ut inveniat, qui gratis, vel minori

nori mercede ejus negotia gerat. Tertio, ut uſum fructum iſtius lucri non ſibi vindicet antem mortem patris, vel ſuam emancipationem. Nam ut notum eſt, uſus fructus bonorum adventitiorum ad patrem pertinet, quouſque filius eſt ſub patria poteſtate. Ita Leſſius lib. 2. cap. 12. dub. 13. Juxta hanc ſententiam patet utrum, quo modo, quo tempore poſſit filius ſe compenſare.

MENSE MAJO.

CAS. I. CÆcilia nubere volens Menſe Majo, cum omnem ſuam pecuniam mutuam dederit Alexandro cum pacto illam reſtituendi Menſe Decembri ſolum, cogit ipſum Alexandrum ad reſtituendum Menſe Majo. Qu. an jure id faciat.

Reſp. Id jure facere. Quamvis enim mutuatarius, non teneatur, generaliter loquendo, niſi ſtatuto tempore reſtituere, tenetur tamen ſi mutuans ſit in gravi neceſſitate. Ita Silveſter, Leſſius, aliique &c. Jam vero Cæciliam eſſe in gravi neceſſitate, patet omnino. Nam ſi non poſſet dotem conſtituere, vel remaneret innupta, vel fortaſſe non poſſet alias decenter nubere. Poſita hac neceſſitate tenetur debitor reſtituere. Atque graviſſimæ id ſuadent rationes. I. Quia in pari neceſſitate melior eſt condictio creditoris, præſertim cum contractus mutui ſit in ſolam utilitatem accipientis. Unde ſicut in locato, & conducto; quis tenetur reſtituere ante tempus conventione ſtatutum, ſi res locata, aut conducta uſibus domini inopinato fiat neceſſaria, ut Sylvius, Molina &c. docet, ita etiam in propoſito caſu. Utrobique enim militat eadem ratio. Et quamvis in mutuo dominium rei mutuatæ ſit penes mutuatarium; quod non evenit in locato, & conducto; attamen illud verum eſt etiam, creditorem, ſi non habet amplius Dominium in rem individuam mutuo datam, habet tamen in equivalentem. II. Quia in fortuitis caſibus nemo cenſetur velle ſe obligare. Et certe ſi mulier prævidiſſet, fore ut occaſio optima ineundi Matrimonii, ſibi offerenda eſſet, vel non dediſſet mutuo pecuniam, vel pacto inito, ut tempore Matrimonii reſtitueretur. III. Quia dos ſpeciali potitur privilegio, ut demonſtrat Angelus Boſſius cap. 8. de Dote n. 181. qui putat, quod ſicut Fiſcus, urgente publica neceſſitate, poteſt exigere ante diem a ſuis debitoribus, eoſque compellere; ita mulier in favorem Matrimonii poſſit repetere, ante tempus conventum, ſuam pecuniam, ut illam in dotem viro ſubminiſtret.

At ſi matuatarius non poſſet ſine maximo ſuo incommodo reſtituere? Tunc conſiderandum eſſet, utrum in ſua ſpecie par ſit incommodum mulieris, ſi ob defectum dotis abſtinere cogatur a nuptiis, ac in ſuo genere incommodum mutuatarii, ſi ſtatim reſtituat. Si par eſt utrobique neceſſitas, potior eſt conditio creditoris, adeoque reſtituere deberet mutuatarius, ut probabilius cenſent Riccardus, Sotus, Paludanus apud Silveſtrum V. Reſtitutio q. 5., vel ſaltem deberet ſe obligare ad ſolvendum inter uſurium. Eſt enim tunc juſta ratio lucrandi ex mutuo. Nam ſi maritus ex pecunia in dotem ſtatuta, non lucraretur, maximum ſubiret damnum. Sbſtineret enim onera Matrimonii abſque congruis redditibus.

CAS. II. Agatha hæres omnium bonorum Patris ſui, nubens Oneſimo, promiſit ſimpliciter, & in genere dotem, nulla expreſſa certa quantitate

tate pecuniæ, vel qualitate rei. Qu. an præſumatur omnia bona ſua dediſſe in dotem: vel potius judicandum ſit nihil dediſſe.

Reſp. Aghata, quæ nubendo promiſit ſimpliciter, & in genere dotem, non debet intelligi omnia ſua bona promiſiſſe. Id tamquam certum, & ab omnibus Doctoribus admiſſum, docet Angelus Boſsius de Dote cap. 8. n. 113. Et revera quid promiſit marito, niſi dotem conſtituere? Quid eſt autem conſtituere dotem, niſi ex propriis bonis aliquam portionem detrahere, ut viro tradatur in dotem. Hic certe obvius, & naturalis eſt hujus promiſsionis ſenſus. Neque eſt credibile mulierem velle ſe omni bono ſpoliare, niſi aperte ſignificet: neque id ſupponi poteſt, niſi expreſsis verbis dicat.

Dubitandum potius videtur, utrum valeat illa promiſſio, & teneatur aliquam Dotem viro conſtituere; an vero cenſendum ſit nihil omnino promiſiſſe mulierem. Hanc promiſſionem nihil valere plurimi Doctores docent apud Boſſium cit. cap. n. 219. quia juxta leges, quas citat idem Boſſius, promiſſio incerta, ratione quantitatis, inutilis eſt, & ſe habet tamquam non facta. Verum idem Boſſius cum plurimis aliis, rectius contrarium ſentiunt. Quamvis enim qualitatem, & quantitatem rei, non expreſſerit mulier, revera tamen pollicita eſt dotem, eamque promiſſionem acceptavit Maritus tamquam veram, & obligatoriam. Porro Mulier tenetur promiſſi ſtare, præſertim in re tanti momenti. Nam ſine dote maxime gravaretur Maritus, abſque illa ſuſtinendo onera matrimonii, quod profecto eſt contra equitatem. Idque adeo verum eſt, ut permulti arbitrentur, quod ſi Mulier dives, nedum quantitate non conſtituta, ſed nec facta mentione dotis, nupta ſit, teneatur partem patrimonii ſui aſſignare in dotem, quia non eſt æquum, ut Maritus, niſi expreſſe conſentiens, privetur dote, ad quam nubendo tacite ſe obligaſſe, aut obligare debuiſſe Mulierem autumant iidem Doctores. Videatur Sanchez lib. 1. quæſt. 60.

At promiſſio, inquis, incerta, juxta regulas juris, inutilis eſt. Huic difficultati egregie reſpondet Boſſius. Talis promiſſio non eſt, proprie loquendo, incerta, cum poſſit certificari ex facultatibus Mulieris promittentis, & dignitate Mariti, cui Dos promiſſa eſt. Nam promiſſio dotis præſumitur facta juxta quantitatem patrimonii ipſius promittentis, & ſecundum qualitatem perſonæ cui promittitur: & ſic arbitrio boni viri, ſeu judicis poteſt Dos certificari, & taxari, habito illo reſpectu ad patrimonium promittentis, & dignitatem Mariti, cui Dos illa, non adjecta certa quantitate, a Muliere promiſſa eſt.

CAS. III. Theodorus Clericus, & Patritius filius familias, benevolentia conjuncti, ille ſine Epiſcopi, hic ſine Patris licentia Romam ſe conferunt, non animo acquirendi Indulgentiam Plenariam, immo contemnentes Jubilęi gratiam, ſed ſolatii ſolum, & voluptatis cauſſa. Cum autem Romæ aliquamdiu permanſerint, de Jubilęo lucrando cogitant, & ſtatutas pietatis exercitationes ſerio peragunt. Qu. I. an uterque diſcedendo ſine licentia graviter peccaverit. II. utrum non obſtante eorum independentia, & ſine à Sanctitate Indulgentiæ alieno, ipſam conſequi valeant.

Reſp. Theodorum non poſſe diſcedere ſine licentia Epiſcopi, ſaltem ſi alicui Eccleſiæ ſit adſcriptus. Id enim Clericis prohibetur cap. *non oportet* de Conſecrat. diſt. 5. idemque docet Abbas in cap. *uni de Cler. peregr.* Cujus prohibitionis ea eſt ratio, quia cum Clerici ſint addicti

 mini-

miniſterio Altaris, & celebrationi divinorum officiorum ; ne divinus cultus diminueretur, Eccleſię debita ſervitute fraudarentur, & fideles ob penuriam ſacrorum Miniſtrorum detrimentum paterentur; neceſſarium fuit prohibere Clericis, ne propria tantum voluntate abſque licentia Epiſcopi peregrinationem ſuſciperent . Hinc Benedictus XIV. Epiſtola Encyclica de Preparatione ad annum univerſalis Jubilæi exhortans Sacerdotes, & de Clero reliquos, ut Romam, lucrandi gratia tam ingentis theſauri, ſe conferant addit! *modo, ut par eſt , dimiſſoriales Epiſcoporum litteras ſecum ferant , non enim a nobis Lex iſta tunc primum indicitur , cujus jam tum a vetuſtis Eccleſiæ ſæculis apertiſſima occurrit mentio : ut patet ex Canone* 41. *&* 42. *Concilii Laodiceni anni* 372. *pœnes Harduinum Tom.* 1. *pag.* 789. *&c.* Confirmari poteſt ex Trident. Seſſ. 23. cap. 16. ubi nullum ordinari debere ſtatuitur, niſi judicio Epiſcopi ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, & niſi adſcribatur illi Eccleſiæ, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur. Cum autem nullus reapſe promoveatur hac ætate, niſi adſcribatur ſimul alicui Eccleſiæ, ſequitur non poſſe Clericum inconſulto Epiſcopo peregrinari, ne Eccleſia ipſa , debita Clerici ſervitute privetur.

Idem eſto judicium de Patritio filioſfamilias. Diſcedens enim ſine Patris licentia, a debito erga Patrem obſequio, & ſubjectione recedit, adeoque graviter peccat. Hinc laudata Epiſtola Benedictus XIV. ſic conſcientiarum moderatores, & conſiliarios alloquitur. „ ne... facile hal-„ lucinentur , ea noſſe , ac præ oculis habere debent, quæ hiſce in „ caſibus Theologi, ac præ ceteris Theophilus Raynaudus Tom. 15. „ ſuorum Operum in Tractatu , qui inſcribitur. „ *Heteroclita ſpiritualia*, ſedulo examinanda proponunt *Peregrinatio*, ita Raynaudus *eſt opus ſupererogationis*, *& pertinet ad cultum voluntarium , quem par non eſt officere actibus virtutis ex obligatione exercendis*. Multo magis id dicendum de Patritio, qui non Religionis, ſed ſolatii cauſſa diſcedit, & Romam ſe confert.

At poſſunt ne Indulgentiam lucrari, ſi mutato animo , cum Romæ degunt, viſitationem, & reliqua opera a ſummo Pontifice injuncta, præſtent? Reſp. affirmative, dummodo ipſos pœniteat inobedientiæ, quæque ad conſecutionem Jubilęi impoſuit Papa, exequantur . Indulgentia enim conceditur vere contritis, & confeſſis , qui Eccleſias viſitaverint, & alia impleverint omnia, quę Pontifex , injunxit . Ita cum Benzonio, Fabrino , Lavorio , aliiſque Boſſius de Trip. Jub. Privil. Sect. 4. Caſ. 22. §. 4. n. 39.

MENSE JUNIO.

CAS. I. CUM Camillus nullo modo queat obtinere centum aureos ſibi debitos a Paterniano, utitur compenſatione , & clam ſurripit gemmam pretioſam. Mortuo Paterniano , cum dubitetur aliqua ejus bona fuiſſe occultata, præcipitur ſub pena excommunicationis , ut quicumque retinet defuncti Paterniani bona manifeſtet , & reſtituat. Qu. an poſita hac cenſura teneatur Camillus revelare , ac reſtituere.

Reſp. non teneri duommodo compenſatio ſit vera, & juſta. Etenim per hujuſmodi compenſationem , gemme illa deſiit eſſe Paterniani, & in

do-

dominium Camilli tranſit. Porro Epiſcopus ſub pœna excommunicationis jubet, ut manifeſtentur, & reſtituantur bona, quæ ad hæreditatem Paternianí pertinent, non autem, quæ ad illam amplius non ſpectant. Cum igitur gemma illa non ſit inter defuncti Paterniani bona, Camillus non tenetur illam in lucem proferre, & reſtituere. Multo minus tenetur, ſi prænoſcat ſe non poſſe probare ſuum creditum. Nam manifeſtando ſuam gemmem, & reus furti crederetur, & amitteret, quod ſuum eſt: unde, & ſubſtantiam, & famam in diſcrimen adduceret: ad quod profecto non obligatur innocens. Ita Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 2. Sylveſter V. furtum quæſt. 15. Navarrus, Joannes Conradus &c.

At ſi Epiſcopus ſciens olim Paternianum habuiſſe illam gemmam, in ſuis litteris excommunicatoriis eam expreſſe nominet, jubeatque reſtitui, etiamſi recompenſationis titulo ab aliquo retineatur, quid dicendum? Dicendum eſſet hanc ſententiam continere intolerabilem errore, & in foro conſcientiæ nihil valere. Ita Sylveſter laudato loco. Sententia enim excommunicationis, ut præ ceteris oſtendit idem Sotus eadem Diſt. ferri nequit, niſi ob grave delictum. Jam vero quodnam crimen eſt, ſi quis rem ſuam nolit revelare, ſi neque illam periculo, neque ſeipſum dedecori exponere? Vel dicendum, cum eodem Sylveſtro, litteras facientes mentionem etiam de recompenſatione, eſſe intelligendas de recompenſatione injuſta, & illicita, aut quia nimia fuit, aut quia qui compenſatione uſus eſt, non erat certus de ſuo credito, aut in aliis hujuſmodi caſibus, in quibus ſententia ligat. Si autem conſtet judicem intelligere etiam in caſu juſtæ compenſationis, ejus ſententia continet intolerabilem errorem.

Dixi: dummodo vera ſit compenſatio. Supponamus enim valorem gemmæ ſuperare quantitatem crediti: hæc retentio tunc videretur habere potius rationem pignoris, quam juſtæ, & veræ compenſationis. In hoc autem caſu deberet Camillus reſtituere gemmam, cujus non eſt factus dominus. Attamen ſi reſtituendo, aut periculo infamiæ ſe exponeret, aut non potens probare ſuum creditum, prænoſceret ſe re ſua fraudandum, poſſet vendere gemmam juſto prætio; quodque, ſemetipſo ſatisfacto, ſupereſt, reſtituere, vel alia ratione hæredes Paterniani compenſare.

CAS. II. Thecla magna cum ſollicitudine aſſiſtit Patri infirmo, qui raptus pulchritudine filiæ eam frequenter ad malum ſollicitat.

Qu. an Thecla teneatur Patrem deſerere.

Reſp. Si nullum alium habeat Pater, a quo in infirmitate ſervitutem, ſubſidiumque ſperare poſſit, vel ſi hic diſceſſus a Patre futurus ſit ſcandalorum occaſio, Thecla non debet Patrem deſerere. Illud enim vetat pietas erga Patrem, hoc charitas erga proximum. Ita communiter.

Si vero hæc incommoda non ſint pertimeſcenda, Thecla debet patrem relinquere, præſertim ſi ipſa ſollicitationi ſoleat aſſentiri, vel ſe in periculo aſſenſus videat conſtitutam. Tenetur enim propriæ ſaluti conſulere, quod nulla alia ratione poteſt perficere, niſi a Patre ſe ipſam ſeparando. Neque amor erga Patrem, illuſque lacrymæ ab hac ſeparatione debent illam retardare. Nam, Chriſtus ſic declarat: *qui amat Patrem aut Matrem plusqua me non eſt me dignus* Math. 10. *Si quis venit ad me & non odit Patrem ſuum & Matrem.... adhuc autem &* ani-

animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. 19. Alia bis ſimilia habemus in ſacris litteris, quibus propoſita quæſtio enucleatur, & ſolvitur. Ita Joannes Baptiſta Corradus, Caſ. 397. cum multis aliis, immo cum omnibus, qui Evangelium potius, quam infirmum rationis lumen ſequuntur.

Immo quamvis ſollicitatio non ſit Theclæ occaſio ſpiritualis ruinæ, attamen Patrem debet deſerere, ne Pater ipſe in perpetuo peccandi periculo verſetur. Si enim, ut docet D. Thomas, 2. 2. q. 43. art. 7. ſpiritualia ipſa opera interdum ſunt prætermittenda, dummodo non deſeratur *veritas vitæ*, *doctrinæ*, *&* *juſtitiæ*, cum ſine ſcandali occaſione fieri nequeunt; multo magis charitas, quæ potior erga patrem eſſe debet, exiget a filia, ut ſuo diſceſſu peccandi periculum proximum ab eodem Patre amoveat, ſi ipſa intelligat nullo alio pacto poſſe ſaluti Patris conſulere.

CAS. III. Victorius hoc votum emiſit. Si Deus effecerit, ut in uxorem ducam Flaminiam, honeſtiſſimam egregiiſque dotibus ornatam virginem; & ſi uſquedum eam accipiam, ſervavero caſtitatem; promitto me oblaturum Beatę Virgini gemmam valoris centum aureorum. Ne autem cogatur adimplere votum, recuſat Flaminiam ſibi ultro oblatam, & data opera fornicatur.

Qu. an teneatur nihilhominus votum implere.

Reſp. duplicem conditionem poſuit vovens. Prima eſt, ſi Deus effecerit, ut ducam Flaminiam. Jam vero hæc conditio, ut luce clarius patet, non eſt ex illis, quam eventus ex ſola voventis pendeat voluntate, & quarum propterea poſitionem proprię libertati reſervet vovens. Has enim conditiones poſſe voventem impedire ne eveniant, omnibus compertum eſt. Vovet enim ſerem talem facturum, ſi ponatur conditio, non vovet autem ipſam poſitionem conditionis, ſed eam ſuo reſervat arbitrio; quando nimirum conditio eſt rei per ſe indifferentis, aut alias non obligatoriæ, quæ in ſe ſpectata poſſit ſine culpa aut fieri, aut omitti.

Jam vero in propoſito caſu conditionis eventus pendet a voluntate Dei, cui ſe accomodare intendit vovens. Igitur ſi Flaminia ſibi ultro offeratur, eamque renuat Victorius ne voto obligetur voti lege nihilominus adſtringitur. Scio id negare Salmanticenſes Tract. 17. cap. 1. punct. 6. §. 6. num. 173. citantes pro eadem ſententia Suarez, Palaum, Dianam, Tamburinum, Leandrum, & alios, hoc potiſſimum confiſi argumento: vovens non tenetur ad votum implendum, niſi poſita conditione. Jam vero conditio, licet ex voventis culpa, revera poſita non eſt. Igitur non obligatur vovens. At Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 23. innumerique alii qui ab ipſo citantur contrarium ſentiunt. Hanc ſententiam colligunt ex Regula: *Cum non ſtat per eum 66. de regul. Jur.* in 6. ex Regul. *In Jure civili* 122. ff. *de regul. Juris*, & clarius ex lege *In executione* 85. §. Finali ff. *de verborum ſignificationibus*: ubi hæc habentur. *Quicumque ſub conditione obligatus, curaverit, ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur*. Quid apertius dici poteſt? Salmanticenſes nihilominus reponunt id verum eſſe in contractibus, & promiſſionibus humanis; quia jura ſic decernunt, non autem in voto conditionato. At non recte loquuntur. Etenim, ut obſervat Concina lib. 4. in Decal. Diſſ. 2. cap. 8. n. 11. quæſt. 8. quando jura abſolute declarant, contractus omnes in data hypoteſi valere, non

ex

ex arbitrio id decernunt, ſed quia ratio ſic poſtulat: & poſitiva jura in ſimilibus caſibus jus naturale intrepretantur, & declarant: ſolum cum aliquem peculiarem contractum in tali genere excipiunt, juri naturali aliquid addunt ob peculiares fines.

Atque ut ad propoſitam quæſtionem revertamur, dum quis vovet ſub conditione ab alterius voluntate pendente, profecto ſe contingenti conditionis eventui accomodare intendit, atque illius cauſali ſucceſſui ſe ſe obligare virtualiter, & reapſe decernit. Debet ergo conditionem ſemel adjectam expectare; atque adeo ſi ſua malitia impedierit exitum conditionis, votum nihilhominus debet implere. Fraus enim & dolus nemini debent patrocinari, ut ſtatuitur cap. *Adverſus* de immun. Eccl. Ita Concina, & Sanchez laudatis locis.

Quod vero pertinet ad aliam conditionem, quam non implevit, vovens, ne voto obligaretur, dico nihilominus Victorium adſtringi voto, perinde ac ſi conditio eſſet impleta. Nam Victorius data opera, & in fraudem impedivit conditionis eventum. Non debet autem peccatum, & fraus in utilitatem delinquentis redundare. Ita Sanchez dicto loco. Immo plures apud eumdem cenſent, quod etiamſi non peccaſſet Victorius in fraudem, ſed ſolum neglexiſſet media ordinaria, & ſolita ad ſervandam caſtitatem, voti nihilhominus obligationem non effugeret. Nam ad media ordinaria, & conſueta cenſetur ſe virtualiter obligaſſe: ſecus vero ſi ſola fragilitate, & gravi tentatione ſuperatus ſuccumberet. Ita plurimi apud laudatos Sanchez, & Concinam.

MENSE JULIO.

CAS. I. Petronilla petit licentiam a ſuo viro peregrinationem aſſumendi cum ſuis genitoribus ad Urbem, Jubilæi lucrandi cauſſa. Vir negat hanc licentiam. Sed Petronilla putans injuſte omnino ſibi denegari hanc facultatem, petit a ſuo Confeſſario, an poſſit nihilhominus abſque culpa Romam verſus iter inſtituere.

Qu. quid reſpondere debeat Confeſſarius.

Reſp. Confeſſarius reſpondere debet Petronillæ ſe non poſſe, abſque mariti licentia, peregrinationem ad Urbem aſſumere. Etenim peregrinatio eſt opus ſupererogationis: obedientia autem marito, eſt actus virtutis, ad quem obligatur mulier ratione vinculi conjugalis. Hæc autem ſubjectio importat, ut uxor non diſcedat, ſine licentia mariti, etiam devotionis cauſſa. Quare errat Fabrinus a Boſſio allegatus Sect. 4. de Trip. Jub. Priv. Caſ. 22. §. 5. dum uxorem peccare affirmat, ſi abſque petita licentia, ſecus vero ſi licentia petita, & injuſte denegata ad Urbem accedat. Hujus enim rei deciſio ſati elucesſcit, ex iis, quæ de cohabitationis conjugum neceſſitate tradunt Doctores, præſertim Sanchez cum aliis a ſe allegatis lib. 9. de Matr. Diſp. 4. Quare Benedictus XIV. qui in Encyc. de Præpar. ad Annum Jub. maximos ſalutis animarum zelo exeſtuans, omnes, ut Romam proficiſcantur ad lucrandum Thæſaurum Indulgentiarum, enixe precatur, nec ipſas mulieres arcet; *ſed nec ipſas quidem* inquit *mulieres . . . arcemus*: admonet tamen, ut qui aliorum poteſtati ſubditi ſunt, itineri non ſe committant niſi eorum, quibus ſubiiciuntur, voluntas accedat. Hoc eodem loco deſcribit Sanctiſs. Pontifex ſocietatem, & vigilantiam, qua uti debent mulieres, ſi Romam, cum eorum conju-

gum conſenſu ſe conferant. Sed hoc cum non ſit ad rem noſtram, omittimus.

CAS. II. Clemens Clericus invaſus ab injuſto aggreſſore, licet potuerit fuga ſe ſe eripere a periculo, ne tamen timiditatis infamia notetur, in certamen proſiliit. In ardore defenſionis occidit injuſtum aggreſſorem, a quo ſolum ſe tuendi animum habebat.

Qu. an incurrerit irregularitatem.

Reſp. Incurriſſe irregularitatem. Etenim rei illicitæ, & periculoſæ dedit operam, ex qua ſecutum eſt homicidium. Rei inquam periculoſæ. Nam licet qui ſe defendit, mortem non intendat inimici, in ardore tamen certaminis, non eſt ſui dominus, neque poteſt ita moderari pugnam, ut non ſe magno exponat periculo, defenſionis limites excedendi, mortemque inferendi. Rei vero illicitæ. Etenim de hoſte ulciſci, & ad evitandam timiditatis infamiam, illum percutere & vulnerare, profecto opponitur charitati, & humilitati Evangelicæ, quarum, ſicut & ceterarum omnium virtutum, Clericus eſſe debet exemplar. Jam vero qui dat operam rei, aut periculoſæ, aut illicitæ, ex qua mors ſequatur, vel rei ſaltem periculoſa ſimul, & illicitæ juxta ſacros Canones incurrit irregularitatem effectu ſecuto. Ergo &c.

Homicidium non directe intentum, ex actione tamen periculoſa derivatum, ſaltem cum poterat, & debebat prævideri, cauſare irregularitatem, certa eſt ſententia: Farinac. quæſt. 126. num. 74. Suarez diſp. 45. ſect. 6. aliique communiter. Patet ex cap. *Is qui* in 6. ult. de Hom. *Is qui mandat aliquem verberari, licet expreſse inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare.* Idem evincitur ex cap. *Suſcepimus* 10., & ex cap. *de cetero* 11. de homicidio, aliiſque ſtatutis Canonicis, quæ collecta videri poſſunt apud Suarez, alioſque, de hujuſmodi re agentes. Immo, ſi quis det operam rei licitæ, & indifferenti, ſed non adhibeat diligentiam ne mutilatio, aut mors conſequatur, irregularitati ſit obnoxius. Atque ut cetera mittam, conſtat evidentiſſime ex *cap. Præsb. 7. de homicidio*, in cujus ſummario hæc habentur præciſa verba. *Homicidium caſuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, ſi non adhibuit diligentiam, quam debuit.*

Multo magis, ſi quis rei illicitæ det operam, ut ex citato cap. *Is qui*; nec non ex cap. *Sicut* 20. de homicidio, ubi ſi Clericus, vel Religioſus ludat cum muliere prægnante, eamque arripiat per zonam, & inde ſequatur læſio mulieris cum abortu, declaratur irregularis. Denique cap. *finali* de homic. ſtatuitur, homicidium caſuale non imputari ei, qui dedit operam rei licitæ, & debitam adhibuit diligentiam: ex quo colligunt DD. altera iſtarum conditionum deficiente incurri irregularitatem. Sed utraque conditio deficit in noſtro caſu. Ergo &c.

CAS. III. Paſchalis dedit Menſe Julio mutuos duodecim modios tritici Floriano, reſtituendos Menſe Novembris. Sed cum reſtitutionis tempore, tritici pretium duplo auctum ſit, Florianus non vult reſtituere niſi ſex modios. Qu. an jure nolit.

Reſp. Sotus lib. 6. quæſt. 1. art. 2. putat in mutuo ſemper poſſe exigi

eam-

eamdem menſuram, ſive idem pondus rerum. Ratio ipſius eſt, quia in mutuo ſpectatur proportio, ſeu æqualitas corporum, quæ permutantur, non prætiorum. Si enim prætiorum æqualitas ſpectaretur, eſſet potius emptio, & venditio, quam mutuum.

At demus Leſſio (ita enim ſentit lib. 2. cap. 20. Dub. 17.) poſſe ſpectari etiam prætium, non corpus ſolum, & ſubſtantiam frumenti: atque hunc eſſe formalem contractum mutui, et ſi implicite venditionem, & emptionem contineat. Si ſpectetur prætium, ſeu ſi mutuus detur valor etiam frumenti, non ſolum pondus & menſura, mutuans repetere non poteſt, niſi tantumdem prætii in frumento, quantum dederat in contractu mutui. Sed in contractu dederat valorem V. G. duodecim aureorum. Igitur non poteſt repetere niſi eam quantitatem tritici, quæ duodecim aureis reſpondeat. Sed tempore reſtitutionis ſex modii duodecim aureis valent, ſicut tempore contractus valebant duodecim modii. Ergo Paſchalis non poteſt exigere a Floriano niſi ſex modios. Hæc aſſertio ex ipſis Uſuræ definitionibus maniſeſte deducitur. In mutuo enim committitur uſura, quando recipitur aliquid ultra ſortem: l. *Rogaſt* §. *ſi tibi* ff. Si *cert. pet.* Fagnanus in cap. *Naviganti* n. 42. *de Uſuris*. Sed ſi Paſchalis velit reſtitutionem duodecim modiorum tritici, exigit duplicatam ſortem, ſeu prætium duplicatum. Ergo committit uſuram. Rurſus ibi eſt Uſura, ubi pluſquam datum fuerit, expectatur, & exigitur: cap. Si *fœneraveris* cap. *Putant* cap. *Plerique*, & cap. *Uſura* 14. q. 3. Sed Paſchalis exigendo duodecim modios vult prætium duplum, ac ipſe dederat. Ergo verus eſt fœnerator. Præterea valor rei ſi augeatur, domino augeri debet, cap. *Naviganti de Uſur.* Tambur., Molina &c. Sed menſe Novembri Florianus eſt dominus tritici. Si ejus ergo valor augeatur, ipſi Floriano augeri debet, non autem Paſchali.

Si autem corpus ſolum, & ſubſtantia frumenti ſpectetur, videtur tantumdem frumenti reſtituendum eſſe a mutuatario, quantum a mutuante acceptum eſt. Mutuum enim nudum, eſt contractus, quo rem noſtram in numero, vel pondere, vel menſura, conſiſtentem damnus alteri, ut ille tantumdem ejuſdem ſpeciei nobis reſtituat. Atque ita Sotus, Laynan, Tamburinus, Scaccia, aliique communiter definiunt contractum mutui. Paſchalis ergo, qui dedit mutuos duodecim modios tritici, totidem debet repetere.

Leſſio tamen, aliiſque ſic diſtinguere placet. Si dubium ſit utrum res tempore reſtitutionis valitura ſit pluris an minoris, poteſt mutuator exigere parem menſuram rei æque in ſe bonæ, eamque ſuo tempore accipere, etiamſi interim prætium ejus valde creverit. Ratio eſt, quia tunc par eſt utriuſque conditio. Sicut enim mutuator poteſt lucrari, ita & amittere. Unde ſi lucretur, non provenit id ex obligatione mutui (quaſi illud lucrum ſupra ſortem exigitur ex pacto) ſed per accidens, & caſu fortuito, eo quod res tempore redditionis facta ſit majoris eſtimationis. Si vero certum ſit, vel probabilius, rem tempore reſtitutionis valituram pluris, quam modo valeat, non poteſt mutuator ad parem menſuram reddendam obligare, ſed tantum ad eam, quæ tunc temporis adæquabit prætium rei traditæ. Ratio eſt quia non potes paciſci, ut aliquid reddatur ultra id, quod æquivalet rei tuæ. 12. autem modii tempore reſtitutionis pluris valent, quam duodecim modii, quos modo tradis. Ita Leſſius, & probabilius citato loco.

MEN-

CAS. I. CUM Fulvia, ut ad Eccleſiam ſe conferret, domi reliquiſſet duas filias, Valerianus id ſciens earum domum ingreditur, & puellas abducit. Una abductioni conſentit, altera reſiſtit. Alio ductis puellis & in ſecretum cubiculum clauſis, cum utraque habet copulam: ſed quæ reſtitit abductioni conſentit copulæ, & quæ conſenſerat abductioni reſiſtit copulæ.

Qu. an utraque, vel neutra, aut quæ ſit rapta: & poſito quod Valerianus ſit reus criminis raptus, an in pœnas raptorum incurrerit.

Reſp. Eam eſſe raptam, quæ initio abductioni reſtitit, licet copulæ poſtea annuerit: illam vero, quæ non reſtiti abductioni, licet copulæ poſtea reſtiterit, amotam utique eſſe, non autem raptam. Initium enim ſpectandum, in quo ſi violentia interfuit, eſt crimen raptus; ſi vero defuit violentia, amotio eſt utique ſed non raptus, juxta illud l. 3. verſ. *non ſolum ff. de incendio ruina: Aliud autem eſſe rapi, aliud amoveri palam eſt. Siquidem amoveri aliquid etiam ſine vi poteſt: rapi autem ſine vi non poteſt*: Raptus ergo importat violentam abductionem: unde illa ſolum dicenda eſt rapta, quæ vi & impetu e domo extracta eſt, non illa vero quæ ſponte ceſſit abducere volenti. Ita Sanchez, cum innumeris Doctoribus, quos in medium adducit diſp. 12. lib. 7.

At Valerianus incurrit ne pœnas raptorum? Diſtinguendæ ſunt pœnæ jure antiquo Canonico inflictæ a pœnis ſtatutis a Tridentino contra raptores. Pœnæ jure canonico inflictæ, ſunt, quod ſi *Laicus* ſit Raptor excommunicetur, ſi vero Clericus a gradu, & ordine Clericali deijciatur. Can. 1. & ſeq. cauſ. 36. q. 1. & can. *Si quis* de *purgat.* Canon. Has pœnas incurrit raptor Valerianus; ſeu hiſce pœnis (ſunt enim ferendæ ſententiæ, ut probabilior docet opinio) poteſt Valerianus mulctari. Nam raptus pœnis hiſce damnatus, conſideratur a jure Canonico ſimpliciter prout eſt luxuriæ ſpecies, licet non committatur in ordine ad Matrimonium, Ita Sanchez laud. Diſp. & Reiffenſt. lib. 5. Tit. 17.

Pœnas vero Tridentini non incurrit idem Valerianus, qui puellam rapuit libidinis ſolum ſaturandæ gratia, non extorquendi Matrimonium. Nam pœnis a Tridentino inflictis non ſubijcitur raptus prout eſt luxuriæ ſpecies, ſed quatenus lædit libertatem Matrimonii: unde cum non ſit rapta puella ad extorquendum matrimonium, Valerianus raptor immunis eſt a pœnis Tridentini. Porro Tridentinum, *in ordine ad contrahendum Matrimonium* damnare raptum certo certius eſt. Etenim Trident. eo loco intendit libertati Matrimonii conſulere, ut conſtat ex textu, & Rubrica Seſſionis, quæ eſt *de Refor. Matrim.* Ergo intelligendum eſt de ſolo raptu, cauſſa Matrimonii facto: præſertim quia quando textus eſt dubius, intelligi debet, ut conveniat Rubricæ, & valet argumentum *a Rubro ad Nigrum*, ut late oſtendit Reiffenſtuel in Proæmio §. 6. Idem videndus lib. 4. Tit. 1. n. 377.

CAS. II. Ignatius relinquit legatum Franciſco, cum hac conditione, ut duplum ſuis hæredibus reſtituat ſi aut uxorem ducat, aut fiat Præsbyter.

Qu. an contractus hic ſit uſurarius.

Reſp. Navar. Conſil. 29. n. 4. Tit. de Uſuris, & Fagnanus in 5. Decret. cap. *Naviganti* de Uſuris cap. 9. n. 60. quærunt utrum memoratus contractus ſit uſurarius: quod adjectivum lato modo uſurpant, prout

prout videlicet ſignificat injuſtus. Uſura enim ex mutuo oritur: hic autem non de mutuo, ſed de legato eſt ſermo. Igitur dico hunc contractum eſſe injuſtum, & lato modo uſurarium. Nam quo titulo hæredibus ſuis lucrari vult Ignatius? Titulo contracti Matrimonii, vel ſuſcepti ordinis Sacerdotalis. Jam vero uterque titulus eſt injuſtus. Impedire enim Matrimonium eſt contra bonum Reipublicæ: impedire vero, ut quis aſcendat ad Ordinem eſt contra bonum Eccleſiæ.

Immo dico, quod etiamſi Franciſcus, aut Presbyter fiat, aut ducat uxorem, poteſt retinere pecuniam ſibi legatam, abſque onere, nedum reſtituendi duplum hæredibus, ſed nec ipſam ſortem, ſeu capitale. Idque ex iis legibus deducitur, quæ ſtatuunt omnem conditionem *impoſſibilem & contra jura* haberi in ultimis voluntatibus, pro *non adjecta* *§. Impoſſibilis* Inſtit. de *Hæred. Inſtit.* ibi: *Impoſſibilis conditio in inſtitutionibus, & legatis ... pro non ſcripta habetur*. Idem l. *Conditiones* 14. ff. de *Condit. Inſtit.* decernitur conditiones *aut contra leges ...* aut contra *bonos mores ... deriſorias eſſe ... & pro non ſcriptis haberi, & perinde ac ſi conditio hæreditati*, *ſive* legato *adjecta non eſſet, capi hæreditatem legatumve*.

Jam vero Conditio duplici modo dicitur *Impoſſibilis*: reipſa, & jure. *Reipſa* impoſſibilis eſt quæ fieri nequit: ſive *impoſſibilitas* ex natura rei proveniat, ut *ſi Solem deſtruxeris*; ſive ex impotentia illius cui imponitur conditio, ut ſi pauperi ac mendico imponas pro validitate contractus, ut *mille aureos* diſtribuat. *Jure* impoſſibilis dicitur, quæ ſalva lege, & incolumi, fieri nequit, ut eſt omnis conditio turpis, vel quæ alicui bono eſt impedimento. Leſſius lib. 2. cap. 18. Dub. 15. Reinffeſtuel lib. 3. Tit. 16. n. 437.

Igitur ſi conditio ſit priore modo impoſſibilis, irritum reddit contractum (exceptis ultimis voluntatibus) ſive ſit de futuro, ſive de preſenti, aut præterito; quia talis conditio eſt ſignum non adeſſe conſenſum ſerium in contractum, ſed diſſenſum potius. Si ſecundo modo ſit impoſſibilis irritat contractum (exceptis ultimis voluntatibus) ſi conditio ſit de futuro: Ratio eſt, quia cum eſt de futuro, obſtringeret, vel alliceret alterum ad peccandum. Secus autem ſe res habet in teſtamentis, & ultimis voluntatibus, ut ex adductis legibus ſequitur. Ratio autem cur Jus ita ſtatuerit in ultimis voluntatibus; hæc eſt: quia defuncto teſtatore: non ſupereſt qui poſſit ejus mentem interpretari, & explicare quomodo conditionem intellexerit, ſerio ne an joco adjecerit: unde oriri poſſunt innumeræ lites, ad quas amovendas, ſtatutum eſt, has conditiones, pro non adjectis, habendas. Deinde ſi conditio ſit turpis, merito rejicitur in pœnam teſtatoris: ſi impoſſibilis, reijcitur tamquam vana, & ſtulta. In aliis contractibus non rejicitur, ſed reddit contractum irritum; quia contrahentes rurſus contrahere poſſunt ſi velint. Ita Leſſius laudato loco.

Deniquæ hæc conditio *ſi non nupſeris* adjecta ultimæ voluntati, habetur jure Digeſtorum pro non adjecta l. *Filiæ* 190. ff. *de cond.* & *Demoſtr.* idque favore Matrimonii, ut Reſpublica augeatur, Item hæc conditio *ſi non fias Presbyter* pro turpi habetur expreſſe *Novella* 123. c. 37. ubi ſtatuitur, legatum relictum alicui ſub conditione *ſi nupſerit, ſi liberos procreaverit* ei dandum, quamvis Religionem ingrediatur, vel Clericus fiat: quia iſtæ conditiones, licet in ſe bonæ ſint, prout opponuntur tamen Monaſtico, vel Clericali ſtatui, ut turpes conſiderantur.

Ex

Ex his omnibus ſequitur non teneri Franciſcum ad reſtituendum ipſum legatum ſibi relictum. Unde teſtator Ignatius ſi nedum legatum, ſed duplum exigat, contractum inſtituit injuſtum, & lato modo uſurarium.

CAS. III. Paullus in periculo mortis conſtitutus recipit Sacrum Viaticum: poſtea labitur in mortale peccatum. Confitetur Parocho hoc peccatum, & Parochus putat teneri infirmum ad iterum recipiendum SS. Euchariſtiæ Sacramentum.

Qu. an recte judicet.

Reſp. Parochum non recte judicare. Adeſt utique præceptum cum divinum tum Eccleſiaſticum ſumendi Euchariſtiam in mortis articulo, ut probant Suarez in 3. D. Th. Diſp. 69. Boſſius, Lugo, aliique omnes, qui hac de re ſermonem habent. Sed huic præcepto jam ſatisfecit Paullus viaticum recipiendo in ſtatu gratiæ. Accedit praxis Eccleſiæ univerſalis, cujus eſt permanens conſuetudo non deferendi iterum Euchariſtiam conſtitutis in articulo mortis, niſi poſt aliquot dies a prima ſumptione viatici: atque in Synodo Bononienſi nominatim ſub Eminentiſ. ac Reverendiſſimo D. D. Cardinali Jacobo Boncompagno, ſic ad rem noſtram ſtatuitur: *Si æger in eodem vitæ diſcrimine diutius perſeveret, aut ſuperato per dies periculo, relabatur in morbum, poterit iterum viatico refici; nec petenti denegetur, dummodo dies ſaltem decem, interceſſerit a prima ſumptione Euchariſtiæ* lib. 2. c. 3.

Attamen Dominicus Soto in 4. d. 12. q. 1. art. 11. Tabiena V. Communicare, n. 16. Armilla V. Communio, n. 11. putant ægrotum, ſi poſt ſumptionem viatici, in mortale prolabatur, teneri denuo accipere Euchariſtiam, priuſquam migret ex vita. Nullum tamen, ut notat Suarez citato loco, afferunt teſtimonium aut efficacem, vel probabilem rationem hujus doctrinæ: & ideo qua facilitate aſſeritur tale præceptum, eadem negatur, quia neque ex Scriptura colligitur, neque ex traditione, neque ex conſuetudine Eccleſiæ.

Dicunt, ideo teneri hominem ad recipiendum denuo viaticum, ut illos hujuſce Sacramenti ſalutares effectus recuperet, quos per peccatum amiſit. Sed hoc nullius eſt momenti. Primo quia illi effectus non ſunt ſimpliciter neceſſarii ad ſalutem, ſicut eſt gratia reſuſcitans animam, quæ acquiritur Sacramento pœnitentiæ. Secundo quia per pœnitentiam, ut notat Suarez, juxta veriorem ſententiam, reviviſcit gratia illa Sacramentalis per peccatum impedita. Tertio quia aliis modis poteſt in articulo mortis conſtitutus gratiam quam obtinuit in ſacramentali confeſſione confirmare, & augere, nimirum precibus, lacrimis, piis meditationibus &c. Quarto quia poteſt ſpiritualiter manducare corpus Chriſti, & ſanguinem bibere. Jam vero *voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem ſentiunt*: Trid. ſeſſ. 14. c. 8.

Denique, ſi hæc ratio eſſet valida, etiamſi intra eumdem diem homo peccaſſet mortaliter poſt viatici ſumptionem, & eodem die timeretur mors, deberet iterum communicare, immo ſæpius eodem die, ſicut tenetur ſæpius confiteri in tali caſu. *Non eſt* autem *pluries in die communicandum, ut ſaltem per hoc, quod aliquis ſemel in die communicat, repræſentetur unitas paſſionis Chriſti*. S. Th. 3. p. q. 80. art. 10. ad 4. Quare ſuadere poteſt Parochum, ut poſt aliquos dies qui peccavit læthaliter, iterum ſumat Euchariſtiam, non vero præcipere. Suarez, Boſſius, Lugo, Concina, &c.

MEN-

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. Cum Ubertus ex ſententia Judicis divortium fecerit ab uxore ob adulterium ab ipſa patratum, negat eidem alimenta, ipſiuſmet dotis fructus, reſque omnes eidem donatas propter nuptias. Qu. an operetur contra juſtitiæ legem.

Reſp. Certum eſt Uxorem propter adulterium amittere dotem, ac perinde fructus Dotis, quibus maritus alit uxorem, & onera ſuſtinet Matrimonii. Certum eſt etiam amittere donationes propter nuptias. Id colligitur ex c. 1. *plerumque de donat. inter virum & uxorem*, ubi ſic ſtatuitur: *Si mulier ob cauſſam fornicationis judicio Eccleſiæ, aut propria voluntate a viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit eidem, dotem, vel dotalitium* (dotalitii autem nomine intelligunt Doctores, non bona Paraphernalia, ut nonnulli falſo putarunt, ſed vel donationem propter Nutias, vel alia bona ex pactis dotalibus alias uxori debita, aut alia a viro uxori donata) *repetere non poteſt*, & l. *Conſenſu* 8. *c. de Repudiis*, & Novel. 117. c. 8. & 9. Hæc tamen cum multis limitationibus intelligenda ſunt ut videre eſt apud Sanchez lib. 10. diſp. 8. & Reiffenſtuel lib. 4. tit. 10., & omnes fere Juris Canonici tractatores.

Quoniam vero hiſce pœnis, ut fere omnes opinantur Theologi, non ſubijcitur uxor niſi per Judicis ſententiam; hinc quæri poteſt utrum Ubertus ante ſententiam Judicis negans dotem, & dotalitium adulteræ peccet contra juſtitiam. Videtur non operari adverſus juſtitiæ legem; quia citato cap. dicitur uxorem non poſſe *repetere dotem*, *vel dotalitium*, etiamſi *propria voluntate a viro receſſerit*.

At diſtinctione, qua cum antiquioribus Doctorib. utitur Sanchez communis illa ſententia cum textu facile conciliatur: Poteſt nimirum maritus *exceptionis* jure utens retinere dotem, & dotalitium ante ſententiam: non poteſt vero perfecte, & irrevocabiliter acquirere, niſi accedente ſententia. Cum enim maritus propria auctoritate divertens ab uxore adultera, vel ipſa recedente, jus habeat excipiendi contra uxorem repetentem dotem, opponens ipſi adulterium, poteſt retentionis jure utens nolle dotem reſtituere: perfecte autem, & irrevocabiliter non poteſt lucrari niſi poſt latam ſententiam. Idque aperte ſignificat textus, cum non dixerit virum lucrari dotem, ſed uxorem non poſſe eam *repetere*, ſignificans maritum poſſe ratione exceptionis adulterii quam habet, uti retentione.

Si quæras, quid diſtet inter utrumque modum? Reſp. tres eſſe differentias. I. ſi uxor poſſideret, & retineret bona non teneretur ante ſententiam illis ſe ſpoliare: ſecus lata ſententia. II. Si ante ſententiam contingeret virum fornicari, cum mutua delicta compenſentur quoad dotis lucrum, caderet a jure excipiendi, & propterea a jure retinendi dotem. At ſi lata ſententia ſibi applicanti dotem adulteraretur, non teneretur dotem reſtituere uxori. III. Si ante latam ſententiam vir propria auctoritate uxorem necet, tenebitur dotem, ac cetera bona reddere: ſecus ſi ſemel per ſententiam ſint ſibi applicata. Ita Sanchez laudato loco, cum innumeris pœne doctoribus.

CAS. II. Petronius dives, ſed admodum avarus nullas unquam fecit eleemoſynas. Cum ſit morti proximus, Confeſſarius illum cogit ad tantumdem relinquendum pauperibus, quantum judicio prudentem tri-

tribuere debuiſſet toto vitæ ſuæ curſu : & niſi id promittat, ſe dicit nolle abſolutionem impertiri.

Qu. an recte ſe gerat.

Reſp. Non recte ſe gerere Confeſſarium. Eleemoſyna enim eſt actus charitatis, non juſtitiæ, dicente Joanne epiſt. 1. cap. 3. *qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* ubi manifeſte, qui non elargitur elemoſynam pauperi, de violato charitatis præcepto, non juſtitiæ autem, redarguitur. Quare D. Thomas 2. 2. quæſt. 32. art. 1. *dare eleemoſynam propria eſt actus miſericordiæ...., & quia miſericordiæ eſt effectus charitatis, ex conſequenti dare eleemoſynam eſt actus charitatis, mediante miſericordiam*. Jam vero peccata contra charitatem indigent pœnitentia, non reſtitutione, ut omnibus ſatis eſt notum. Quare Petronio perſuadere poterit Confeſſarius, ut bona in pauperes diſtribuenda, teſtamento reliquat, non vero jubere, & abſolutionem denegare, ſi moribundus ejus conſiliis acquieſcere nolit.

CAS. III. Cum Euſtachius audiret confeſſionem Catharinæ infirmæ, illa gravi ſomno oppreſſa eſt. Hanc nactus occaſionem Euſtachius, plurima cum ipſa nihil ſentiente, inhoneſta comiſit. Id potea reſcivit Catharina. Qu. utrum habita hac notitia teneatur denuntiare Euſtachium.

Reſp. Hunc Confeſſarium eſſe denuntiandum docet Graſſius conſil. 7. de pœnit. & remiſſ. n. 8. Seraphinus Freitas Annot. ad Rodericum Acunam p. 9. n. 10. Hic enim Confeſſarius actus turpes exercet in actu Sacramentalis Confeſſionis.

At Boſſius in Append. de Confeſſ. Solicit. contrarium ſentit. Quamvis enim hic ſceleſtiſſimus Sacerdos poſſit tamquam de hæreſi ſuſpectus ab Inquiſitoribus puniri, non videtur tamen pœnis obnoxius eſſe, quæ contra Confeſſarios ſollicitantes a Romanis Pontificibus ſunt decretæ. Nam hic Confeſſarius non *formaliter*, ut inquiunt, ſed *materialiter* ſollicitavit Catherinam. Sollicitatio autem formalis eſt quæ fit cum ſcandalo perſona ſollicitatæ. Scandalum poro gignit ſollicitatio, cum pœnitens audiens verba vel opera videns, & ſentiens allicitur ad turpia: Id autem non conſtingit in caſu noſtro, cum femina gravi ſomno oppreſſa non percipiat actum turpem confeſſarij: atque propterea hoc ſacrilego opere non impellatur ad turpia. Jam vero formalem ſollicitationem ſolum, pœnis mulctari a Summis Pontificibus videtur ex eorum verbis colligi poſſe: *Paſtoralem ſollicitudinem* (inquit Benedictus XIV. Conſt. adverſus Confeſſarios ſollicitantes) *adhibere tenemur, ut quod .... datum eſt divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum malitiam, naufragis ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium & quod in ſalutem, & curationem animarum.... inſtitutum eſt... in earum perniciem atque interitum vertatur*. Hinc in eadem Conſtitut. dicitur, ſollicitare idem eſſe, ac porrigere Pœnitentibus *pro curatione vulnus, pro medicina venenum*. Illa ergo ſolum ſollicitatio videtur ſubjici pœnis, quæ vere ſtimulat, & trahit ad turpia, non quæ ſolum eſt materialis.

At prima opinio nihilhominus verior videtur. Nam illis pœnis ſollicitatio ſubiicitur, non ſolum ob grave damnum, quod inde Pœnitentibus exoritur, ſed etiam ob contemptum Sacramenti. Quare in eadem Conſtit. dicitur: *magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & ſacri Tribunalis ſanctitate, omnem turpitudinis occaſionem & SACRAMENTORUM CONTEMPTUM, & ECCLESIÆ INJURIAM longe ſubmovere &c.*

Alia

Alia his ſimilia paſſim in eadem habentur Conſtitutione. Deinde ſi mulier non ſcandalizatur, cum actu Confeſſarius exercet turpia, ſcandalizatur ſane, cum noſcit, quid ſibi evenerit; atque hoc ſcandalum ortum duxit in Sacramentali Confeſſione. Unde vere dici poteſt Euſtachium dediſſe pro pane lapidem &c.

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. TArquinius publicus uſurarius ad extremum vitæ redactus, multa dat pęnitentię ſigna, & in teſtamento uſuras reſtituendas præcipit ſuis hæredibus.

Quæritur I. utrum Eccleſiaſtica ſepultura nihilominus privari debeat. Quæritur II. utrum hæredes teneantur reſtituere etiam ultra vires hæreditatis.

Reſp. Tarquinium Eccleſiaſtica ſepultura eſſe privandum. Ita decernitur cap. *Quia in omnibus* de uſuris, & cap. *quamquam* de uſuris in 6. Nimirum ibi ſtatuitur, non eſſe committendum Eccleſiaſticæ Sepulturæ Uſurarium publicum, & manifeſtum, quamvis ante mortem multa dederit pœnitentiæ ſigna, & ſacramentaliter fuerit abſolutus, niſi prius uſuras realiter, & plenarie reſtituerit, vel idoneam cautionem præſtiterit de reſtituendo pro viribus patrimonii ſui. Quæ autem, cui, quomodo, coram quibus hæc cautio ſit exhibenda, declaratur in eodem cap. *Quamquam*. Neque ſufficit, quod Uſurarius manifeſtus, uſuras reſtitui in ultima voluntate mandaverit, ſed ipſe debet vel reſtituere, vel cautionem præbere, ut patet ex eodem cap. *Quamquam*, exceptis duobus caſibus. I. Si non ſit ſolvendo, neque pignora, neque fidejuſſores præſtare poſſit; tunc enim ſufficit cautio juratoria, jurando ſe, quando poterit reſtituturum, & jurando, ſe tunc meliorem cautionem præſtare non poſſe, ut Gloſſ. in dict. cap. *Quamquam*. II. Si ob ſubitam ſenſuum amiſſionem, neque reſtituere, neque cautionem præbere poſſit. Quamvis ne tunc quidem poterit ſtatim tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ; ſed neceſſe eſt ut hæredes prius reſtituant, vel caveant pro viribus Patrimonii defuncti reſtituere. Atque ſic docet Gloſſa in eodem cap. *Quamquam*. Hanc pœnam adeo vigere voluit Jus Canonicum, ut decreverit cap. *Quia in omnibus* illum qui auſus fuerit Chriſtianę tradere ſepulturæ publicum Uſurarium, ab Officii ſui executione manere ſuſpenſum, donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfecerit. Hæc omnia plenius tractat Carol. Theſaurus par. 2. cap. 1. de Uſurariorum Pœnis, & capitulis ſequentibus, ubi magna copia affert Doctores, eadem docentes.

At debent ne hæredes reſtiture ultra vires hæreditatis? Notandum eſt, priuſquam dubio reſpondeamus Teſtamentum uſurarii, communi jure, invalidum eſſe, atque irritum, niſi prius ſatisfecerit, vel de ſatisfaciendo idoneam dederit cautionem: ex *d. c. Quamquam*, *de Uſur. in 6.* Interdum tamen valet hoc teſtamentum, atque præſertim, ſi deceſſit pœnitens, ſed non reſtituit, neque cautionem præbuit, quia ob ſubitam ſenſuum amiſſionem, non potuit. Ita cum Sylveſtro, Turriano, S. Antonino, Ugolino &c. Carol. Theſaurus cap. 1. Dato igitur, quod teſtamentum hoc robur habeat, quærendum, quid hæredes debeant reſtituere.

Reſp. igitur cum diſtinctione. Vel hæredes adierunt hæreditatem confecto

fecto *Inventario*, vel non confecto. Si primum: certum eſt hæredes non teneri ultra vires hæreditatis *L. ult. C. de Jure delib.* Hæc doctrina a nemine in Quæſtionem vocatur: unde tamquam certam omnino eam propono. Si autem ſine *Inventario* adita fuit hæreditas, dubitari jure merito poteſt, utrum hæredes teneantur in foro conſcientiæ ſupra vires hæreditatis. Aliqui putant non teneri. Jura enim, inquiunt, ſtatuentia, ut hujuſmodi hæredes teneantur ultra vires hæreditatis, fundantur in præſumptione, quod ſurripuerint, vel occultaverint aliquid de rebus hæreditariis: id quod ſatis innuit *authent. de hæred. & falcid. §. hic nobiſ. verſ. Sancimus*. In foro autem conſcientiæ, in quo de veritate conſtat, locum non habet hæc præſumptio. Quare in foro conſcientiæ ceſſat cauſſa, ob quam hæredes obligantur reſtituere ultra vires hæreditatis. Ita Panorm. Ant. Gom. aliique citati a Covar. cap. 1. de Teſt. n. 16. & a Molina Tom. 1. Tract. 2. Diſp. 117.

At idem Molina, Covar. Card. de Luca lib. 9. part. 3. diſc. 25. n. 7. & alii docent non in ſola præſumptione fundari illa jura, quæ compellunt hæredem ad ſolvendum æs alienum ultra vires hæreditatis: ſed aliis etiam de cauſſis ita fuiſſe a lege ſancitum. I. ad lites, aliaque incommoda evitanda, quæ poſſent oriri, ſi hæredes omiſſo *Inventario* tenerentur reſtituere ſolum ſecundum vires hæreditatis. II. quia qui adit hæreditatem ſine inventario videtur ex quaſi contractu ſe obligare omnibus creditoribus, atque ſemetipſum exponere velle commodo, vel periculo, quod in adeunda hæreditate ſubire poteſt. Jam vero lex juſta obligat etiam in foro conſcientiæ. Ergo &c. Hæc probabilior videntur ſententia, quam fuſius declarant, & probant laudati auctores.

CAS. II. Richardus occidit ſuam uxorem; cumque Richardus habeat proprium ſepulchrum. Prælatus illius Eccleſiæ, in qua eſt illius ſepulchrum, contendit ſibi deberi cadaver uxoris occiſæ. Contradicit Parochus, & in Parochiali ſepeliendum eſſe propugnat. Quæritur quid juris.

Reſp. Non in ſepulchro viri, ſed in Parochiali Eccleſia ſepeliendam eſſe uxorem Richardi. Quamquam enim, jure communi, mulier ſepeliri debeat in ſepulchro mariti juxta *C. Unaquæque* 13. *quæſt.* 2. & *cap. Is qui §. Mulier de ſepult. in* 6. attamen hæc lex locum non habet cum maritus occidit uxorem. Ceſſat enim ratio, quæ *c. Unaquæque* adducitur: ſcilicet, ut *quorum una mens fuit in vita, eorum quoque corpora ſepultura non ſeparet*. Mens enim eorum fuit diviſa in vita, quia maritus hoſtili odio illam proſequens, necavit. Præterea ſi uxor poſt lethale vulnus, ſibi a merito inflictum, ſupervixiſſet jure potuiſſet ſententiam divortii obtinere, ut docet Sanchez lib. 10. de Matrim. diſp. 18. num. 16. Farinac. &c. Quare ſi juſta fuiſſet cauſſa recedendi a viro, juſta etiam adeſt cauſſa, ut ab illo ſeparetur poſt mortem. Demum, Uxoricida, in rigore juris amittit jus ad ſepulturam Eccleſiaſticam. Quamvis enim ſi decedat pœnitens, illi ex indulgentia quadam, & æquitate concedatur; attamen poteſt per ſententiam Principis illa privari; ſaltem ſi ob graviſſimum hujuſmodi crimen ultimo ſupplicio afficiatur: ut fuſius declaret Carolus Theſaurus part. 2. cap. *Parricidium*. Quapropter cum jure canonico, ut docet idem Theſaurus, cuilibet fideli, etiam ſceleſtiſſimo decedenti cum pœniten-

nitentia eccleſiaſtica concedatur ſepultura, ut conſtat ex *cap. Quæſitum* 13. *Quæſt.* 2. exceptis caſibus expreſſis ab ipſo jure, ſequitur dumtaxat pœnam hanc privationis ſepulturæ non ipſo facto incurrere perditos hoſce homines, ſed ſolum per ſententiam Judicis, non vero hanc illis non eſſe debitum, nec a legibus inflictam. Igitur ſi rigoroſe loquendo vir amittit jus ad ſepulturam, non eſt cur contendatur, utrum in ſepulchro viri, quod ipſe proprie non habet, ſit uxor occiſa ſepelienda.

CAS. III. Remigius ſtricto enſe cogit Aliprandum ad contrahendum Matrimonium cum Plautilla ejuſdem Aliprandi conſanguinea in gradu prohibito; eadem vi ad illud conſumandum impellit. Aliprandus mortis aſpectu territus & Plautillam accipit in uxorem, & Matrimonium conſumat.

Quæritur utrum hic metus excuſet Aliprandum a gravi culpa.

Reſp. ad primam partem caſus. Vel Aliprandus contrahit in gradu prohibito jure naturæ, vel in gradu prohibito ſolum jure Eccleſiaſtico. Si in gradu prohibito jure naturæ contrahit, dico peccare graviter. Nam contrahit matrimonium, quod intrinſece malum eſt, & nullum. Neque timor illum excuſat. Nam, ut notum eſt, timor etiam gravis, non tollit libertatem, quæ ſufficit ad mortale peccatum. Quare D. Thomas 2. 2. q. 115. art. 3. *Si aliquis* (inquit) *propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, ſic diſpoſitus eſt, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod eſt præceptum in lege divina, talis timor eſt peccatum mortale*. Multo magis erit peccatum mortale, opus ex hoc timore derivatum. Hinc ſequitur timorem hujuſmodi, non eſſe conſtantis viri. Timor enim cadens in conſtantem virum, non ſolum debet eſſe gravis, ſed rationabilis. Porro irrationale eſt, ut quis magis perrimeſcat mortem, quam lætale peccatum. Negari tamen nequit hunc timorem minuere culpam: quia *minus voluntarium eſt quod ex timore agitur*, ut art. 4. ejuſdem Quæſt. docet S. Doctor. Minuit, inquam, peccatum, non quia de mortali faciat veniale; ſed quatenus efficit, ut infra limites mortalis, ſit levius, quam eſſet ſecluſo metu: ut notat Nat. Alex. lib. 3. Theol. cap. 4. Reg. 86.

Jam vero ſi Aliprandus timore impulſus dicat ſe accipere Plautillam in conjugem, intus vero diſſentiat, poterit ne a culpa excuſari? Reſp. nequaquam. Nam ſic finges, mendacium comittit. Etenim, *ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat:* ait D. Auguſtinus lib. de Mendacio cap. 3. Utrum vero hoc mendacium ſit grave peccatum, aut leve, ex circumſtantiis potius determinandum eſſe videtur, quas longum nimis eſſet, hic afferre. Actus tamen materialis, contrahendi nempe, non videtur a gravi excuſandus, quia eſt de re per ſe, & ſuapte natura mala, & prohibita.

Si autem Aliprandus minis coactus contrahit in gradu ſolum prohibito jure Eccleſiaſtico, peccabit ne? Reſp. non peccare, dummodo deſit fictio, quæ a conſenſu coacto vix abeſſe poſſe videtur. Ita Sanchez lib. 7. diſp. 5. cum multis. Nam, ut cum communi Theologorum ſuffragio notat Nat. Alex. Reg. 88. Eccleſia non obligat, cum vitæ, aut alterius gravis incommodi periculo, Rationem addit S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 4. ad 1. *Præcepta Dei ſunt præcepta juris natura-*

C lis

lis, quæ ſecundum ſe ſunt de neceſſitate ſalutis: ſed præcepta Eccleſiæ ſunt de his, quæ non per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed ſolùm ex inſtitutione Eccleſiæ. Et ideo poſſunt eſſe aliqua impedimenta, propter quæ aliquis ad obſervanda... non teneatur.

Quid vero dicemus de conſummatione Matrimonii? Reſp. eam in nulla hypoteſi eſſe licitam. Nam metus gravis, non efficit, ut quæ ſunt dirimentia impedimenta jure Eccleſiaſtico, non ſint, cum aliquis minis terriris impellitur ad contrahendum cum iiſdem. Quamvis enim obligatio legis humanæ ceſſet in magno vitæ, rerumque diſcrimine: attamen quædam ſunt leges adeo neceſſariæ ad commune bonum tuendum, ut illæ in nullo caſu robur, & firmitatem amittant. Hujuſmodi profecto ſunt leges dirimentes matrimonia; quæ ſi ob gravem metum infirmarentur facilis pateret via; ut notat Sanchez, illa contemnendi impedimenta, & extorquendi matrimonia, incuſſo metu: quæ matrimonia, quantum Reipublicæ, & bono conjugii futura eſſent perniciosa facillime intelligi poteſt. Hæc fuſe Sanchez lib. 4. diſp. 18.

Si igitur impedimentum dirimens in nullo caſu deſinit eſſe tale, ſequitur matrimonium Aliprandi cum Plautilla non convalidari ab incuſſo metu; immo magis irritari cum ipſa vis ſit impedimentum dirimens: ac propterea copulam vi exortam eſſe inceſtuoſam. Nullo autem metu poteſt induci vir conſtans, ut læthale peccatum comittat, cum nullum ſit malum peccato gravius. *Peccata ſunt maxima malorum; & ideo ad hoc nullo modo poteſt homo conſtans cogi, immo magis debet homo mori, quam talia ſuſtinere:* inquit D. Thomas in 4. ſent. diſt. 29. q. 11. art. 11. ad 2.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. INnocentio Parocho nimis moleſtus eſt aer, in quo ſita eſt ejus Parochia, adeo ut dolore capitis, & febribus ſæpe gravetur. Quare frequenter abeſt a ſua Parochia, rariſſime in eadem pernoctat. Omnia tamen Parochialia munera comiſit Capellano doctrina, pietate, prudentia eximio. Quamvis autem hac ratione Innocentius conſuluerit ovibus ſuis, aliqui Parochiani eidem primitias non deberi contendunt, quia ipſe perſonaliter non exercet munera Parochialia.

Quæritur I. utrum incommoda Innocentii ſint juſta cauſſa raro adeundi Parochiam.

Qu. II. utrum per dictum Capellanum ſatisfaciat muneri ſuo.

Qu. III. utrum memorata cauſſa ſit juſta ratio negandi primitias.

Reſp. ad primum. Incommoda Innocentii non eſſe juſtam cauſſam raro adeundi Parochiam. Atque id ſatis, ſuperque ex iis definitur, quæ docuit Proſper Cardinalis Lambertinus Inſtit. 17. ubi duo præ cæteris decreta affert Sacræ Congr. Concil. quibus ſtatuitur, malam valetudinem non eſſe juſtam cauſſam, numquam, vel raro in Parochia commorandi. Primum decretum emanatum fuit die 7. Julii anno 1646. illudque ita ſe habet: *Sacra Congregatio reſpondit aeris intemperiem non excuſare Parochum a reſidentia.* Alterum promulgavit Sacra Congreg. die 6. Aprrlis anni 1647. quod eſt tenoris ſequentis: *Sacra Congregatio reſpondit nec ætatem ſenilem, nec malam valetudinem excuſare Parochum a reſidentia.* Quare Parochus qui morbo laborat, nec in propria Parochia degendo, curari poteſt, debet ad Epiſcopum confugere,

gere, ab eoque veniam diſcedendi impetrare, quam illi per plures menſes poteſt concedere. Ita reſpondit Sacra Congr. Regienſi Epiſcopo, qui anno 1573. quæſivit utrum, ſi aliqua Parochia ſub tanta cœli inclementia conſtituta ſit, ut nemo in ea abſque vitæ diſcrimine immorari poſſit, utrum, inquam alibi degere Paſtori liceat: *Sacra Congregatio cenſuit non poſſe. Si tamen Rector infirmus eſſet, & in loco Parochiali curari non poſſet . . . tunc poſſe ab Ordinario dari dilationem trium aut quatuor menſium &c.* Ex his ſequitur ſi poſt diuturnum tempus non poſset Parochus recuperare ſalutem, debere potius Parochiam dimittere, quam ab ea ſemper, aut frequenter abeſſe. Ita etiam Barboſa de Offic. & Poteſt. Parochi cap. 8.

Profluit ex his ſolutio ad ſecundum dubium. Nimirum non ſufficit, ut Parochiæ præficiat Rector idoneum virum, ſed ipſe debet per ſe gerere munera paſtoralia. Ipſi enim cura animarum commiſſa eſt non Capellano, qui mercenarius eſt, non autem paſtor, adeoque ipſius perſonale onus eſt, ut ait Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reſor. *oves ſuas .... verbi divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, &c.* Reſidentia igitur non eſt ſimplex perſonalis habitatio in Parochiali domo, ſed curam etiam complectitur, & ſollicitudinem animarum, ut notat etiam Proſper Cardinalis Lambertinus n. 6. ejuſdem Inſtit.

Ad III. Dubium venio, & dico non poſſe utique Parochianos negare primitias debitas, quia ad ipſos non ſpectat proprium punire ſuperiorem; ipſe tamen Parochus amittit ante omnem declarationem fructus pro rata temporis abſentiæ fructus tuos, neque illos, tuta conſcientia, detinere ſibi poteſt. Nam S. Trid. Conc. ſeſſ. 23. de reform. cap. 1. pœnas ibi ſtatutas, itemque ſeſſ. 6. c. 1. de reſor. contra Epiſcopos non reſidentes extendit ad Parochos, & ad omnes habentes beneficium Eccleſiaſticum cum animarum cura. Jam vero hæc, præ ceteris pœna infligitur Epiſcopis non reſidentibus: *pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe.*

CAS. II. Reginaldus cum audierit die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum a multis offerri pro miſſa ſtipendium conſueto majus, recuſat ſolitum ſtipendium, neque vult celebrare, niſi illi exhibeantur ſaltem duo Julii.

Qu. I. utrum graviter peccet.

Qu. II. utrum ad reſtitutionem teneatur.

Reſp. Cum diſtinctione. Vel Reginaldus vere exigit, pactione quadam, & contractu ſtipendium taxato majus; vel ſimpliciter recuſat celebrare Miſſam pro taxato ſtipendio, ſciens fore ut alter illi majus exhibeat ſtipendium: Si primo modo ſe gerit Reginaldus, proculdubio avaritiæ crimen & ſpeciem quamdam ſimoniæ admittit; quemadmodum ex Tridentina Synodo deprehenditur. Hæc enim Seſſ. 22. in Decreto de obſervandis, & evitandis in Celeb. Miſſ. ſic Epiſcopos admonet: *quod ad avaritiam pertinet, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt omnino prohibeat.* Nam ut docet Sanctus Thomas

mas Eleemoſyna datur non quaſi prætium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentatio vitæ: 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 1. ad 4. Qui autem pactiones facit & contractus, videtur pecuniam, quaſi prætium exigere conſecrationis Euchariſtiæ, non quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis'. Parum autem refert quod conſuetum ſtipendium non ſufficiat ad congruam ſuſtentationem. Nam ſtipendia non conferuntur ad integram Præsbyteri ſuſtentationem, ſed ad illius adminiculum: ut cum Juvenino advertit Proſper Cardinalis Lambertinus Inſtit. 56. n. 4.

Si vero nullum ineat pactum, ſi majus ſtipendium non extorqueat, ſed celebrare ſimpliciter recuſet, videtur ab illis magnis criminibus excuſandus. Cum enim non teneatur huic potius, quam illi impendere ſuum miniſterium, poteſt acceptare ſtipendia potius ab hoc, quam ab illo, cum utatur jure ſuo quoad hoc. Nec ex eo quod moveatur ex majori ſtipendio intervenit aliquod inordinatum; nam hic exceſſus ſtipendij eſt cauſſa ſolum impulſiva celebrandi pro hoc potius, quam pro alio. Ita Paſqualig. De Sacrif. novæ legis quæſt. 929.

At debet ne reſtituere ſi majus poſtulaverit, & obtinuerit ſtipendium? Vaſquez, Suarez, aliique plurimi, quorum nomina recenſet Paſqualigo affirmativam docent ſententiam. Fundamentum eſt: quia ſicuti taxato prætio rerum venialium per Principem ſæcularem, non licet majus exigere; ita etiam taxato ſtipendio per Ordinarium, non licet majus poſtulare. Paſqualigus vero eodem loco docet, tunc ſolum Reginaldum teneri ad reſtitutionem, quando ab invito extorquet majus ſtipendium, vel dolo, ac fraude aliqua adtribuendam eleemoſynam ſolito majorem inducit; non vero obligari, cum ille, qui Miſſæ celebrationem petit, non omnino reluctans, nec deceptus majus ſtipendium tribuit Reginaldo exigenti contra legem. Nam Reginaldus non juſtitiam commutativam in hoc caſu lædit, ſed legalem ſolum: adeoque peccat utique, ſed non obligatus videtur ad reſtitutionem.

CAS. III. Hermenegildus condendo teſtamentum reliquit legatum Parochiali Eccleſiæ. Poſtea mutavit domicilium, & in aliam Parochiam ſe tranſtulit, ubi invariato teſtamento, mortuus eſt.

Quæritur ad quam Parochialem Eccleſiam ſpectet hoc legatum.

Reſp. Joannes Andreas, Geminian. in cap. *cum quis de ſepult. in 6.* alique plures volunt legatum deberi illi Parochiali Eccleſiæ, in qua Hermenegildus condidit teſtamentum. Etenim vera teſtatoris mens eſt illa, quam habet, cum actu condit teſtamentum. Sed cum Hermenegildus condidit teſtamentum, longe veriſimilius eſt, voluiſſe relinquere legatum illi Parochiali Eccleſiæ, in qua tunc verſabatur: tum quia ſupponendum eſt, quod illam tunc prædiligeret, ut pote ad eam ſpectans: tum quia de mutatione Parochiæ, tunc fortaſſe nec cogitabat; & ſi cogitaſſet, probabile eſt, quod ad omne dubium eliminandum declaraſſet, num mens ejus eſſet legatum relinquere Parochiæ, intra cujus fines degebat, cum condidit teſtamentum, an illi in qua eſſet moriturus. Igitur ad primam Parochiam, non ad ſecundam ſpectat hujuſmodi legatum.

Secunda ſententia docet legatum deberi Eccleſiæ Parochiali, quam habet teſtator tempore mortis. Ita Boer. deciſ. 179. Moronus Reſp. 69. Paſqualigo quæſt. 1002. aliique. Ratio eſt quia diſpoſitio teſtatoris non ſortitur effectum niſi ſecuta morte, & proinde teſtator diſponens non diſponit pro tempore preſenti, ſed pro tempore mortis. Ergo cum

con-

contemplatur Eccleſiam tamquam Parochialem, contemplatur illam, quam habiturus eſt eo tempore, quo teſtamentum habebit ſuum effectum. Sed teſtamentum non eſt habiturum effectum niſi tempore mortis. Igitur ſecundam hanc Eccleſiam, quæ eſt Parochia teſtatoris tempore mortis, contemplatur, ac propterea ad illam pertinet legatum. Idque paritate confirmat Menoch. Conſ. 106. n. 82. lib. 2. Si teſtator hæredem vocet primogenitum alicujus familiæ uſque in infinitum, & qui eſt primogenitus cum teſtamentum condit, poſtea ſine liberis decedat, cenſetur vocatus, qui erat ſecundogenitus, & admitti debet ad hæreditatem non exiſtente illo primo, vel ejus filiis. Ita res ſe habet in caſu noſtro. Prior illa Parochia quodammodo præmortua eſt teſtatori, & ſecunda hæc illi ſuccedit: ac propterea ad poſteriorem, quæ vere exiſtit relate ad teſtatorem, ſpectat legatum: præſertim cum ipſa mutatio Parochialis Eccleſiæ, mutationem etiam affectionis ſecum plerumque trahat. Ita cum Menochio Moronus citato loco.

Hæc tamen locum habent, niſi aliæ ſint ſpeciales conjecturæ, quibus gnoſcatur teſtatorem primam Parochiam præ oculis habuiſſe, & ejus intuitu conſtituiſſe illud legatum: puta ſi adhuc teſtator illam frequenter Eccleſiam, & ſpecialia erga illam ſigna dilectionis præbeat &c. Ita laudati auctores.

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. Alipius dedit mutuos mille aureos Baſilio, cum onere illos reſtituendi intra ſex menſes. Hoc elapſo tempore Baſilius impotens eſt ad reſtituendum. Igitur Alipius, ne ſua pecunia otioſa remaneat, & infæcunda, ex ipſa conſtituit Cenſum, & annuam penſionem quinque pro centum cum eodem Baſilio paciſcitur.

Quæritur an attento non ſolum Pontificio jure, ſed naturali, ac divino hic cenſus potuerit conſtitui.

Reſp. Jure Pontificio irritum eſſe prædictum contractum, res eſt ſatis manifeſta. Nam S. Pius non valere decrevit cenſum, *niſi vere fiat in pecunia numerata, præſentibus Teſtibus, ac Notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius recepto, juſtoque prætio*: Ex qua lege, communi conſenſu inferunt Doctores, invalidum eſſe contractum cenſus, ſi prætium ante conſtitutionem Inſtrumenti fuerit ſolutum. Computari ergo nequent debita in prætium, quia hoc prætium ſolutum eſt antequam fiat Inſtrumentum.

Utrum vero illa forma contractus prohibita ſit jure etiam naturali, ac divino, non una eſt Doctorum ſententia. Azor. 3. part. inſtit. mor. lib. 10. cap. 8. aliique docent illum contractum illicitum eſſe, etiam jure naturali, & divino: quia pecunia debita, non eſt prætium præſens & vere exiſtens, ſed tranſactum, & conſumptum. In prætio autem non habente exiſtentiam fundari nequit penſio. Sed Navarrus in com. de Uſuris n. 88. & 121. Lopez Tiraquel. Salm. &c. affirmant hunc contractum non eſſe intrinſece vitioſum, dummodo duabus muniatur conditionibus. Prima eſt, ut debita illa ſint realia & juſte contracta. Secunda eſt, ut in creatione cenſus nulla vis interſit, aut dolus.

Hujuſmodi ſententia hac fulcitur ratione; quia natura contractus cenſualis illud tantum exigit ut emens cenſum, vere & realiter totum

prætium ſolvat, ne venditor reddere cogatur penſionem ejus, quod non accepit; quod illi ſummopere noceret. At cum cenſus creatur ex debitis realibus, & juſte contractis, & in ejus creatione nulla vis, aut fraus intercedit, emptor cenſus totum prætium vere, & realiter perſolvit cum transfert in dominium ſui debitoris omnem pecuniam, quæ ipſi debebatur, & quam poterat in judicio ab illo petere: nec inde aliquod damnum venditori cenſus oritur. Ergo &c.

Pecunia autem debita, non eſt præſens, & actu exiſtens, quatenus actu non numeratur; eſt vero præſens, & exiſtens, quatenus actu creditori debetur, & poteſt actu illam exigere. Secunda ergo ſententia probabilior videtur: unde qui non ſervaret formam præſcriptam a conſtitutione S. Pii nullum utique efficeret contractum, non quia jure naturali ac divino ſit irritum, ſed quia tale declaratum fuit a legislatore.

CAS. II. Sulpitius, & Severa futuri eorum Matrimonii publicationes fieri ſatagunt: cumque Parochus prima vice publicaverit hoc Matrimonium, admonetur hanc eſſe communem famam Sulpitium carnaliter cognoviſſe ſororem Severæ.

Quæritur an Parochus ob hanc famam teneatur denuntiationes intermittere.

Reſp. Si hæc notitia ad hominibus fide dignis Parocho fuit delata, vel gravibus nitatur conjecturis, vel hęc opinio ita invaluerit, ut nequeant ſine ſcandalo Sulpitius, & Severa in matrimonium conjungi, dico Parochum debere denuntiationes intermittere. Ita in ſimili caſu reſpondit Urbanus III. Epiſcopo Burdigalenſi cap. *Super eo quod de conſang. & affinit.* lib. 4. tit. 14. *Si manifeſtum eſt juvenem cognoviſſe propinquam prædictæ puellæ; vel ſi non eſt manifeſtum, fama tamen loci hoc habet, cum eſſet ſponſa tantummodo de futuro, idem ab ejus impetitione debet abſolvi*: ubi Gloſſa adjungit, *nota quod fama impedit matrimonium contrahendum*. Innocentius III. pariter in conſimili caſu idem reſcripſit Epiſcopo Belluacenſi, cap. *cum in tua de Sponſal. & Matrim.* ubi docet; *ſi perſona gravis, cui fides ſit adhibenda, denuntiet quod hi, qui ſunt matrimonio copulandi, ſe propinquitate contingant, & de fama vel ſcandalō doceat*, eſſe iſtos a contractu conjugali retrahendos. Sola ergo fama ſufficiens eſt cauſſa deſiſtendi a contractu, atque propterea ab iis, quæ ad ipſum diſponunt.

Si vero rumor hic ab hominibus, qui fidem non merentur, ſpargatur, neque hæc fama gravibus ſit fulta fundamentis; tum ejus delationi credere non tenetur Parochus, ſed ultra progredi poteſt, denuntiationes proſequendo, & Matrimonium etiam celebrando, ſi partes præſertim noline deſiſtere. Id quoque manifeſtum fit ex eadem Decretali Innocentii III. in qua ſic proſequitur: *ſi perſona denuntians non extiterit talis, ut diximus* (hoc eſt perſona gravis cui fides ſit adhibenda) *& de fama, vel ſcandalo non poteſt edocere, ad deſiſtendum monere poteris, non compellere contrahentes*. Ita Pontas V. Denuntiationes Caſ. II.

CAS. III. Auguſtinus Romę degens ſcribit Bernardo amico ſuo vacare beneficium, cujus collatio pertinet ad Romanum Pontificem. Litterę deferuntur ad Symachum clericum. Illas aperit, & poſtea clauſas reddit Bernardo: ſed pręveniens ipſum Bernardum, favore, ac ſollicitudine potentium virorum, beneficium a ſummo Pontifice obtinet.

Quæritur I. utrum Symachus ſimoniace conſecutus ſit beneficium.

Qu. II. utrum teneatur ad reſtitutionem faciendam Bernardo.

Reſp.

Reſp. Symachum, ſi importunis precibus, multo magis ſi efficacioribus mediis favorem & ſollicitudinem potentium virorum ſibi comparavit, ſimoniace obtinuiſſe beneficium. Solas importunas preces, quas ſaltem, in memorato caſu, adfuiſſe ad modum probabile eſt, ſufficere, ut quis dici poſſit ſimoniace conſecutus beneficium, apertiſſima eſt D. Thomæ Doctrina 2. 2. Quæſt. 100. art. 5. *munus*, inquit, *a lingua dicitur vel ipſe laus pertinens ad favorem humanum, qui ſub prætio cadit, vel etiam preces, ex quibus aquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur; & ideo ſi aliquis principaliter ad hoc intendit, ſimoniam committit*.

Excipe tamen, ſi qui petit beneficium ſit pauper, & beneficium poſtulet ſine cura animarum. Nam non intuitu precum datur tunc beneficium, ſed ad indigentiam ſublevandam petentis. Item ſi quis non pro ſe, ſed pro alio, digno tamen, poſtulet, beneficium cum cura animarum. *Si autem*, proſequitur Divus Thomas, *preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt ſimoniacum: quia ſubeſt debita cauſſa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid confertur: tamen poteſt eſſe ſimonie in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus: eſt ſic preces ſunt pro indigno. Licite tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe beneficium eccleſiaſticum petere ſine cura animarum*: Ex his ſequitur (ut res in clariori luce collocetur) ſi Symachus antea favorem potentium illorum non precibus, non alio munere, ſive a manu, ſive a lingua, ſive ab obſequio, ſed virtutibus, & preclaris actibus ſibi conciliaverat, & vacante beneficio eorum auxilium imploravit talibus precibus, quæ potius exprimant deſiderium Symachi, quam aptæ ſint ad cogendos potentes illos; atque viri iſti non precibus adducti, ſed meritis Symachi illi obtinuerunt beneficium, non eſſe ſimoniace collatum.

At tenetur ne Symachus reſtitutionum facere Bernardo? Reſp. ſi Bernardus jus habebat ad beneficium, puta vigore teſtamenti, vel promiſſione illi facta antea a Pontifice, vel alio modo tenetur reſtituere. Impedit enim Symachus ne rem ſibi debitam obtineat Bernardus: quod idem eſt ac rem aliorum auferre. Ita D. Thomas 2. 2. quæſt. 6. Art. 2. ad 4. Si vero non habebat jus ad Beneficium, nihilominus ad aliquam compenſationem tenetur Symachus. Etenim fraude, & dolo, ut ſupponit caſus, impedivit ne peteret, ſeu, quod idem eſt ne tunc peteret, cum ſpes erat illud obtinendi. Debet autem reſtituere juxta certitudinem, vel probabilitatem, quam habebat, conſequendi beneficium. Ita cum D. Thoma Layman lib. 3. Tract. 1. cap. 7. multique alii ab eo citati. Rationem valde aptam adducit idem Layman. Nam licet Symacho jus non competat poſtulandi beneficium tamquam ſibi debitum, illi tamen competit jus accedendi, & ſupplicandi. Quemadmodum pauper, licet jus non habeat eleemoſynam, tamquam ſibi debitam, flagitandi; habet tamen jus mendicandi, & obſecrandi. Quare ſi eos ab hoc jure impedias, cogeris damnum reſarcire, ſecundum proportionem ſpei, quam habebant conſequendi beneficium, & eleemoſynam. Ita laudatus auctor: innumerique alii, quos idem, & Leſſius citent.

LAUS DEO.

CASUS RESOLVENDI IN DIŒCESI

ANNO 1776.

MEMSE JANUARIO.

CAS. I. FEbronius Confeſſarius facultatem obtinuit, ſed *oretenus* ab Epiſcopo abſolvendi a quibuſdam caſibus reſervatis. Eo defuncto dubitat, utrum illa juriſdictio perſeveret.

Qu. vera reſponſio.

CAS. II. Rodericus facultatem habuit ab Epiſcopo abſolvendi a caſibus reſervatis, cum hac clauſula *ad beneplacitum noſtrum :* Lucretius verò eamdem conſecutus eſt facultatem, ſed cum alia hac clauſula, *ad libitum voluntatis noſtræ*. Quer. I. quænam inter binas haſce clauſulas differentia intercedat : II. utrum facultates conceſſæ cum illis clauſulis expirent morte concedentis.

CAS. III. Sempronius abſolvit directe Cappellanum a copula cum Parochiana, non quæſita prius licentia a Superiore, quia putavit hanc reſervationem ceſſaſſe morte Epiſcopi.

Qu. utrum verum putaverit.

MEMSE FEBRUARIO.

CAS. I. MArcellus abſolutus a quibuſdam caſibus reſervatis vi Jubilæi, antequam cetera injuncta opera exequatur, iterum labitur in eadem peccata reſervata. Qu. utrum poſſit ſecunda vice ab iiſdem abſolvi.

CAS. II. Antonius cenſuris innodatus, & reſervationibus plurimis obſtrictus, confeſſionem habuit durante Jubilæo, ſed invalidam, & irritam. Qu. utrum liber remanſerit a cenſuris, & reſervationibus.

CAS. III. Vitalis Quadrageſimali tempore preparat hæro ſuo ſic jubenti, cibos vetitos, quos certo ſcit illum non poſſe abſque gravi culpa manducare. Qu. utrum Vitalis excuſari poſſit a peccato.

MENSE MARTIO.

CAS. I. DEmetrius, & Narius Confeſſarii commutaverunt virtute Jubilæi quædam vota ſuorum pœnitentium: ſed ille commutavit in minus bonum; hic vero hac ratione, *commuto in id, quod mihi, aut alteri Confeſſario impoſterum videbitur idoneum.*

Qu. utrum uterque, aut neuter, aut quis invalide commutarit.

CAS. II. Marcus vovit, ſe daturum Aſcanio pauperi eleemoſynam trium aureorum, & dotem puell æ, ad libitum, a ſe eligendæ.

Qu. utrum poſſit vigore Jubilæi diſpenſari ad his votis.

CAS. III. Fernandus nobilis, & dives multos habet ſervos. Quibuſdam, etiam quadrageſimali tempore, graviſſimos imponit labores, cum quibus nequit componi jejunium; alios vero tam ſero dimittit, ut cum nequeant uſque ad illam horam protrahere prandium, frangant ſæpe jejunium.

Qu. I. utrum Fernandus peccet. II. quommodo cum illis ſervis ſe gerere debeat Confeſſarius.

MEN-

Digitized by Google

MENSE APRILI.

CAS. I. JUvenalis non vult admittere ad Paſchalem Communionem ſuos Parochianos, niſi de peracta Confeſſione teſtimonium exhibeant.

Qu. quid juris.

CAS. II. Petronius, qui voluntatem lucrandi Jubilæum animo gerebat, acceſſit ad Confeſſarium, a quo obtinuit relaxationem quorumdam juramentorum: ſed poſtea culpa ſua, & negligentia, opera prætermiſit ad lucrandum Jubilæum neceſſaria.

Qu. utrum juramenta illa reviviſcant.

CAS. III. Cajetanus obtinuit diſpenſationem a quibuſdam irregularitatibus vigore Jubilæi; eoque expirato, meminit alterius irregularitatis non detectæ, vigente Jubilæo, Confeſſario delegato.

Qu. utrum a quolibet Confeſſario poſſit diſpenſari.

MENSE MAJO.

CAS. I. VIncentius, cum præcedenti nocte copulam habuerit cum Uxore, dubitat utrum poſſit ſequenti mane accedere ad ſacram Euchariſtiam, quam illo die cupit ardenter recipere.

Qu. quæ praxis tenenda a Confeſſariis.

CAS. II. Andreas celebrat Miſſam in privato Oratorio, multum diſſito ab Eccleſia. Facta conſecratione apoplexia correptus, moritur: cumque nullus tunc præſto ſit Sacerdos, qui compleat Sacrificium, neque habeatur Ciborium, in quo recondantur ſpecies conſecratæ.

Qu. quid a Laico præſenti præſtandum.

CAS. III. Bonaventura perhoneſtæ familiæ vir, celebraturus ſolemniter primam Miſſam, nobiles viros, ac mulieres plurimas invitavit, pro quibus etiam lautum convivium parari juſſit. Sed cum paulo ante celebrationem, collectis jam, qui ad ejus primitias fuerant invitati, ſe ſe exerceret in cæremoniis Miſſæ in abvertenter ſumpſit hoſtiam.

Qu. an poſſit nihilominus celebrare.

MENSE JUNIO.

CAS. I. SUlpitus commodavit Lazaro veſtem, auro gemmiſque ornatam. Sed cum domus Lazari fortuito caſu conflagrare cœperit, res proprias, quas potuit, e domo extraxit, veſtem autem Sulpitii non eripuit, quæ combuſta eſt.

Qu. utrum teneatur de jactura veſtis.

CAS. II. Octavius reliquit Legatum Parochiali Eccleſiæ cum onere, ut quotidie cantetur Nocturnum Defunctorum cum Laudibus. Qu. I. quibus diebus cantari poſſit, quibus non. Qu. II. Quommodo ſuppleri debeat iis diebus, quibus nequit cantari.

CAS. III. Paſchaſius Capellaniam erexit in Parochiali Eccleſia, cum obligatione, ut Capellanus celebret divina officia, & ſit coadjutor Parochi. Qu. utrum Capellanus hic obligetur ad reſidentiam in Parochia, & ad curam animarum.

MEN-

MENSE JULIO.

CAS. I. LUdovicus exigit oſcula a Flora, cum qua ſponſalia contraxit. Id verecunda puella ægre fert. Sed cum Ludovicus vehementer, cum ipſa renuit, iraſcatur, & dicta puella graviora etiam pertimeſcat mala, aſſentitur.

Qu. an excuſanda ſit a peccato.

CAS. II. Camilla nonaginta annorum mulier ſic memoria deficit, ut omnium ſuorum peccatorum oblita, neſciat in Sacramentali Confeſſione, niſi generatim dicere, ſe peccaſſe cogitatione, verbo, & opere.

Qu. utrum ei danda Sacramentalis Abſolutio.

CAS. III. Vitalianus Parochus cum inſignem habeat Reliquiam alicujus Sancti, obtenuit a Summo Pontifice, ut in ejus natalitio, die feſtum ejuſdem cum officio proprio celebretur in ejus Eccleſia. Hanc tamen Reliquiam viſitari, atque approbari non curavit ab Epiſcopo, quia de ejus identitate certo illi conſtabat.

Qu. utrum poſſit nihilominus celebrare officium.

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. URbanus Confeſſarius Tiburtii hunc induxit, ut Teſtamento eligat ſepulturam in Eccleſia S. Blaſii.

Qu. utrum pœnas aliquas incurrerit.

CAS. II. Scipio vendidit centum modios tritici Aurelio: ſed ante pecuniæ ſolutionem ipſe Aurelius decoctus eſt. Idem tamen individuum extat triticum in horreis Aurelii decocti.

Qu. an Scipio cæteris creditoribus ſit anteferendus, & totum triticum illi reſtituendum.

CAS. III. Eugenius decem aureos promiſit famulo ſuo, ſi Daſnem ſpecioſam puellam blanditiis, aliiſque artibus trahat ad ſuam explendam cupiditatem. Famulus illam ſeducit, & cum ſeducta puella fornicatur Eugenius. At expleta libidine negat ſtare promiſſis.

Qu. utrum teneatur decem promiſſos aureos dare famulo.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. BErnardinus ſcit Joannem non eſſe verum Parochum, ſed habere ſolum titulum coloratum. Nihilominus coram illo contrahit Matrimonium.

Qu. an hoc Matrimonium ſit validum.

CAS. II. Innocentius confeſſarius tradit chartam de rebus venereis agentem, domi legendam Catharinæ, immediate poſt confeſſionem. Suſpicata doli comburit chartam. Confeſſarius reſponſione fruſtratus, poſt aliquot dies aliam ſcribit amatoriam epiſtolam Catharinæ, ex qua intelligit

Digitized by Google

telligit primam illam epiſtolam fuiſſe incitamentum ad venerea peccata.

Qu. utrum teneatur denunciare hunc Confeſſarium.

CAS. III. Epiſcopus revocavit occulte Carolo facultatem adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ. Cum hæc revocatio nemini ſit nota, ipſe miniſterium proſequitur.

Qu. an abſolutiones ab hoc Confeſſario ſuſpenſo collatæ, ſint validæ.

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. Leopoldus teſtamento legavit Calicem Eccleſiæ S. Jacobi. Cum autem plures ſint in eodem oppido Eccleſiæ S. Jacobi, cumque non determinaverit valorem Calicis.

Qu. I. quibus conjecturis dignoſci queat, cui Eccleſiæ S. Jacobi reliquerit legatum. II. Cujus prætii debeat eſſe Calix.

CAS. II. Januarius inſignis pietatis Juvenis regulari militiæ nomen dare ardenter optat, ſed cum ære alieno gravatus ſit, dubitat utrum poſſit amplecti monaſticam vitam; & de hac re conſulit ſuum Confeſſarium.

Qu. quid illi reſpondere debeat Confeſſarius.

CAS. III. Leonardus, qui cum mulieribus libere agere ſolet, ſe accuſat de habitis, cujuſcumque ſpeciei, tactibus.

Qu. quos, ſecluſa prava intentione, & periculo debeat Confeſſarius judicare de ſe, & natura ſua mortales.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. Thomas cum privilegio gaudeat perſonali, celebrandi in omnibus privatis Oratoriis, dummodo hoſpitaverit, ubi celebrat; ut mortem gerat piis quibuſdam & nobilibus perſonis, quæ Sacrificio Miſſę quotidie optant intereſſe, in illarum domo pernoctat ſolum, putans hoc ſatis eſſe, ut verificetur illum hoſpitari: Miſſamque celebret in Oratorio dictæ domus.

Qu. an recte intellexerit Thomas ſuum privilegium.

CAS. II. Alexander habet Oratorium publicum, in quo duo ſunt oſtia lateralia, quorum unum ducit ad cubiculum domus, alterum ad viridarum. Parochus hæc oſtia claudi debere contendit.

Qu. jure an injuria contendat.

CAS. III. Damianus obtinuit gratiam a ſummo Pontifice, cum clauſula *non obſtantibus &c.*

Qu. I. utrum hæc clauſula tollat vitium ſubreptionis, & obreptionis: II. utrum deroget decretis Tridentini.

Digitized by Google

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. IGnatius matrimonium iniit cum Tarquinia, quam poſtea conjugatam eſſe deprehendit. Ex ea habuit filium, quem cum odio proſequatur, habita notitia nullitatis conjugii, tamquam illegitimum privat hęreditate.

Qu. an injuſte.

CAS. II. Benedictus penſionem obtinuit a Papa, cui tamen non narravit ſe beneficio ſimplici, & duabus aliis frui penſionibus.

Qu. an gratia conceſſa ſit ſubreptitia & nulla.

CAS. III. Conſtantius, quamvis ſciat inſidias ſibi eſſe paratas a Paulo marito Agnetis, cum qua turpem jamdiu habet amicitiam, nihil ominus cum eam adulterari pergit. Nudato enſe aggreditur a Paulo: a cujus impetu, dum ſe tuetur Conſtantius hoſtem lethali vulnere ſauciat, qui non multo poſt moritur.

Qu. an Conſtantius teneatur ad reſarcienda damna ſecuta ex hoc homicidio.

LAUS DEO.

CA-

CASUS IN DIŒCESI

Ad reſolvendum propoſiti, nunc vero reſoluti

ANNO MDCCLXXVI.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. Febronius Confeſſarius facultatem obtinuit, ſed *oretenus* ab Epiſcopo abſolvendi a quibuſdam caſibus reſervatis. Eo defuncto dubitat, utrum illa juriſdictio perſeveret.

Qu. vera reſponſio?

Reſp. Certum eſt gratiam factam non expirare morte concedentis. Patet hoc clariſſime *ex cap. Si ſuper gratia 9. de offic. Deleg. in 6.* ubi hæc inter cætera habentur*: Æquum eſſe cenſemus, ut ſicut ipſa gratia morte non perimitur concedentis &c. Ex cap. ſi cui nulla* 30. *De Præcep. in 6. hujuſmodi gratia (quam cum ſpecialem gratiam contineat decet eſſe manſuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis.*

At facultates, inquis, de quibus modo loquimur & gratiæ, non ſcripto, ſed oretenus ſunt conceſſæ. Verum idem dicendum cenſeo de facultatibus, & gratiis ſcripto conceſſis, ac de iis, quæ viva voce conceduntur. Ad ſubſtantiam enim, & eſſentiam Privilegii non riquiritur ſcriptura, ſed ſolum ad ejus probationem in foro externo: ac propterea gratiæ oretenus, ſive vivæ vocis oraculo conceſſæ ſubſiſtunt etiam poſt obitum concedentis. Id facillime oſtenditur ex cap. 7. Inſtit. cauſ. 25. q. 2. *Inſtitutionis noſtræ decreta . . . . ſine aliqua conſtituimus refragatione ſervari, ſive quæ ſcripto decrevimus, ſive quæ in noſtra præſentia videntur eſſe diſpoſita*: ubi ſic Gloſſa: *ſententia Principis facit jus, licet non redigatur in ſcriptis*. In extravag. quoque *Etſi Dominici. De Pœnit. & Remiſ.* videtur, ſummum Pontificem ejuſdem valoris declarare *conceſſiones & facultates tam ſcripto, quam verbo factam & impoſterum faciendas*. Gratiæ autem, & facultates conceſſæ ab Epiſcopis voce tenus, ſe habent ut oracula vivæ vocis. Sunt enim conceſſiones & privilegia verbo ſolum conceſſæ, nec ſcripto commiſſæ: atque propterea ſicut hæc oracula ſuam tuentur vim etiam poteſt obitum concedentis, niſi a ſucceſſore ſint revocata, ita perſeverant gratiæ conceſſæ ab Epiſcopis.

CAS. II. Rodericus facultatem habuit ab Epiſcopo abſolvendi a caſibus reſervatis, cum hac clauſula *ad beneplacitum noſtrum*: Lucretius vero eamdem conſecutus eſt facultatem, ſed cum alia hac clauſula, *ad libitum voluntatis noſtræ*. Quær. I. quænam inter binas haſce clauſulas differentia intercedit. II. utrum facultates conceſſæ cum illis clauſulis expirent morte concedentis.

Reſp. ad primum. Barboſa Tract. de Clauſ. uſufrequentioribus cum Menoch. aliiſque docet *ad libitum voluntatis noſtræ* liberam omnino voluntatem ſignificare; *beneplacitum* vero ſignificare arbitrium boni viri. Quare ſecunda hæc clauſula aliquid amplius continet: ſupponitque voluntatem bonis, juſtiſque de cauſis permotam, quibus manentibus æquum non ſit eam revocare.

Reſp.

Reſp. ad ſecundum. Difficultas oritur ex *cap. ſi gratioſe de Reſcriptis in 6.* ubi hæc habentur: *ſi gratioſe tibi a Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, poſſes uſque ad ſuæ voluntatis beneplacitum obtinere: hujuſmodi gratia per ejus obitum, per quem ipſius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipſo expirat. Secus autem ſi uſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta. Tunc enim quia ſedes ipſa non moritur, durabit perpetuo, niſi a ſucceſſore fuerit revocata.* Ex quo textu patet, quod ſi facultas conceſſa ſit non ad *beneplacitum Sedis*, *ſed ad Beneplacitum concedentis* expiret morte ipſius concedentis.

Hinc Henriquez aliique apud Boſſium de Trip. Jub. Priv. Sect. 3. Caſ. 2. §. 1. & apud Giribaldum Tract. 7. cap. 13. Dub. 9. facultates Confeſſariis conceſſas ad *beneplacitum* Epiſcopi expirare morte ipſius Epiſcopi, quia eo decedente ipſius voluntas, & placitum ceſſat omnino. Non deſunt tamen permulti apud eumdem Giribaldum, qui arbitrantur ad *beneplacitum noſtrum* idem eſſe ac ad *beneplacitum Sedis*. Facultates enim, quas elargitur Epiſcopus ſunt ipſius Sedis, eaſdem nomine Sedis tribuit. Illud ſaltem certum videtur, quod etiamſi defuncto Epiſcopo facultate hujuſmodi *ipſo jure* fortaſſe expirent, poſſe tamen cenſeri confirmatas niſi a Capitulo Sede vacante, aut a Vicario Capitulari, vel ſucceſſore Epiſcopo revocentur. Cum enim notum ſit facultates has plurimis eſſe conceſſas, & notum pariter ſit quod omnes, aut fere omnes iis uti non deſinant, quamvis confirmationem ipſarum expreſſam non poſtulaverint, videtur tacitam adeſſe confirmationem ob commune animarum bonum.

CAS. III. Sempronius abſolvit directe Cappellanum a copula cum Parochiana, non quæſita prius licentia a Superiore, quia putavit hanc reſervationem ceſſaſſe morte Epiſcopi.

Qu. utrum verum putaverit?

Reſp. Res valde dubia eſt, in utramque partem a Theologis diſputata. Si caſus reſervantur in Synodo, eorum perſeverat reſervatio etiam poſt mortem Epiſcopi, qui habuit Synodum. Nam reſervatio in Synodo facta, ut docet Benedictus XIV. de Synodo lib. 5. cap. 4. n. 3. induit naturam legis, quæ nullo contradicente perpetua eſt, & quamdiu non revocatur perſeverat. Reſervatio autem facta extra Synodum non ab omnibus reputatur perpetua, opinantibus pleriſque Theologis: quos ſequuntur Gavantus in manuali Epiſcoporum verb. Caſus reſervati n. 16., Roncaglia in Theol. moral. lib. 2. qu. 7. tit. 2. illam decedente Epiſcopo, a quo facta eſt, illico expirare, aliis ex adverſo cum Capeavil. de caſib. reſervat. part. 1. cap. 5. in fine, contendentibus, etiam tum perpetuam eſſe, & durare, donec a ſucceſſore vel expreſſe, vel tacite revocetur.

Cum igitur copula Capellani cum Parochiana ſit caſus reſervatus extra Synodum, hinc merito quæritur, quid de Sempronio, qui directe abſolvit Capellanum, dicendum ſit. Reſp. Sempronium non debuiſſe abſolvere Capellanum, quia periculo nullitatis expoſuit abſolutionem. Eſt enim ſaltem eque probabilis ſententia, quæ docet perſeverare etiam reſervationes factas extra Synodum, niſi revocentur a ſucceſſore.

MEN.

CAS I. Marcellus abſolutus a quibuſdam caſibus reſervatis vi Jubilæi, antequam cetera injuncta opera exequatur, iterum labitur in eadem peccata reſervata.

Qu. utrum poſſit ſecunda vice ab iiſdem abſolvendi?

Reſp. Affirmative; immo toties Marcellus abſolvi poteſt, quoties eo tempore diſpoſitus indiguerit. Nam Jubilæum abſolutionem a reſervatis non limitat ad unum actum, ſed concedit indefinite, & abſolute pro toto ipſo Jubilæi tempore, donec pœnitens ipſum fuerit lucratus. Ita Communis cum Boſſio de tripl. Jub. privil. Sect. 1. Caſ. 15. Giribald. De pœnitentia tract. 7. Cap. 21. dub. 4. & aliis. Quod quidem ſatis clare eruitur ex Pontificiis Bullis, maxime vero ex Conſtitutione Benedicti XIV. *Inter præteritos*; in qua dum Pontifex teſtatur ſe omnes de Jubilæo quæſtiones congeſſiſſe, & explanaſſe, declarat, quod ſi quis poſt factam Confeſſionem iterum antequam cetera opera præſtet, in læthale labatur, debeat iterum confiteri, ut opus ultimum in gratia compleat; quin tamen eidem gratias, & privilegia neget in Jubilæo conceſſa; quemadmodum illis negat, qui poſt obtentum Jubilæum iterum in reſervata labuntur. Nempe concedit Pontifex, ut quis pluries Jubilæi indulgentiam conſequi poſſit, ſi injuncta opera repetat, ſed ſimul decernit, non debere iterum gratiis, & privilegiis frui; & expreſſe monet, Confeſſarios uti non poſſe facultatibus *cum iis pœnitentibus, qui hujus Anni Sancti Jubilæum ſemel jam lucrati fuiſſent*. Ex quibus patet, Pontificis mentem eſſe pœnitentes gratiis, & privilegiis in Jubilæo conceſſis frui, & potiri poſſe, donec ipſum Jubilæum fuerint conſecuti. Igitur Marcellus, antequam cetera opera exequatur, poterit iterum, iterumque a reſervatis abſolvi.

CAS. II. Antonio cenſuris iunodatus, & reſervationibus plurimis obſtrictus, confeſſionem habuit durante Jubilæo, ſed invalidam, & irritam.

Qu. utrum liber remanſerit a cenſuris, & reſervationibus?

Reſp. Multis verbis, ac diſtinctionibus caſum hunc a Theologis diſputatum invenio, ut videre eſt apud Suarez Tom. 4. in 3. part. diſp. 31. n. 22. &c., & Boſſium de tripl. Jub. privil. Sect. 1. Caſ. 34., & 35. Diſtinguunt enim primo an confeſſio fuerit irrita culpabiliter ſeu ſacrilege; an vero ſimpliciter invalida, & bona fide facta. Idem diſtinguunt cenſuras a peccatis reſervatis. Si confeſſio fuit culpabiliter irrita, & ſermo ſit de reſervatis (etſi non deſint qui affirment, ut Henriquez, aliique, apud Lacroix) communiter tamen negant, Antonium fuiſſe a reſervatis abſolutum; abſolutum tamen habendum eſſe judicant a cenſuris, itemque rite in votis; & ſuper irregularitatibus diſpenſatum. Et ratio eſt quia abſolutio cenſurarum, commutatio votorum, & ſuper irregularitatibus diſpenſatio non dependet a Sacramentali peccatorum abſolutione; neque alia in pœnitente requiritur diſpoſitio ad eas obtinendas niſi ut intendat perficere opera requiſita ad lucrandum Jubilæum. Contra vero eſt de peccatorum reſervatione. Nam Confeſſarius delegatus vi Jubilæi, aut cujuſcumque Bullæ non poteſt in foro conſcientiæ reſervationem tollere, niſi virtute ipſius abſolutionis (non enim facultatem habet, ut ſuperior tollendi reſervationem, & alium delegandi, qui a peccatis abſolvet). Igitur nulla exiſtente, & irrita abſolutione a peccatis, nulla tolletur reſervatio.

Si

Si autem Confeſſio fuit nulla inculpabiliter, nempe vel defectu Contritionis in pœnitente, vel defectu Confeſſarii, abſolutum omnino Antonium judicat ſive a cenſuris, ſive a reſervatis, nam pœnitens, ut ajunt. & ad Confeſſionem acceſſit, & animum habuit paratum, & verum lucrandi Jubilæi; Ita De Lugo Diſput. 20. num. 110. Viva de Jub. quæſt. 11. art. 2., & alii.

Verum nos opinamur, Antonium per Confeſſionem irritam, & invalidam, in ſuis Cenſuris, ac Reſervationibus remanſiſſe. Siquidem ejuſmodi abſolutionum favores, & gratiæ in Pontificiis Bullis non conceduntur abſolute, ſed ut fideles Jubilæum lucrentur, ſive in ordine ad Jubilæum lucrandum. Atqui per invalidam Confeſſionem Antonius Jubilæum non lucratur, nec ad lucrandum diſponitur. Ergo nec favoribus, & gratiis fruitur. Id quod certum mihi videtur poteſt Magni Benedicti XIV. declarationes. Nam primo in Conſtitut. *Convocatis* Num. XLVI. declarat Pontifex, Confeſſionem præſcribi, & eſſe *opus injunctum*, & peragendam etiam ab eo, qui ſolis peccatis venialibus teneatur, ſi hoc Jubilæum lucrari velit. Secundo num. XXXVIII. monet, Confeſſarios facultatibus tam abſolvendi, quam vota commutandi uti non poſſe *niſi cum iis pœnitentibus, qui præſens anni Jubilæum conſequi ſincere, & ſerio volunt, atque ex hoc animo ipſum lucrandi ad Confeſſionem apud ipſos peragendam accedunt.* Quid clarius ut intelligas, Jubilæi favores & gratias cujuſcumque abſolutionis, ſive diſpenſationis iis minime ſuffragari, qui ſacrilegam Confeſſionem ponunt, & ſacrilego animo ad Confeſſionem accedunt? Diſtinctionem vero illam inter Cenſuras & Reſervationes a pluribus fieri ſolitam idem Pontifex omnino ſuſtulit ead. Conſtit. *Inter Præteritos* §. V. Variis enim relatis DD. opinionibus ſic concludit: „ Nos vero ad omnem difficultatem tollendam in Inſtructione in-
„ junximus non poſſe a Pœnitentiariis ullas abſolutiones, commutatio-
„ nes, ac diſpenſationes dari *extra actum Confeſſionis*; idque Nobis &
„ congruum eſſe, & materiæ gravitati, ac miniſterii qualitati conve-
„ niens viſum eſt, atque præterea omnem controverſiæ anſam eripit,
„ & conforme eſt praxi Pœnitentiariæ noſtræ Apoſtolicæ, quemadmo-
„ dum in Theſauro *De Pœnis Eccleſ. part.* 1. *cap.* 12. videre eſt „.

Idem porro dicendum videtur etiamſi Antonius Confeſſionem fecerit irritam inculpabiliter, & bona fide. Nam ut monet Sanctus Carolus in Act. Eccleſ. Mediolan. part. 7. de Jubilæi conſecutione, *ante omnia unicuique ſedulo curandum eſt, ut conditiones a Sanctitate ſua in litteris conceſſionis ipſius Jubilæi expreſſas diligenter obſervet, quoniam minime illud conſequeretur, qui eaſdem non obſerveret.* Atqui inter præcipuas Jubilæi conditiones, injunctaque opera eſt vera Sacramentalis Confeſſio, ut dictum eſt. Ergo qui veram Confeſſionem non ponit, nec Jubilæum, atque ideo nec favores in Jubilæo conceſſos conſequetur. Neque bona fides Antonium juvare dicenda eſt. Etenim ſi inculpabiliter v. g. per oblivionem aliud opus injunctum omiſeris ut jejunium, Eleemoſynam, Eccleſiæ viſitationem an ideo Jubilæum lucratus eris? Ergo a pari. Denique Confeſſarius intantum abſolvit, in quantum pœnitentem putat diſpoſitum ad Jubilæum conſequendum juxta Pontificis mentem. Porro forma abſolutionis non operatur ultra intentionem proferentis: & *actus agentium non operatur ultra intentionem ullo eorum. L. non omnis ff. de rebus cred. & fin. de prabend.* Igitur a Cenſuris, & Reſervationibus non erit Antonius liber, nec abſolutus.

CAS.

CAS. III. Vitalis Quadrageſimali tempore præparat hæro ſuo ſic jubenti cibos vetitos, quos certo ſcit illum non poſſe abſque gravi culpa manducare. Qu. utrum Vitalis excuſari poſſit a peccato?

Reſp. Certum eſt actiones omnes, quæ in peccatum proximi influunt, generatim eſſe illicitas ex lege Charitatis, eaſque propterea qui ſcienter exercent, a peccato ſcandali non exſcuſari. Sed excuſat ne aliquando a peccato rationabilis cauſa? Diſtinguo: vel actio eſt per ſe in peccatum influens, & mala, vel per ſe indifferens eſt, & ex ſola operantis malitia ad peccatum ordinatur. Si primum, nulla cauſſa excuſat unquam a peccato; quia quod per ſe in malum influit, per ſe & intrinſice malum eſt. Si ſecundum, utique ſi adſit gravis cauſſa actionem ponendi, poteſt quis eam ſine peccato ponere. Nam ex lege charitatis tenemur peccatum proximi impedire, quando ſine gravi incomodo, aut damno id facere poſſumus. Doctrina communis eſt, & cohærens ii, quæ docet Angelicus 2. 2. quæſt. 43. art. 8.

His poſitis, Vitalem a peccato excuſant permulti ex cauſſa famulatus, quem ſine detrimento deſerere nequit. Nam inquiunt eibos præparare eſt res per ſe indifferens; cibi enim per ſe ad vitæ ſuſtentationem ordinantur, & ex alia parte famulus officio ſuo fungitur, quod, & aliis diebus præſtare ſolet; neque Domino comedenti inſervit, quatenus legem violare vult, ſed quatenus prandet, vel cenat. Igitur non dat operam rei illicitæ per ſe, ſed tantum ex mala comedentis voluntate. Ita cum Cajetano, & Azorio, Reginaldus, Facundez, Bonacina, aliique permulti communiter.

Verum Daniel Concina diſſert 2. de jejun. quæſt. 9. etſi fateatur, hanc eſſe opinionem apud Doctores communem, totis tamen viribus contendit, nullo modo poſſe prædictum famulum a culpa excuſari. Nam utique carnes coquere, & præparare eſt actio ex genere ſuo, indifferens, ſicut ex genere ſuo, & abſolute indifferens eſt carnes comedere. At vero carnes præparare, & ad menſam apponere in die jejunii, actio omnino eſt mala, ſicuti carnes in die jejunii comedere malum eſt. Igitur famulus carnes apponens, quibus Dominus in die jejunii veſcatur, peccati reus eſt; quemadmodum peccati eſt reus, qui ſcalam Domino parat, & tenet, ut Dominus aſcendat ad ſtuprandam virginem, ut conſtat ex Decreto Innoc. XI. qui contrariam propoſitionem num. 51. proſcripſit.

Neque juvat reponere in caſu prop. damnatæ actionem eſſe per ſe malam, & nunquam licitam; in noſtro vero caſu eſſe per ſe indifferentem. Nam & ſcalæ aſcenſus actio per ſe indifferens eſt, & ex ſola circumſtantia finis bona evadit, vel mala. Sic aſcenſus ſcalæ ad defendendum Innocentem, ad ſuccurrendum Infirmo, actio bona eſt; ad ſtuprandum vero, vel furandum eſt mala. Atque idem porro eſt in noſtro caſu. Apponere carnes abſolute actio indifferens eſt, ſed apponere in circumſtantia jejunii, ſeu præcepti tranſgrediendi, actio per ſe mala eſt. Itaque Vitalis a peccato nequit excuſari.

Hinc ad eludendas rationes afferri ſolitas de damnis, ac detrimentis, quibus famuli ſubjicerentur, pro praxi concludit. Quia Catholici Domini multis de cauſſis in Quadrageſima indigere poſſunt eſu carnium; ideo famuli ſemper præſumere debent, Dominos ſuos juſta de cauſſa carnes comedere, neque ipſorum eſt inquirere, an cauſa vera ſit, aut apparens; unde officio ſuo fungantur, & quieſcant. Quod ſi ita ſce-

 leſti,

leſti, & impudentes eſſent Domini, qui aperte dicerent, ſe non ex neceſſitate aliqua comedere carnes velle, ſed quia de Eccleſiæ præcepto nihil curant, profecto ii, tanquam de fide ſuſpecti, eſſent denunciandi, atque ut perditæ conſcientiæ homines deſerendi, & fugiendi tanquam ſcandali, & impietatis occaſio. Atque hæc quidem Chriſtianæ morali apprime congruere evidens eſt.

MENSE MARTIO.

CAS. I. DEmetrius, & Nerius Confeſſarii commutaverunt virtute Jubilæi quadam vota ſuorum pœnitentium: ſed ille commutavit in minus bonum; hic vero hac ratione, *commuto in id, quod mihi, aut alteri Confeſſario impoſterum videbitur idoneum*.

Qu. utrum uterque, aut neuter, aut quis invalide commutarit?

Reſp. ad I. Equidem multorum opinio eſt voti commutationem maxime in Jubilæo poſſe fieri in minus bonum; primo quia ſecus Privilegium nihil operaretur, cum commutare votum in bonum æquale liceat ipſi voventi. 2. Quod multis dubitationibus, & ſcrupulis res eſſet expoſita, ſi perfecta æqualitas omnino eſſet in commutatione obſervanda. Ita Bonacina diſ. 4. q. 2. punct. 7., & Leander tract. 1. diſp. 18. q. 12. cum Medina Leſſio, Toleto, aliiſque.

Verum communior, probabiliorque opinio eſt ſimplicem commutationem natura ſua poſtulare æqualitatem rei ſubrogatæ. Nam ex D. Thoma commutatio eſt contractus quidam inter voventem, & commutantem nomine Dei. Sed contractus quilibet poſtulat æqualitatem; & æqualitas in eo conſiſtit, ut materia ſubrogata æquet illam, cui ſubrogatur. Ergo nequit in ſimplici commutatione voti res minus bona ſubſtitui.

Prior vero illa adverſariorum ratio falſo nititur ſuppoſito. Quamvis enim permulti putent, poſſe votum in melius, aut in æquale bonum a vovente propria auctoritate mutari; id tamen naturæ commutationis omnino videtur adverſari. Nam ut clare ratiocinatur D. Thomas in IV. diſtinct. 38. q. 1. art. 4. *Commutatio eſt quidam contractus, qui perfici nequit abſque conſenſu utriuſque partis; & ideo perfici nequit abſque conſenſu ejus, qui vicem Dei gerit in Terris, ſcilicet Prælati; niſi forte unum votum ab alio includatur*. Ratio ſecunda nullius eſt ponderis; nam æqualitas in commutatione non arithmetice, aut mathematice, ſed moraliter accipienda eſt, ſeu quæ prudenter & bona fide talis exiſtimatur, habita rerum, & perſonarum ratione, quin anxietatibus, aut ſcrupulis detur locus.

Confirmatur; quia alioquin nullum eſſet diſcrimen inter ſimplicem commutationem, & eam, quæ cum diſpenſatione miſcetur, ut recte obſervat Benedictus XIV. Conſtit. *Inter Præteritos* §. 3. Qui ideo beneficus Pontifex cum voluerit Anno Jubilæi 1750. non ſimplicis commutationis, ſed mixtæ diſpenſationis beneficium impertiri, profitetur ſe in Bulla *Convocatis* conſulto ad verbum *commutare* vocem *diſpenſando* inſeruiſſe, ſicuti ad tollendas quæſtiones, num in facultate vota relaxandi, etiam intelligantur vota juramento confirmata, vocem *jurata* addidit §. 8. *Omnia, & ſingula ſimplicia vota, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervata*, etiam jurata, *commutare* diſpenſando *poſſint in alia pia opera*. Obſervet ergo Confeſſarius, quæ ſibi facultas in Jubilæo ſit

ſit impertita, quia poteſtas delegata, ut ſubdit idem Pontifex, *ſemper intra præciſos limites in litteris diſpenſationis præſcriptos reſtringi debet*. Non potuit ergo Demetrius vota ſui pœnitentis per facultatem ſimpliciter commutandi, quam ſolam conceſſit Pius VI. in Bulla *Summa Dei*, in minus bonum commutare.

Ad II. Nerius autem commutavit valide. Ratio eſt, quia commutatio voti revera facta eſt intra Jubilæi tempus; nec ſibi Nerius reſervat, aut alteri delegat facultatem commutandi, ſed ſimplicem tantum determinationem materiæ ſubrogandæ in locum voti. Quæ determinatio cum non ſit actus juriſdictionis, ſed prudentiæ, fieri etiam poteſt, Jubilæo tranſacto. Ita Navar. in Man. cap. 26. num. 13., Graffius, Sanchez, & alii apud Boſſium ſec. 2. Caſ. 41.

CAS. II. Marcus vovit, ſe daturum Aſcanio pauperi eleemoſynam trium aureorum, & dotem puellæ, ad libitum, a ſe eligendæ.

Qu. utrum poſſit vigore Jubilæi diſpenſari ad his votis?

Reſp. Ad primum, vel Marci votum, & promiſſio ab Aſcanio fuit acceptata, vel non. Si acceptata fuit, dico non poſſe virtute Jubilæi ab eo voto diſpenſari, nec in aliud opus commutari ſine conſenſu ejuſdem Aſcanii, in cujus utilitatem factum eſt, quicquid ſecus opinentur Leander, Trullenchus, & Tamburinus. Etenim per acceptationem acquiſitum eſt jus Aſcanio, quod ipſo invito remitti nequit ſine ejuſdem juris violatione. Atqui nullum Privilegium impertiens facultatem commutandi vota, aut diſpenſandi, poteſtatem facit lædendi jus tertii; ergo nequit votum illud diſpenſari, aut commutari. Quod adeo verum eſt, ut etiam in Conſtitutione *Summa Dei* Pii VI. fel. Regn. pro Extenſ. Jub. 1775. id perſpicuis verbis cautum ſit. Nam §. *Inſuper* facultatem commutandi vota concedens Pontifex addit: *Caſtitatis*, *Religionis*, *& obligatoriis*, *quæ a tertio acceptata fuerint*, *ſeu in quibus agatur de damno tertii*, *ſemper exceptis*. Hinc ſi e contra acceptatum non fuit votum ab Aſcanio, recte poterit commutari, eo quod is in promiſſam eleemoſynam nullum habeat jus. Idem dicito ad II. de Dote danda puellæ ad libitum eligendæ. Namque ſi nulla adhuc electa, ac determinata eſt puella, nulli ad eam promiſſionem eſt acquiſitum jus. Ita Communis cum Boſſ. l. c. Caſ. 7.

CAS. III. Fernandus nobilis, & dives multos habet ſervos. Quibuſdam, etiam quadrageſimali tempore, graviſſimos imponit labores, cum quibus nequit componi jejunium; alios vero tam ſero dimittit, ut cum nequeant uſque ad illam horam protrahere prandium, frangant ſæpe jejunium.

Qu. I. utrum Fernardus peccet? II. quomodo cum illis ſervis ſe gerere debeat Confeſſarius?

Reſp. Ad I. dico, Fernardum graviter peccare. Etenim Domini temporales tenentur ſubditorum, & famulorum curam habere; ut monet Apoſt. 1. Thim. Cap. 5. *Si quis ſuorum*, *& maxime domeſticorum curam non habet*; *fidem negavit*, *& eſt infideli deterior*; atque ideo curare debent, ut præcepta tum juris Divini, cum Eccleſiaſtici obſervent; ad id enim tenentur ex præcepto IV. Decalogi; eo quod Domini ſint totius familiæ, atque ita etiam famulorum caput, & parentum vices gerant; unde ſervos ſic monet Apoſt. Epheſ. 6. 5. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore*, *& tremore*, *in ſimplicitate cordis veſtri*, *ſicut Chriſto*. Igitur multo magis tenebitur Fernandus

eos labores famulis non imponere, quibus a præceptorum, velut jejunii obſervatione impediantur, nec ita ſero ad prandium dimittere, ut cogantur jejunium frangere. Excipe quidem niſi juſta, ac legitima cauſſa fuerit: quæ tamen in caſu Fernandi divitis, & ex prava quaſi conſuetudine agentis non ſupponitur. Quæ autem juſta cauſſa eſſe queat laboris, audiatur D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3. „ Si operis „ labor commode differri poſſit, aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ jejunia prætermittenda. Si autem immineat neceſſitas ... etiam multum laborandi, vel propter conſervationem vitæ corporalis, vel propter aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem, & ſimul cum hoc non poſſint Eccleſiæ jejunia obſervari, non obligatur homo ad jejunandum „.

Idem dic relate adſeram nimis fervorum dimiſſionem. Unde reprehendendus eſt Fernardus, qui ſine juſta cauſſa id faciat. Neque ſe ex communi quadam nobilium conſuetudine tueatur. Nam I. ſi qui ſit mos, is non conſuetudo, ſed abuſus dicendus eſt, adverſus quem aſſidue per ſuos Miniſtros reclamat Eccleſia. Deinde teſtari nos ipſi poſſumus, eam certe eſſe in hac Urbe Nobilium timoratorum conſuetudinem, ut in Quadrageſima domeſticum regimen ſic temperent, quo commode poſſint & Filii, & Famuli Eccleſiæ jejunia ſervare.

Hinc ad II. Ex hac D. Thomæ doctrina habes, quid agere cum his ſervis debeat Confeſſarius; nempe ſi abſque gravi detrimento ſuo poſſunt, debent omnino eos Dominos deſerere, & apud alios famulari, qui ſuæ erga Deum & famulos obligationis non ſint immemores. Giribald. Tract. 9. in 4. Decal. Navar. Azor. Concin. & alii communiter.

MENSE APRILI.

CAS. I. JUvenalis non vult admittere ad Paſchalem Communionem ſuos Parochianos, niſi de peracta Confeſſione teſtimonium exhibeant.

Qu. quid juris?

Reſp. Quæſtionem hanc fuſe pertractant Angelicus Doctor Quodlib. 1. q. 6. art. 12., cum quo notandum eſt, pœnitentem poſſe in duplici ſtatu conſiderari, vel ut peccatorem publicum, vel ut publicum uſurarium, concubinarium &c., vel ut peccatorem talem, quales ſunt homines communiter. Si primi generis eſt, *jure* utique Parochus teſtimonium exigit peractæ Confeſſionis. Ratio eſt, quia qui publice deliquit, debet etiam publice de pœnitentia docere; & cum peccata publica cadant ſub Eccleſiaſtica diſciplina, & ad externam gubernationem pertineant, debet de illorum emendatione conſtare. At ſi de aliis pœnitentibus ſermo ſit, dico, Juvenalem *injuria* a Paſchali Communione Parochianos, rejicere, qui teſtimonium non exhibent peractæ Confeſſionis. Et ratio eſt, quia, ut ait idem Angelicus, in foro judiciali homini contra ſe creditur, ſed non pro ſe; in foro autem Pœnitentiæ homini creditur pro ſe, & contra ſe. Adde, nullum eſſe præceptum obligans ad Confeſſionem in Paſchate, ſed Confeſſionis annuæ Præcepto ſatisfieri poteſt quovis anni tempore, ut patet ex cap. *Omnis utriuſ-*

Digitized by Google

utriuſque ſexus de pœnitent., *& remiſſion.* Quid ergo Juris habebit Parochus teſtimonium in Paſchate exigendi Confeſſionis peractæ, ſi abſolute non tenentur Parochiani in Paſchate confiteri?

Objicere quiſpiam poſſet varias Synodorum Diœceſan. Conſtitutiones, & maxime Concil. Provincial. IV. Mediolanen. quibus præſcribitur Parochis de non adminiſtrando in Paſchate Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento niſi confeſſis ſibi, aut qui de peracta Confeſſione fidem ſcriptam ferant. Verum ut animadvertit Moronus in *C. reſponſis reſpon.* 21., Synodales ejuſmodi monitiones intelligendæ ſunt de ſcandaloſis, & publicis peccatoribus, ſeu de iis, de quorum fidelitate, & moribus & vita prudenter poteſt Parochus dubitare; quemadmodum ex earundem Synod. ſpiritu, & verborum contextu idem Moronus oſtendit.

Hinc Pontifex Benedictus XIV., quamvis probe conſcius particularium Synodorum, & præſertim Sancti Caroli Conſtitutionis, quam refert Inſtit. Eccleſ. 4. Tom. 3., tamen palam ibi profitetur, ſe S. Thomæ ſententiam amplecti; atque ita rem totam concludit. „ Poſtremo „ teſtimonium de peracta Confeſſione non quidem ab omnibus exigen„ dum præſcribimus, qui in Paſchate Sacram Euchariſtiam non per„ ceperint, ſed ab illis tantum qui eam indolem, moreſque præſe„ runt, ut ſuſpicionem merito injiciant, dum aſſerunt ſe ad Pœniten„ tiæ Sacramentum acceſſiſſe. Cum hæc ita ſe habeant, neminem „ quæri de nobis jure poſſe confidimus. Roncalius Conſil. 13. n. 20. „ eadem tradidit, quæ nos propoſuimus. „ *Item certum eſt, Parochum poſſe denegare in Paſchate Communionem non exhibenti Schedulam Confeſſionis, quoties prudenter credi non poſſit alicui aſſerenti, ſe confeſſum eſſe; nam tunc cum Parochianus fidem non mereatur, bene Parochus abſtinet ſe ab adminiſtranda eidem Communione.*

CAS. II. Petronius, qui voluntatem lucrandi Jubilæum animo gerebat, acceſſit ad Confeſſarium, a quo obtinuit relaxationem quorumdam juramentorum: ſed poſtea culpa ſua, & negligentia, opera prætermiſit ad lucrandum Jubilæum neceſſaria.

Qu. utrum juramenta illa reviviſcant.

Reſp. Non reviviſcere, idemque dicendum de ſublatis cenſuris, aliiſque gratiis vigore Jubilæi obtentis, quidquid contra ſenſerint Angles, Ugolinus, & Alterius a Boſſio relati ſect. 1. cap. 31. Etenim ex una parte Pontifex ad Jubilæi favores conſequendos exigit tantum, quod pœnitens *ſincerum*, *& ſerium animum habeat Jubilæi lucrandi*, *& reliqua opera ad id lucrandum neceſſaria adimplendi*. Sic Benedictus XIV. Conſtit. *Convocatis*, & Pius VI. Conſtit. *Summa Dei*. Ex alia vero parte a Confeſſario relaxatio quævis, aut abſolutio non quidem *cum reincidentia*, ſed abſolute omnino data eſt, & datur. Neque etiam ad reincidentiam dari poteſt, niſi in caſibus a jure expreſſis in *Cap. eos qui De Sentent. excomunicat. in* 6., vel quando Superior ſub tali conditione facultates concedit. Ita poſt Boſſium, alioſque antiquiores Giribald. tract. 7. de Sacr. Pœnit. Cap. 21. dub. 4. & Viva de Jubil. quæſt. 11. art. 4. quos citat, & probat Benedictus XIV. Conſtit. *Inter Præteritos* §. 9. Quid plura? Tum Benedictus XIV., tum Pius VI. aliique Pontifices id perſpecte declararunt. En verba Conſtitut. Pii VI. *Summa Dei* §. *Ceterum*: „ Si qui autem, poſt obtentas vigo„ re præſentium abſolutiones a Cenſuris, aut Votorum commutatio-

 „ nes

„ nes, ſeu diſpenſationes prædictas, ſerium illud, ac ſincerum, ad id
„ alias requiſitum, propoſitum ejuſdem Jubilæi lucrandi, ac proinde
„ reliqua ad id lucrandum neceſſaria opera adimplendi, mutaverint;
„ licet propter id ipſum a peccati reatu immunes cenſeri vix poſſint;
„ nihilominus hujuſmodi abſolutiones, commutationes, & diſpenſatio-
„ nes ab ipſis cum prædicta diſpoſitione obtentas, in ſuo vigore perſi-
„ ſtere decernimus, ac declaramus.

CAS. III. Cajetanus obtinuit diſpenſationem a quibuſdam irregularitatibus vigore Jubilæi; eoque expirato, meminit alterius irregularitatis non detectæ, vigente Jubilæo, Confeſſario delegato.

Qu. utrum a quolibet Confeſſario poſſit diſpenſari?

Reſp. Hæc quæſtio ſi ad abſolutionem a cenſuris, vel a reſervatis referatur, communis eſt, & certa doctrina; quod qui intra tempus Jubilæi ab aliqua cenſura, vel reſervato peccato abſolutus eſt, cenſeatur etiam ſublata alia quævis cenſura, & reſervatio aliorum peccatorum, quorum fuerat oblitus. Id enim clare conſequitur ex generali abſolutione, quam Confeſſarius impertitur, dum pronunciat ſe abſolvere in quantum ipſe poteſt, & pœnitens indiguerit. Suarez de Relig. Lib. 6. Cap. 17. & Boſſius ſect. 1. Caſ. 34., & alii communiter.

Idem porro de irregularitatibus, & votis docet cum Sayro, & aliis Sanchez lib. 8. de Matrim. diſ. 15. num. 17. & 18.; cujus ratio potiſſima eſt, quia utique opera a Bulla Jubilæi præſcripta alligantur tempori Jubilæi, at privilegium quod quis ex præſtatione operum obtinuit, ut ſecum diſpenſetur, ſive in cenſuris, ſive in votis, & irregularitatibus, tempori illi non aſſignatur, ſed abſolute conceditur; unde pænitens etiam elapſo Jubilæo frui privilegio poterit, ſi indiguerit.

Verum multo probabilior nobis videtur Sententia, quam ex Navarro, & Mayolo lib. 5. de irregul. cap. 51. num. 6., aliiſque loco cit. Suarez tradidit. Nam ex una parte abſolutio generalis, quæ datur ſuper peccatis, & cenſuris, non cadit ſuper irregularitates, pro quibus peculiaris diſpenſationis ratio eſt, & modus; ac proinde non cenſetur, neque cenſeri poteſt facta de irregularitatibus oblitis. Ex alia vero parte falſum omnino eſt, quod Sanchez ſupponit; nempe quod Privilegium Jubilæi, etiam Jubilæo elapſo, ſubſiſtat in eo, qui Jubilæum lucratus eſt; ſed ceſſare omnino videtur, quemadmodum ceſſant in Confeſſariis pro eo tempore privilegiatis abſolvendi, & diſpenſandi facultates. Quod adeo verum eſt ut Boſſius ipſe Sect. 2. Caſ. 45. quamvis opinionem illam probare videatur; tamen concludit: Unuſquiſque melius, & ſecurius ageret, ſi a Confeſſario obtineret non ſolum abſolutionem generalem a peccatis. & cenſuris reſervatis, verum etiam generalem diſpenſationem circa irregularitates.

Hinc habes ad Caſum Reſp. Si Cajetanus diſpenſationem generalem obtinuit etiam circa irregularitates, utique erit etiam ſuper oblitis diſpenſatus. Secutus diſpenſatus erit quidem a patefactis, ſed non ſuper oblitis, ita laud. Suarez cum Sylv. verb. *Diſpenſatio* quæſt. 6. Armill. verb. *Gratiæ* num. 5., & aliis. Immo quoad Vota multo improbabilior eſt opinio Sanchez; cum neque per generalem diſpenſationem videantur poſſe oblita relaxari: ut bene diſputat Suarez cit. c. 17.

MEN-

Digitized by Google

MENSE MAJO.

CAS. I. **V**Incentius, cum præcedenti nocte copulam habuerit cum Uxore, dubitat utrum poſſit ſequenti mane accedere ad ſacram Euchariſtiam, quam illo die cupit ardenter recipere.

Qu. quæ praxis tenenda a Confeſſariis?

Reſp. Confeſſarius abſolute, ſive, ut ait D. Thomas, *de neceſſitate* non debet a Communione prohibere conjugem preciſe ob copulam præcedenti nocte habitam. Nam a Communione non prohibet, niſi culpa mortalis; ſic enim illud Apoſtoli, *probat autem ſe ipſum homo*, explicat Trident. Synod. Seſſ. 13. cap. 7. dum ait, *eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati . . . . ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat*. Sed conjugalis copula nunquam eſt peccatum mortale. Ergo. Præterea in primitiva Eccleſia ſtatutum erat, ut fideles quotidie communicarent; ſic præſcripſit Anacletus Papa, & habetur *cap. 10. de Conſecrat. diſtinct. 2., peracta Conſecratione omnes communicent*. An vero Fideles a Conjugii opere ſemper abſtinebant?

Itaque tota Confeſſarii praxis reducitur ad id, quod eſt ſecundum *decentiam, & congruitatem* ut ait idem S. Doctor. Porro vel ſermo eſt de conjuge, qui debitum reddit, vel de eo, qui petit. Si de primo, per ſe nulla eſt ratio prohibendi conjugem a Sacramenti perceptione; redditio enim debiti eſt actus juſtitiæ, & meritorius, ut notum eſt, & perſpicue docet S. Præſul Franciſcus Saleſius Introd. ad Vit. devot. part. 2. cap. 20. ubi ſubdit: *Quindi è che per rendere queſto debito non deve alcuno eſſere privato della Communione, ſe per altro la ſua divozione lo ſpinge a deſiderarla*. Idem die de petente, ſi ſolius prolis gignendæ cauſa, & virtutis motivo petat, ſive ut Tobias 8. 9. *ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum, Domine*. Quod ſi ob delectationem, ut non raro propter naturæ corruptionem accidit, Conjugii opus præſtetur, ſecundum decentiam, & congruitatem ut ait Angelicus, prohibere det Conjugem a mundiſſimi, & immaculati Agni perceptione; idque ob quamdam corporis fæditatem, tum maxime ob mentis evagationem, & perturbationem, ex carnali delectatione ortam, ex qua debita illa devotio, & reverentia impeditur, quæ ex parte ſumentis requiritur, ut ad hoc Sacramentum accedat. Ita Divus Thomas 3. p. q. 80. art. 10. ad 5. Atque in hoc ſenſu intelligendi ſunt textus, qui afferuntur, vel ex 7. cauſ. 33. q. 4. & ex C. *Omnis de Conſecrat. diſt.* 2. vel ex pluribus Patribus, & Conciliis de removendis a Communione Conjugibus, qui ab opere conjugii prius non abſtinuiſſent; ſicut etiam quæ leguntur in Cathech. Rom. part. 2. cap. 8. num. 34.

Advertat tamen Confeſſarius ab hac indecentia aliquando poſſe ex cauſſa honeſta pœnitentem excuſari, & ad communionem admitti; ut ſi urgeat Feſtus dies magnæ devotionis, Indulgentiæ, aut Jubilæi lucrandi cauſſa; vel ſi periculum ſcandali, aut notæ immineat, ubi pœnitens Sodalis, aut Confrater cum ceteris Sodalibus non communicaret. Girib. de Euch. tr. 4. c. 10. dub. 5.

CAS. II. Andreas celebrat Miſſam in privato Oratorio, multum diſſito ab Eccleſia. Facta conſecratione, apoplexia correptus moritur: cumque nullus tunc præſto ſit Sacerdos, qui compleat Sacrificium, neque habeatur Ciborium, in quo recordantur ſpecies conſecratæ.

Qu. quid a Laico præſenti præſtandum?

Reſp. Certum eſt, quod quamvis cœptum Sacrificium debeat de jure Divino ſuppleri, & perfici, & *in caſu neceſſitatis*, ut ait Rubrica, *etiam per non jejunum*; non tamen perfici unquam poteſt a Laico. Ita Benedictus XIV. de Sacroſ. Miſſæ Sacrif. lib. 3. cap. 14. n. 6. ſcribens: *certe onus ejuſmodi eſt Sacerdotum; ita ut ſi Sacerdos reperiri non poſſit, & adeſſet Laicus, quantumvis paratus, & bene diſpoſitus ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, non poſſet ſumere Hoſtiam conſecratam, multoque minus Sanguinem. Nam eo caſu Hoſtia, & Calix in Tabernaculo eſſent concedenda, ut bene oſtendit Sotus* &c. vel, ut in caſu noſtro, reverenter in Altari accenſa Lampade, cuſtodienda, donec Sacerdos reperiatur qui ſumat.

Sed quid ſi periculum ſit, ne ſpecies corrumpantur, antequam Sacerdos aliquis adveniat, ut maxime ſpeciebus vini æſtivo tempore poſſet contingere? Sotus in 4. diſtiſt. 13. q. 2. art. 6. §. *Circa hoc*, reſpondet permittendum eſſe, quod corrumpantur potius, quam quod ſumantur a Laico.

Verum Suarez, & Vaſquez, & Lugus, & Quartus in Rubrica Miſſalis par. 3. tit. 10. num. 3. ſect. 1. dub. 2. & alii docent, in tali caſu, ſicut etiam gravis irreverentiæ imminente periculo, poſſe ſpecies a Laico ſumi. Ratio eſt, quia in ejuſmodi caſibus eligendum eſt minus inconveniens. Sed minus inconveniens eſt quod ſpecies ſacræ ſumantur a Laico, quam quod corrumpantur, aut irreverentiæ ſubjiciantur. Ergo poſſunt ſumi. Neque Laicus in hoc caſu ſumit ſpecies intuitu communicandi aut Sacrificium perficiendi, ſed ob ſervandam reverentiam illis debitam, ideoque neque præceptum non communicandi ſub utraque ſpecie ad hunc caſum ſe extendit.

CAS. III. Bonaventura perhoneſtæ familiæ vir, celebraturus ſolemniter primam Miſſam, nobiles viros, ac mulieres plurimas invitavit, proquibus etiam lautum convivium parari juſſit. Sed cum paulo ante celebrationem, collectis jam, qui ad ejus primitias fuerant invitati, ſe ſe exerceret in cæremoniis Miſſæ inadvertenter ſumpſit hoſtiam.

Qu. an poſſit nihilominus celebrare?

Reſp. negative. Etenim præcipua diſpoſitio ex parte corporis ad Miſſam celebrandam, ſumendamque Euchariſtiam eſt jejunium naturale, antiquo Eccleſiæ ſtatuto, & quidem ſub pœna excommunicationis præſcriptum *Can. Nibil 7. q. 1. Nullus poſt Cibum quantumlibet minimum ſumptum Miſſas facere præſumat ... Si quis hæc temerarie præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*.

Novimus Gobat, Tom. I. tract. 3. n. 409. qui primus hunc caſum excogitaſſe videtur, & cum ipſo Lacroix lib. VI. p. 1. num. 573. benigne annuere, ut Bonaventura in iis circumſtantiis & nobilitatis ſuæ, & interventus nobilium cognatorum, & lauti convivii poſſit etia a non jejunus celebrare, idque propter Epickiam, ob ſcandalum inde oriturum. Sed quid ſi Sacerdos non nobilis quidem, ſed honeſtæ tamen familiæ ſit? ſi convivium ſit modicum, & frugale? Fateor equidem ſcandali ſemper magnam habendam eſſe rationem, ſed contendo ſcandalum in hoc caſu temere fingi, non prudenter ſupponi. Quid enim ſcandali oriri poteſt, ſi quod caſu accidit, ingenue enarretur? Teſtis ego ipſe ſum cum pluribus abhinc annis id amico, me præſente, & conviva accidiſſet, rem nulli vel leviſſimo ſcandalo fuiſſe, ac de inopinato caſu dubitaſſe nemi-

nem

nem, eumque inadvertentiæ omnes tribuiſſe; Sacerdoti vero illi ne in mentem quidem venit, ut in ea animi perturbatione ad altare celebraturus accederet. Et certe quis ſanæ mentis homo quidquam mali ſuſpicari in eo Sacerdote præſumat, qui nuper tot Eccleſiaſticæ vitæ experimentis, & ſpiritualibus Exercitationibus ad Sacerdotium promotus eſt, & pridie ipſo cum Epiſcopo ordinante publice Miſſam fecit?

Itaque concludendum videtur quod concludit Benedict. XIV. de Sacroſ. Miſſæ Sacrif. lib. 3. c. 12. num. 4. de Caſu, in quo Sacerdos in die Natalis Domini in prima Miſſa ablutionem ſumpſerit: *Jejunii naturalis hoſtem jure illum exiſtimandum eſſe, qui affirmet vitandi ſcandali cauſſa poſſe Sacerdotem, ſumpta ablutione, jam non jejunum ſecundam Miſſam celebrare. Nemo enim eſſe poteſt, qui ſcandalum patiatur, gnarus Sacerdotem ideo reliquas duas Miſſas non celebrare, quod imprudens in prima Miſſa jejunium fregerit.*

MENSE JUNIO.

CAS I. SUlpitius commodavit Lazaro veſtem, auro gemmiſque ornatam. Sed cum domus Lazari fortuito caſu conflagrare cœperit, res proprias, quas potuit, e domo extraxit, veſtem autem Sulpitii non eripuit, quæ combuſta eſt.

Qu. utrum teneatur de jactura veſtis?

Reſp. Celebres ſunt Sanctiones juris de commodato in caſibus fortuitis, in quibus Commodatarius nequit ſimul res ſuas, & commodatas ſalvare. Scilicet I. Si res ſuæ ſunt viliores, præferre ſuas tunc ſolum poteſt, cum commodatum factum ſit in gratiam commodantis, *l. Si ut certo §. interdum ff. commodati*. II. Si res ſuæ ſunt ejuſdem prætioſitatis, poteſt ſuas præferre, ſi commodatum factum ſit ſive in gratiam commodantis, ſive in gratiam utriuſque *Gloſſa in leg. cit.*, at præferre nequit ſi factum eſt commodatum tantum in gratiam ſui; *nec enim ei* (commodatario) *ſufficit eam diligentiam adhibere, quam ſuis rebus adhibet* l. 1. §. *is quoque* ff. *de act., & oblig.* III. Si res ſuæ ſunt prætioſiores, poterit has præferre, & ſi commodatum factum ſit in gratiam ſui tantum, id eſt commodatarii; quia, ut ait Gloſſa *in l. ſi ut certo §. quod vero, diligens quilibet hoc feciſſet; non autem tenetur facere, niſi quod diligentiſſimus faceret*. Excipe tamen niſi Commodatarius ex pacto expreſſo de fortuitis caſibus ſpoponderit; tunc enim tenetur rem quamvis levem reſtituere *L. ea quidem cit.*

His poſitis cum in caſu Veſtis auro, gemmiſque contexta non minus, quam res Lazari, prætioſa videatur, & commodatum factum in ejus gratiam, dico Lazarum erga Sulpitium teneri de jactura veſtis. Ratio eſt, quia etſi generatim Commodatarius non teneatur ad caſu fortuito, quo res ſibi commodata periit, ut incendio, naufragio &c. *L. contractus* 23. *de diverſis Jur. aut qui reg. lib.* 5. *T.* 17., *& l. ſicut vero §.* 4. ff. *commodati*; tamen ſi rei commodatæ jacturam, etiam cum jactura rei propriæ vitare poteſt, damnum, quod contigit, commodanti præſtare debet, ut l. cit. exprimit: *Proinde & ſi incendio, vel ruina aliquid contigit, vel aliquod atale damnum, non tenebitur; niſi forte* (en exceptionem) *cum res commodatas ſalvas facere poſſet, ſuas prætulit.* Cujus Legis rationem affert ipſa lex. L. 1. cit. §. *Is quoque*; quia nempe Commodatarius ex natura contractus commodati *exactiſſimam diligentiam*

tiam cuſtodiendæ rei præſtare compellitur, ob tacitam conditionem, & commodum, quod ex commodato reportat.

CAS. II. Octavius reliquit Legatum Parochiali Eccleſiæ cum onere, ut quotidie cantetur Nocturnum Defunctorum cum Laudibus.

Qu. I. quibus diebus cantari poſſit, quibus non?

Qu. II. Quomodo ſuppleri debeat iis diebus, quibus nequit cantari?

Reſp. ad quæſitum perſpicue eruitur ex Decreto S. Rit. Congreg. ſub die 8. Julij 1741. his verbis concepto: „ Ubi ex diſpoſitione Teſtamentaria ſingulis diebus canendum eſt in Eccleſia Reſponſorium pro Defunctis, poteſt quotidie decantari, exceptis feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, & octavis privilegiatis, necnon tota hebdomada Majori; in prædictis autem Feſtis 1. & 2. claſſis, & octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia Teſtatorum voluntas defraudetur. Reſponſorium prædictum recitetur privatim in Choro abſolutis horis Canonicis „. Apud Cavaller. Tom. 3. Cap. 8. Decret. 3. Porro quod de Reſponſorio definitam eſt, a fortiori obtinet de Nocturno. Unde ne dierum ſolemniorum feſtivitas, ac lætitia turbetur, cantari publice non debet; & ne pia Teſtatorum defraudetur voluntas, recitabitur in Choro privatim. Feſtis in Decreto exceptis. Cavallerius Comment. in d. Decretum addit, excipiendos eſſe omnes dies Dominicos, feſta de præcepto ſingula, & Vigilias Nativitatis, & Pentecoſtes. Verum quo id jure faciat in tam perſpicua, & præciſa S. Rit. Congr. ſanctione, non ſatis video. Nam in primis ſunt multæ Dominicæ mæroris potius, quam lætitiæ, ut a Septuageſima ad Dominicam uſque Palmarum, ut notum eſt notatque ibidem Cavaller. ad Decr. 5. Cap. 11. Præterea ex Decret. S. R. C. 23. Maii 1603. *Veſperæ Defunctorum pro prima die menſis dicuntur poſt Veſperas, etiam Dominicæ, vel feſti de præcepto, ſi accidat*. Cur ergo abſolutis horis Canonicis cantari non poterit Reſponſorium, aut nocturnum Defunctorum ad ſatisfaciendum piis Teſtatorum voluntatibus, quas tam religioſe obſervandas ead. Sac. Cong. pluribus Decretis preſcripſit? Verum ſi cui placeat Cavallerii opinio, liberum ei ſit eadem amplecti.

CAS. III. Paſchaſius Capellaniam erexit in Parochiali Eccleſia cum obligatione, ut Capellanus celebret divina officia, & ſit coadjutor Parochi.

Qu. utrum Capellanus hic obligetur ad reſidentiam in Parochia, & ad curam animarum?

Reſp. Tota in caſu difficultas oriri ex eo videtur, quod Capellanus a Paſchaſio inſtitutus nominetur Coadjutor Parochi. Nam ex Barboſa *de Parocho cap. 23. num. 14.*, Coadjutores Parochorum tenentur in Parochia reſidere, & Sacramenta miniſtrare; quod etiam innuit Benedict. XIV. de Synod. Diœceſ. lib. 13. cap. 8.

Doctiſſ. Clericatus *Diſcord. For. de Juriſd. Diſc.* 54. opinatus eſt, Capellanum iſtum nec ad reſidentiæ onus, neque ad Sacramentorum adminiſtrationem teneri. Etenim Capellanus iſte Parochi coadjutor inſtituitur relate ad onus a Teſtatore impoſitum, quod eſt *Divina Officia celebrare*. Atqui Divinorum Officiorum nomine non quidem venit animarum cura ſed de jure intelliguntur tantummodo horæ Canonicæ, Miſſa, & Proceſſiones Sacræ, ut patet *ex Clem. 2. de ætate, & qualit.*, itemque ex communi DD. praxi, qui tractatur *de Divinis Officiis* elucubrantes, de Horis quidem Canonicis, & Miſſis egerunt, ſed ne verbum quidem faciunt de animarum cura, aut Sacramentorum adminiſtratione. Jam

vero

vero ſi nomine Divinorum Officiorum nec de jure veniunt cura animarum, & adminiſtratio Sacramentorum, nec de his verbum fecit Teſtator ut quid ejuſmodi onus Capellano imponere? *quod Teſtator non dixit, præſumitur noluiſſe l. quidam cum Filium ff. de Hered. inſtit.*: itemque valet axioma Juriſperitis commune, *omiſſum haberi pro omiſſo in omnibus diſpoſitionibus*, & potiſſimum in ultimis voluntatibus, ut habet Barboſa axiom. 39. num. 5. cum aliis DD. multis. Præterea ſi Capellano; de quo in Caſu, onus incumberet exercendi animarum curam, electione facta ſtatim eſſet Epiſcopo preſentandus, ut examinaretur, & probaretur ad audiendas Confeſſiones, & Sacramenta adminiſtranda ſecundum formam Trident. Seſſ. 24. c. 18. Hoc autem ab initio fundationis per annos 260. nunquam factum fuerat. Ergo. -

Quod vero ex Baboſa Coadjutor Parochi reſidere teneatur, & Sacramenta adminiſtrare: Reſp., id Barboſam docere de Coadjutore dato per Epiſcopum Parocho infirmo, vel inhabili ex defectu corporis, vel animi ad munus Parochiale exercendum. Quod locum non habet in caſu.

Verum puto, ſententiæ Clericati ab omni omnino Sacramentorum miniſtratione Capellanum ſuum eximentis, potiſſimum ſaviſſe longam illam ab initio fundationis præſcriptionem, & conſuetudinem, quæ eſt optima legis interpres. Cæterum duo videntur a Teſtatore Capellano copulative imponi. I. Celebrare divina officia. II. Ut ſit Parochi Coadjutor; quorum unum ab altero diſtinguitur, non in altero continetur, ut clericatus contendit; ut propterea Teſtator beneficio ſuo voluerit & cultum Dei in Eccleſia augere, & Parocho in cura animarum, prout indiguerit, auxiliari,

Itaque, ſi caſus occurrat, opinor Epiſcopum conſulendum eſſe qui fundationis fine, & Parochiæ circumſtantiis perpenſis definiat, num Teſtator ad popoli utilitatem vuluerit in auxilium Parochi Capellanum ſuum adjungere; ſicut pro neceſſitate faciendum præſcribit Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. ubi ait; quod ubicumque *populus ita numeroſus ut, unus Rector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo*, (Epiſcopi) *cognant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.*

Non ideo tamen dixerim, ipſum ad Reſidentiam teneri. Neque enim Parochus eſt, nec Parochi vices gerit, nec proprie animarum curam habet, cui reſidentiæ onus ſit adnexum, de quo Sacri Canones, & Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 1. ut eſt manifeſtum. Unde ſatis erit, ſi iis in locis, aut viciniis habitet, ut poſſit munere ſuo fungi.

MENSE JULIO.

CAS I. LUdovicus exigit oſcula a Flora, cum qua ſponſalia contraxit. Id verecunda puella ægre fert. Sed cum Ludovicus vehementer, cum ipſa renuit, iraſcatur, & dicta puella graviora etiam pertimeſcat mala, aſſentitur.

Qu. an excuſanda ſit a peccato?

Reſp. Quæſtionis hujus reſolutio pendet a quæſtione illa: an oſcula, & tactus liciti ſint ſponſis de futuro? Mira docent. Sanchez *lib. 9. diſp. 46. num. 48.* Tamburinus *lib. 7. cap. 3. num. 61.* Buſſembaum, & Gobat, & alii, qui horum placita exſcripſerunt. Diſtinguunt oſcula, & tactus pudi-

pudicos ab impudicis, & ſcribunt pudicos licere ſponſis *iamet propter delectationem in illis reſidentem*, immo addit Tamburinus *Sponſo licere, etiam cum pollutionis periculo prævifo, ſed non intento... ſi in occaſione eſſet ut inurbanus haberetur ſi ab illis abſtineret*. Verum hæc refellenda non ſunt, ſed deteſtanda, maxime poſt damnatam propoſitionem ab Alexandr. VII. num. 40.: *Eſt probabilis opinio eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo con ſenſus ulterioris, & pollutionis*. Cujus propoſitionis terminis ipſos quoque ſponſos includi oſtendit etiam benignus Viva *Comm. in d. prop. num.* 23.

Itaque ut recte procedamus, adnoto I. ex Divo Thoma 2. 2. q. 154 art. 5. oſcula, & tactus per ſe, ſeu *ſecundum ſuam rationem* non eſſe peccatum mortale: *poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, aut rationabilem cauſſam*. Hinc ſi fiant, cum libidine, vel libidinis periculo *ſecundum quod libidinoſa ſunt, ſunt peccata mortalia*. Si vero fiant ex vanitate, joco, levitate, ſeu petulantia veniali, erunt ſolum venialia, ſi omnis quidem abſit affectus libidinoſus, & omne periculum mortalis peccati tam in ſe, quam in alio, attenta ratione conſtitutionis perſonarum.

Notandum II. hanc Divi Thomæ Doctrinam obtinere non minus in Sponſis, quam in aliis ſolutis, quemadmodum docet eximius Suarez de peccatis diſt. 5. ſect. 5. num. 12. & Leſſius, & Comitolus, & alii. Nam Sponſi & ipſi adhuc ſunt a Matrimonii vinculo ſoluti, & Sponſalia dant quidem jus ad Matrimonium contrahendum, ſed non dant jus ad ullum vel levem Matrimonii uſum. Et certe, ut ajunt laudati DD., an quia cras a Principe creandus ego ſim judex, licebit mihi hodie aliquos juriſdictioni actus exercere? erunt ne validi, & liciti? Ita a pari. Præterea quid ſunt Sponſalia, aut cur ab Eccleſia inſtituta? *A prima ſponſione*, inquit Angelicus ſupp. qu. 43. art. 1. ad 6. *dicuntur ſponſalia proprie, quæ ſunt quædam Sacramentalia, ſicut Exorciſmus Baptiſmi*. Nempe ſunt prævium virtutis exercitium, quo Sponſi ad Matrimonii Sacramentum rite celebrandum præparentur, & ad conjugalis ſtatus exercenda munia, & ſuſtinenda onera diſponantur. Unde Sponſalia ad Sacramentum Matrimonii ita ſe habent, ut Cathecumenatus ad Baptiſmum, Tonſura clericalis ad ordines, Novitiatus ad religionem, ut SS. PP. et Concilia loquuntur. Hinc recte Synodus Bononien. lib. 2. cap. 8. Parochos monet, ut Sponſos hortentur, *ut orationibus inſtent, benedictionibus a Deo replendi, eaque gratia donandi, qua pacem mutuam, & charitatem in Matrimonio joveant*. An vero cum hoc Eccleſiæ ſpiritu congruunt doctrinæ illæ, quæ Sponſis concedunt jus utendi *voluptatibus Matrimonii præambulis, & inchoativis*, ut Sanchez, & alii cum ipſo dictitant?

His poſitis vides ad caſum Reſp. Si oſcula Ludovici eſſent juxta morem patriæ, & ſolius caſti amoris, ac benevolentiæ cauſſa, excuſaretur aſſentiens Flora a peccato. At talis non eſt apud nos conſuetudo, nec facile ſanctus ille amoris ac benevolantiæ finis eſt præſumendus, & maxime in Ludovico, qui tam ardenter oſcula exigit, ut verecundæ Virgini ea detractanti iraſcatur; cumpotius, ſi pie, recteque eſſet animatus, pluris ex hoc ipſo deberet puellam facere, magiſque commendare, & diligere. Igitur in praxi oſcula iſta mala ſunt, aut certum mali periculum. Unde nequit Flora iiſdem ſine peccato aſſentiri. Quod adeo

evi-

evidens eſt, ut ipſe Lacroix *lib. VI. par. 3. num. 15.*, certe non rigidus Moraliſta, relatis Sanchez, Buſembaum. Gobat, aliorumque opinionibus, concludat. Quod autem Buſſemb. dicit licere oſcula Sponſis, ſi tantum intendant delectationem ſenſitivam, non videtur probabile, quia ordinarie ſemper aderit certum periculum conſentiendi in delectationem veneream, quæ ſimul erit conjuncta. Quanta demum cura familiaritas omnis Sponſis interdicenda ſit, patet ex Concil. Trid. *Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.*, ex Ritual. Rom. *de Sacram. Matrim.*, ex Concil. Provincial. VI. Mediolanen., atque ex Synod. Bonon. *lib. 2. cap. 8.* ac demum ex iis, quæ habet Benedict. XIV. *inſtit. Eccleſ. V. Tom. 3.*

CAS. II. Camilla nonaginta annorum mulier ſic memoria deficit, ut omnium ſuorum peccatorum oblita, neſciat in Sacramentali Confeſſione, niſi generatim dicere, ſe peccaſſe cogitatione, verbo, & opere.

Qu. utrum ei danda ſit Sacramentalis Abſolutio?

Reſp. Affirmative. Idem enim de Camilla, quæ memoria deficit, dicendum eſt, ac de eo, qui uſum linguæ non habet, diſſerit D. Thomas, aut de infirmo, qui loquelam amiſit; quibus impertiendam eſſe Sacramentalem Abſolutionem docent DD., docuitque S. Leo Ep. 91. ad Teodor. c. 4., & Auguſtinus l. 1. de Adult. Con. cap. 28. atque in Conciliis Arauſic. 1441., & Cartagin. III. & IV. expreſſis verbis fuit definitum. Et ratio eſt, quia ut docet Angelicus ſuppl. in 3. par. q. 9. art. 2. de neceſſitate Confeſſionis eſt, ut homo omnia peccata confiteatur, *quæ in memoria habet*. Igitur Camilla, quæ memoria deficit, ad aliud non tenebitur, & ſufficient generalis illa accuſatio; *quia* ut ſubdit q. cit. art. 3. ad 2. idem S. Doctor, *non exigitur ab homine plus quam poſſit*; ſive ut habet etiam regula juris 185. *ff. de diverſis jur. antiq. l. 50. tit. 17. impoſſibilium nulla eſt obligatio*.

Advertat tamen Confeſſarius ſui in primis eſſe muneris, ut hanc pœnitentem, quantum ipſe poteſt juvare ſtudeat, interrogando de peccatis, quę eam commiſiſſe veroſimiliter exiſtimare poteſt, ut ſic ei viam recordandi aperiat, & quantum fieri poteſt magis integre confitendi. De Saintbeuve Tom. 2. Caſ. 151.

CAS. III. Vitalianus Parochus cum inſignem habeat Reliquiam alicujus Sancti, obtinuit a Summo Pontifice, ut in ejus natalitio die feſtum ejuſdem cum officio proprio celebretur in ejus Eccleſia. Hanc tamen Reliquiam viſitari, atque approbari non curavit ab Epiſcopo, quia de ejus identitate certo illi conſtabat.

Qu. utrum poſſit nihilhominus celebrare officium?

Reſp. negative. Nam ex pluribus S. R. C. Decretis ad cultum Reliquiis exhibendum requiritur, ut de Reliquiæ identitate conſtet. Sic in Decret. 3 Jun. 1662. & altero 11. Auguſti 1691. *Officia SS. ratione corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martirologio Rom. deſcriptis, & dummodo conſtet de Identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti* &c. Merat. in Indic. Decret. num. 82. & 165. Porro ex Trid. Seſſ. 25. cap. *de Invocat. Venerat. & Reliq. Sanctorum* ad Epiſcopum ſpectat identitatem Reliquiarum recognoſcere, & approbare: *Nec novas Reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo*. Igitur Vitalianus, quidquid ſibi conſtet, nequit, neglecta Epiſcopi approbatione, cultum illi ſancto deferre, & officium recitare.

Unum

Unum, eſt, quod reponas: cum officii recitandi facultatem Vitaliano Pontifex ipſe dediſſet, cenſentur & ipſam Reliquiam approbaſſe. Sed contra eſt primo, quia S. Cong. ad hanc præſumptionem retundendam in Reſcriptis *Pro Gratiam* conſulto ſolet addere, *citra tamen approbationem Reliquiæ*. Secundo, Et quamvis hæc verba *citra tamen approbationem Reliquiæ* forte non addidiſſet, adhuc gratia conceſſa non eſt cenſenda approbativa identitatis Reliquiæ, cum nullum pro gratia officii concedenda in Rom. Congreg. ſuper Reliquiæ identitate, ac veritate examen Inſtituatur; quemadmodum conceptis verbis docet Bened. XIV. *De Canoniz. SS. lib.* 4. *cap.* 25. *n.* 55. ubi exemplum producit Lanceæ, quæ Pragę in Bohemia aſſervatur; de qua etſi ab Innocent. VI. inſtante Imp. Carolo IV. Indultum fuiſſet, ut Officium recitaretur, tamen aperte ſubdit: *Sed hinc argumentum inferri non poſſe dicimus ad Apoſtolicum judicium ſuper identitate Lanceæ, quæ Pragæ aſſervatur; ut eadem videlicet ſit, quæ Chriſti latus aperuit.*

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. URbanus Confeſſarius Tiburtii hunc induxit, ut Teſtamento eligat ſepulturam in Eccleſia S. Blaſii.

Qu. utrum pœnas aliquas incurrerit?

Reſp. Quid de Clericis, ac Religioſis inducentibus Fideles ad ſepulturam in propriis Eccleſis eligendam decretum ſit, habemus textu expreſſo in *C Animarum* 1. *de Sepulturis in* 6. *Univerſis Religioſis, & Secularibus Clericis, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub interminatione maledictionis æternæ, diſtrictiſſime prohibemus: ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent*. En diſtrictum Eccleſiæ pręceptum, unde *veniens contra iſtam Conſtitutionem peccat mortaliter*, ait Gloſſa *ibi*. Pœnæ autem tum in eo *c. Animarum*, tum in *Clem. Cupientes* 5. §. *ſane de pœnis* ſtatuuntur, & ſunt. I. Excommunicatio latæ ſententiæ Summo Pontifici reſervata in d. *Clem. cupientes*. II. Nullitas electionis, & hi, *qui ſic elegerint non apud electas Eccleſias, ſed ſepeliantur omnino ubi de jure ſepeliendi fuiſſent*. III. Si fuerint ſepulti in Eccleſis ſic electis, teneantur qui induxerint, ſepultorum corpora, ſi petatur, intra decem dies à petitione, & omnia, quæ occaſione talis ſepulturæ, quomodolibet ad eoſdem pervenerint, reſtituere. IV. Hęc niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ apud quas ſepulta corpora fuerint, & Cęmeteria eo ipſo ſint, & maneant interdicto ſuppoſita, donec ab eis facta fuit reſtitutio plenaria omnium prædictorum. Ita in *C. Animarum* confirmata in *Clem. cupientes*.

Ad hoc autem, ut pœnæ iſtæ incurrantur, hæc requiruntur. I. Ut inducens ſit Clericus, vel Religioſus, quo nomine etiam Religioſus non Clericus, & Monialis intelligitur. II. Ut inductio ſortiatur effectum medio voto, vel juramento, & promiſſione; non requiritur tamen effectus ſubſecutus ſepulturæ. III. Ut ſepultura electa ſit apud Eccleſiam Clerici, vel Religioſi inducentis. Unde pœnæ iſtæ non incurruntur. I. Si inducens nec Clericus ſit, nec Religioſus. II. Si quis non inducat ad votum, nec juramentum, nec promiſſionem, ſed tantum cohortetur, & juxta cohortationem in Teſtamento, vel alias cohortatus diſpone-

Digitized by Google

poneret. III. Si inducatur quidem voto, vel juramento ad eligendam ſepulturam, ſed in alia Eccleſia. Ita cum Petr. de Achar., Jo. Andr. communiter Canoniſtæ in dd. Conſtit., & Paſſerin. de hom. ſtat. q. 186. art. 4. Roder., Matthæuc., & alii, & Rota in *Carpentoraſten. ſepulturæ* 18. *Februar.* 1701.

Hinc ad Caſum patet Reſp. Si urbanus Confeſſarius induxit Tiburtium ad votum, vel juramentum, vel promiſſionem, ut ſepulturam in Eccleſia S. Blaſii, eligeret, & Eccleſia S. Blaſii ad ipſum pertineat, quia ſit Parochus, vel Capellanus, vel Canonicus, aut alias permanenter eidem inſerviens, ut notat Paſſerin l. cit. num. 419., is ſupradictis pœnis ſubiacet. Secus vero ſi vel Eccleſia Sancti Blaſii ad Urbanum non pertineat, vel Urbanus medio voto, vel juramento, vel promiſſione non induxit, ſed induxit ſimpliciter ſive cohortatus eſt Tiburtium, ut in Teſtamento de tali ſepulturæ electione diſponeret, ut videtur caſus ſupponere, prædictas pœnas nullo modo Urbanus incurrit.

Sed quid ſi Urbanus ſit Parochus Tiburtii, & Eccleſia S. Blaſii ea ſit, in qua de jure debet ſepeliri? Reſp. etiam Parochum, ſi vere inducat juxta Conſtit. terminos, Eccleſiæ præceptum violare, ac proinde peccare, & pœnas incurrere, quid quid contra dicat Bonacina T. 3. de excom. in partic. diſp. 2. q. 5. Ratio eſt. I. Quia Pontifex generatim prohibet Clericis, *cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant*. II. Quia conſtitutiones tam Bonifacii, quam Clementis latæ ſunt ad ſervandam decedentium libertatem, & Clericorum avaritiam retundendam, *ob quam* ut notat Hoſtienſis, & Gloſſa ibi, *infirmare contingit Medicos, qui ſanare debuerant*. Contra hæc autem facit Parochus, ut ſupra inducens. Ergo & peccat, & pœnas incurrit. Sed ubi ſepelietur? Reſpondet Gloſſa: *declarari* (in textu) *debuiſſet: quia ſi dicamus, quod ibi non debeat ſepeliri; ubi ergo ſepelietur? & littera dixit*: non apud illas &c. *Unde poſſet dici, quod ibi ſepelietur, non obligatione promiſſionis, ſed poteſtate juris*.

CAS. II. Scipio vendidit centum modios tritici Aurelio: ſed ante pecuniæ ſolutionem ipſe Aurelius decoctus eſt. Idem tamen individuum extat triticum in horreis Aurelii decocti.

Qu. an Scipio ceteris creditoribus ſit anteferendus, & totum triticum illi reſtituendum?

Reſp. I. Certum eſt, quod ſi res vendita, velut triticum, eſſet Eccleſiæ, vel fiſci, vel minoris, ante omnia pretium ſolvendum eſt, vel extans triticum reſtituendum: Ratio eſt, quia talis rei non eſt translatum dominium per conventionem et ſecutam traditionem, niſi reipſa pretium ſolvatur Barthol. *in l. a Divo Pio*, 15. §. *ſed ſi emptor. ff. de re judicata*, & Panormit. *in c. Cum olim, de offic. Delig.*, & patet ex *l. Si curator.* 5. *ff. de jure Fiſci*, ubi Gloſſa: *unde ſequitur, talem rem, ubicumque extiterit, etiamſi aliis vendita fuerit, poſſe vindicari*. Atque in hoc conveniunt DD., nec ulla eſt queſtio.

Queſtio, & difficultas eſt maxima de creditoribus aliis, qui merces vendunt emptoris, pretio credito, num res vendita extans in ſpecie venditori ſit reſtituenda, iſque propterea ceteris creditoribus etiam privilegiatis ſit in re ſua anteferendus? Negat prima ſententia; eo quod in contractu venditionis re conſignata emptori, pretio credito, re dominium in emptorem tranferatur, ex l. 20. Cod. de Pact. *Traditionibus dominia rerum . . . transferuntur*; & clarius in *Inſtitut. De rer. diviſ.*

§. *Ven-*

§. Venditæ, ubi dicitur: *Si is qui vendidit, fidem emptoris ſecutus fuerit, dicendum eſt ſtatim rem emptoris fieri*. Ergo res extans cum cæteris rebus & bonis Debitoris confundenda eſt, & creditoribus omnibus pro rata ſatisfaciendum. Ita Covarruv. lib. 1. variar. c. 7. num. 3. Petrus Navarr. T. 4. cap. 4. num. 39., Molina diſp. 536. et alii multi apud Vaſquez cap. 11. de Reſtit. dub. 1. num. 19.

Opinio altera docet Scipionem eſſe cæteris Creditoribus in re ſua extante præferendum. Atque id I. ex tacita quadam hypotheca, quam habet Scipio in re a ſe vendita adhuc extante. Nam jure gentium perfecte non transfertur, & omnino rei venditæ, utcumque traditæ, dominium, niſi aut pretium ſolvatur, aut alio modo fuerit venditori, ut pignore, aut fidejuſsione ſatisfactum. Sic ſtatuitur in *Inſtit. cit. §. Venditæ vero res, & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam ſi is venditori pretium ſolverit, vel alio modo ei ſatisfecerit, veluti ex promiſſione, aut pignore doto: quod quamquam cavetur ex L. 12. Tabular.. tamen recte diſcitur & jure gentium, ideſt jure naturali id effi.i*. Utique in eod. textu (quod eſt præcipuum contrariæ ſententiæ argumentum) additur, transferri etiam dominium rei *ſi is, qui vendidit fidem emptoris ſecutus fuerit*. Verum id valet inquantum Venditor nuda promiſsione contentus ſit, perinde ac ſi pretium eſſet ſolutum, ut notat Ulpian. in *L. Procuratoris 5. §. ſed ſi dedi ff. de Tributar. actione*, & Pompon. in *l. Quod vendidi 19. ff. de contrahenda emptione*. At venditor dum fidem emptoris ſequitur, & dominium transfert, non ita nuda promiſsione contentus eſt, ut intendat ſe privare omni jure & actione in rem ſuam, donec pretium ſolvatur, ut ex uſu, & communi hominum ſenſu colligitur; itemque patet ex praxi, qua conſtat, quod ſi emptor fiat in mora, aut dubiæ fidei detegatur, aut aliud immineat re extante ſolutionis promiſſæ periculum, venditor ſtatim ad rem ſuam recurrit, quaſi actionem in illam jure ſuo habeat, & hypothecam. II. Certum eſt, quod ſi Scipio domum ſuam Aurelio locaſſet, res Aurelii in domum invectæ & extantes manent ſub hypotheca pro annuis penſionibus, & damni domui illatis, *l. 2. ff. ex quib. cauſ. pign. vel hypoth. tacita contrahat*. Cur ergo a fortiori res vendita adhuc extans non putabitur tacitæ hypothecæ pro pretio ſubjecta? Sane id putant Baldus, Archidiacon. & alii Juriſperiti celebres adud Sylveſtr. v. *Reſtit. 6. q. 5.* Poſtremo, etſi id non ſatis clare ſtatuat jus poſitivum, videtur poſtulare tamen jus naturale, ſeu naturalis æquitas. Namque ab omni omnino æquitate alienum eſt, ut res venditoris adhuc extans in propria ſpecie aliis applicetur extraneis, domino ſeu venditore invito, ut ipſe re ſua ſimul, & pretio fraudetur. Ita ſentiunt Cajetanus, Medina, Fumus, Navarrus, Leſsius, & alii, quos ſequitur Dan. Concina Diſſert. 2. *de Reſtitut. cap. 14. q. 2.* concludens: „ Hæc opinio communior eſt, & fori etiam externi uſui videtur conformior „. Sed an talis revera ſit fori uſus, non auſim omnino affirmare. Caſus hic nuper Bononiæ contigit, & poſt annum & menſes adhuc ſub judice lis eſt.

CAS. III. Eugenius decem aureos promiſit famulo ſuo, ſi Daphnem ſpecioſam puellam blanditiis, aliiſque artibus trahat ad ſuam explendam cupiditatem. Famulus illam ſeducit, & cum ſeducta puella fornicatur Eugenius. At expleta libidine negat ſtare promiſſis.

Qu. utrum teneatur decem promiſſos aureos dare famulo?

Reſp. In duas ita contrarias, iiſque momentis diſputatas ſententias abeunt

DD,,

DD., ut vix definias, quæ ſit probabilior. Prima, quam docent Comitolus *l.* 3. *q.* 5., Hadrian. *in IV. de Reſtit.* §. *Reſtat inquirere*, Medina, Navarrus, Neeſſen, le Drout & nuper Dan. Concina De *Reſtit. Diſſert.* 2. *cap.* 10. & 11. cum majori Juriſperit. parte, negat teneri Eugenium ſtare promiſſis. Siquidem omnia jura & Sacra, & Civilia reclamant, & decernunt, pacta, & ſtipulationes ob turpem cauſſam initas pro infectis haberi, nulliuſque eſſe vis. Sic Jus Civile in l. *Generaliter* 26. *ff. de verb. obligat. tit.* 2. *Generaliter novimus, turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti. Et l. Pacta quæ Cod. de Pactis. Pacta, quæ contra leges, conſtitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris eſt.* Jus Canonicum in *cap. Pactiones* 8. *de Pactis. Juxta legitimas ſanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit*; ubi Gloſſa: *nulla rei turpis eſt obligatio.* Et aliæ plures ſunt ejuſmodi leges, quas congerit Comitolus loc. cit. & L. Ferraris *v. Reſtit. art.* 3. ubi tamen *n.* 18. plura inſerit, quæ ad rem non faciunt. Jam vero his legibus infertur pacta ob turpem cauſſam inita non ſolum eſſe invalida ante opus turpe patrandum, quod concedunt omnes, ſed etiam poſt ipſum opus patratum. Nam ſi promiſſio poſt factum habet vim, non certe habet ex novo pacto, cum nullum poſtea de novo fiat, ſed ex pacto, quod factum præceſſit. Sed pactum, quod factum præceſſit, ex conceſſis non habet vim. Ergo neque poſt factum. Siquidem ex Reg. 18. Jur. in 6. *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*; itemque *quod ab initio fuit invalidum, tractu temporis non convaleſcit.*

Sententia altera, quæ eſt communis apud Doctores, quos longo catalogo recenſet L. Ferraris loco cit. n. 22. & communem fatetur Concina, quidquid dicat Comitolus, docet Eugenium debere promiſſum pretium ſolvere, nititurque fundamentis ex jure naturali petitis. Nam I. Omnis promiſſio implenda eſt, cum ſine peccato impleri poteſt. Sed poſito alterius opere utcumque illicito, licite, & ſine peccato impleri poteſt promiſſio, etſi nequiret licite ante opus, ut patet. Ergo jure implenda eſt. II. Hic agitur de contractu oneroſo. Lex autem oneroſi contractus poſtulat, ut ſicut alter implevit quod promiſerat, ita alter debeat, quod promiſit, ſolvere; alioquin fidem frangeret, & juſtitiam læderet.

Leges, & Jura, quæ opponuntur, invalidant quidem promiſſionem factam ſub turpi conditione ponenda, ſed non invalidant ut factam ex ſuppoſitione conditionis poſitæ; ſive ut notant Covarruv., & Navarrus c. 7. num. 30. non reddunt irritam acquiſitionem rei ob turpem cauſſam datæ, ſed ſolum decernunt, ut ante opus patratum pacta illa habeantur invalida, & ne ex iis oriatur obligatio civilis, ob quam poſſit in judicio peti promiſſum. Neque novum eſt, multa facta tenere, quæ fieri in jure prohibentur; & ex alia parte non eſt credibile, inquit Leſſius, his legibus reſcindi obligationem naturalem, quæ ex his pactis opere patrato naſcitur.

At enim, inquiunt, nulla ex his pactis patrato opere naſcitur naturalis obligatio; Nam res turpis non eſt vendibilis, & peccatum, quod ex D. Auguſtino nihil eſt, non eſt pretio æſtimabile.

Verum in flagitiis eorum, qui ad turpiter agendum corpora vel operas ſuas locant, duo diſtingui debent; unum eſt actionis pravitas, alterum

 actio-

actionis entitas & labor, & periculum, cui ſe flagitioſus exponit, tum voluptas, aut utilitas, quam alter inde reportat. Primum quidem venale eſſe nequit; at ſecundum natura ſua vendibile eſt, & pretio æſtimabile. Quæ diſtinctio, mirum, quod tamquam ſubtilitas metaphyſica, & ad rem inepta a Comitolo, & Concina traducatur. Si enim in actione hominis prava nolint ſecerni realiter phyſicum, & morale, quomodo in Concurſu Dei ſimultaneo Comitolus, & Concina in ſua phyſica præmotione Deum a peccato innoxium ſervant? Deinde audiatur quid de pretio meretricio docet D. Tho. 2. 2. q. 32. art. 7. in corp. *quod mulier meritricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei, ſed in eo, quod accipit, non injuſte agit, nec contra legem. Unde quod ſic illicite acquiſitum eſt, retineri poteſt.* Et ſimilia habet q. 62. art. 5. ad 2., quæ dum Concina, ut ſe defendat, contra obvium ſenſum interpretari vult, vereor ne erret, & ne Angelicum Doctorem quaſi minus recte differentem traducat.

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. Bernardinus ſcit Joannem non eſſe verum Parochum, ſed habere ſolum titulum coloratum. Nihilominus coram illo contrahit Matrimonium.

Qu. an hoc Matrimonium ſit validum?

Reſp. Pendet caſus ſolutio ab ea quæſtione: An geſta per Judicem habentem occultum impedimentum ſint valida etiam reſpectu ſcientis. Negant nonnulli quos refert Sanchez *de Matrimonio lib. 3. diſp. 22. q. 4.*, ea ratione ducti, quod ideo error communis det juriſdictionem, ne ignorans abſque ſua culpa actus valore privetur; *quia* ut ait Gloſſa in *cap. ad probandum verb. innodatus de Sentent. & re judicata, divinare non poterat vitium occultum*. Ergo non proderit veritatis conſcio.

At contra omnino dicendum eſt, valere geſta per talem Judicem etiam reſpectu ſcientis. Nam Jura, quæ valida decernunt geſta a Judice occulte impedito, non attendunt errorem, aut ignorantiam unius vel alterius, ſed errorem communem. Igitur ſicut error particularis non ſufficit, ut valeant geſta Judicis notorie impediti reſpectu eorum, qui ignorant, & in errore verſantur; ita nec ſcientia particularis impedit quin valeant geſta in errore communi reſpectu ipſius particularis errorem ſcientis. Et ratio eſt, quia leges non conſiderant, quæ in particulari contingunt, ſed quæ communiter accidunt *l. nam ad ea ff. de legibus*; unde nihil immutant ob ſcientiam unius vel alterius privati, nec reſpectu iſtorum aliter diſponunt. Ita Abbas in *cap. veritatis num. 43. de dolo, & contumacia*; & Ancharan. *c. decernimus n. 11. De ſent. Excom. in 6.* & Francus, & Socinus & Sylveſt. v. *Excommunicatio q. 3. §. 5.* & alii communiter. Igitur Matrimonium Bernardini coram Joanne communiter Parocho putato erit validum, etſi Bernardinus ſit colorati tituli conſcius.

CAS. II. Innocentius confeſſarius tradit chartam de rebus venereis agentem, domi legendam Catharinæ, immediate poſt confeſſionem. Suſpicata doli comburit chartam. Confeſſarius reſponſione fruſtratus, poſt aliquot dies aliam ſcribit amatoriam epiſtolam Catharinæ, ex qua intelligit primam illam epiſtolam fuiſſe incitamentum ad venerea peccata.

Qu.

Qu. utrum teneatur denunciare hunc Confeſſarium?

Reſp. Affirmative. Omnia enim in caſu habentur, quæ ad deteſtabile ſollicitationis facinus requiruntur. Nam charta turpia continet, & a Confeſſario in Sacramentali Confeſſione, ſive immediate poſt, Chatarinæ pænitenti tradita eſt. Neque refert, quod tradita fuerit domi legenda; quæ dilatio temporis in cauſſa quidem fuit, ut Caſtropalaus *Tract.* 9. punct. 4. *diſput.* 4. docuerit non eſſe denunciandum Confeſſarium tali modo ſollicitantem: At hæc opinio vix nata reprobata fuit in Supr. S. Inquiſ. Tribunali ſub die 11. Febr. 1661. tum an. 1665. ſub die 24. Septemb. ab Alexandro VII. proſcripta n. 6. *Confeſſarius in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus*. Præterea Benedict. XIV. Conſtit. *Sacramentum Pœnitentiæ* Gregorii XV. Conſtitutionem contra ſollicitantes, & Alexand. VII. decreta confirmans perſpectis verbis denunciandos decernit, *qui aliquo Pœnitentem....ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam tentaverint &c.* Neque obſtat pariter, quod Catharina chartam non legerit, ſed combuſſerit. Primo enim id præſtitit ſuſpicata doli, quæ ſuſpicio, ubi non temere, ſed rationabiliter ejus animum ſubjecit, ſatis ea eſt, ut Confeſſarius ſollicitationis reus habeatur, ideoque denunciandus, ut advertit Laur. Cozza in *Dub. Select. de ſollicit. dub.* 32. Deinde in noſtro caſu Catharina non modo rationabiliter dolum ſuſpicata eſt, ſed ex ſecundis litteris certior reddita de facinore. Certa igitur etiam eſſe debet, ſe ad denunciandum Confeſſarium teneri.

CAS. III. Epiſcopus revocavit occulte Carolo facultatem adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ. Cum næc revocatio nemini ſit nota, ipſe miniſterium proſequitur.

Qu. an abſolutiones ab hoc Confeſſario ſuſpenſo collatæ, ſint validæ?

Reſp. In eo, qui titulum habuit a Superiore collatum, ceſſare poteſt juriſdictio vel a jure, vel ab homine; ideſt vel propter delictum, quo is jure privetur officio, vel ob Superioris revocationem, aut ſententiam. Porro ſunt nonnulli, qui concedunt valere quidem geſta per Judicem, qui priori modo juriſdictionem amiſit, dum amiſſio manet occulta; negant vero de eo, qui per Superioris revocationem juriſdictione privetur. Ita Sylveſt. v. *Confeſſor.* 1. *q.* 19. & Ludovicus Lopez 1. *p. Inſtructorii c.* 38. §. *iteranda eſt Confeſſio*, & alii pauci; quorum rationes omittimus, quæ juditio noſtro leves eſſe videntur, & legi poſſunt apud Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 22. *q.* 6.

Itaque probabilior, & communis ſententia eſt, valere geſta etiam per Judicem illum, qui juriſdictionem amiſit per occultam Superioris revocationem. Etenim jura indiſtincte juriſdictionem concedunt Judici habenti cum errore communi titulum coloratum, & putativum, ejuſque geſta valida eſſe decernunt, *l. Barbarius* §. *Si ſervus ff. de offic. Praet.* tum *c. Infamis* 1. *cauſ.* 3. *q.* 7., & alibi; idque ob publicam tranquillitatem, utque majora evitentur ſcandala, & turbationes, quæ certe orirentur, ſi cognita tituli nullitate omnia geſta per Judicem putativum eſſent reſcindenda. Et quamvis leges & Canones de foro externo loquantur; idem tamen in foro interno obtinere dicendum eſt, tum

 quia

quia uterque forus ſuppoſita ordinis poteſtate, quoad poteſtatem juriſdictionis ejuſdem rationis eſt, tum quia eadem pro foro interno militat ratio de ſcandalis, & malis, quæ ſecus orirentur in graviſſimum animarum detrimentum. Ita Juriſperiti, & Theologi communiter, quos longa ſerie referunt Sanchez, Giribaldus, & Ferraris v. *Confeſſarius art.* 1. *n.* 36. &c.

Jam vero utrumque habet Carolus in caſu. Nam ab Epiſcopo collatus ipſi pridem ſupponitur titulus Confeſſarii approbati, & admiſſi ad confeſſiones audiendas. Adeſt etiam error communis, eo quod revocatio ſit occulta, & communi errore approbatus Confeſſarius reputetur. Ergo abſolvendi adhuc facultatem habet, Eccleſia ſcilicet in bonum commune juriſdictionis defectum ſupplente. Igitur impertitæ abſolutiones validæ ſunt.

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. LEopoldus teſtamento legavit Calicem Eccleſiæ S. Jacobi. Cum autem plures ſint in eodem oppido Eccleſiæ S. Jacobi, cumque non determinaverit valorem Calicis.

Qu. I. quibus conjecturis dignoſci queat, cui Eccleſiæ S. Jacobi reliquerit legatum? II. Cujus pretii debeat eſſe Calix?

Reſp. Ad I. Certe ubi in legatis clare non conſtet de mente Teſtatoris, in primis ex conjecturis inveſtiganda eſt, quia voluntas totum facit, & ab illa non eſt recedendum & maxime in ultimis diſpoſitionibus, ut Abbas, & alii adnotat in *c. Indicante de Teſtam.* Conjecturæ autem in noſtro caſu ſunt: I. Si una S. Jacobi Eccleſia ſit Parochialis ejuſdem Teſtatoris, hæc alteri præferenda omnino eſt, eo quod illam prædilexiſſe, & legatum reliquiſſe præſumatur, Bartolus, & alii communiter in *l. quæ conditio §. cum ita ff. de condition. & demonſtr.* II. Si in una Sepulturam elegiſſet, ac vivens magis frequentaſſet, ut oraret, Sacramenta ſumeret &c.; his enim ſatis affectionem, ac prædilectionem ſuam oſtendit. III. Addunt nonnulli, ſi una ſit intra, altera extra Parœciæ Teſtatoris fines, illa huic eſt præferenda, ſed hæc conjectura fallax eſſe videtur, ut notat Moronus *Reſponſ.* 69., qui monet potius attendendum eſſe modum loquendi Teſtatoris dum viveret, ut ſi unam Eccleſiam ſimpliciter S. Jacobi, alteram cum adjuncto aliquo appellare conſueviſſet; quia ad voluntatem Teſtatoris declarandam maxime confert uſus loquendi Teſtatoris ex *l. Si ſervus plurium §. ſin. ff. de leg.*

Quid vero ſi ex conjecturis nihil colligas? Tunc ait Gloſſa in *c. Judicante de Teſtam.*, *dabitur pauperiori*. Si ambæ ſint æque pauperes, & ſit legata res particularis, ut Calix in caſu noſtro, dabitur illi, qui Calice ſpeciatim magiſque indigeat; ſecus legatum erit dividendum inter ambas Eccleſias, ut ſentiunt Barbatia, & Covarruvias; vel totum poterit uni ab Epiſcopo aſſignari, ut Tiraquel. *tract. de jure primogen. q.* 17. Menochius tamen *lib.* 4. *Præſumpt.* 114. *n.* 10. excipit, ſi una Eccleſia ſit mulierum, altera virorum, legatum præſumitur factum Eccleſiæ mulierum. Sed quo jure? forte quod velit debiliori parti, ac ſexui ſemper eſſe favendum.

Ad II. Item ex conjecturis Calicis pretium eſt determinandum. Ac I. attendenda eſt perſona Teſtatoris; non enim præſumendum eſt idem legaſſe Villicum hominem, ac nobilem virum, II. Eccleſia, cui legatur;

tur; neque enim idem convenit Eccleſiæ campeſtri, ac Cathedrali. III. Habenda quoque ratio eſt donorum alias eidem Eccleſiæ factorum, itemque facultatis legantis, ejuſque in donando largitatis. Atque ex his moraliter, honeſteque conſideratis difficile non erit Calicis materiam, pondus, & artificium determinare, quin ad leges & jura recurrendum ſit, quæ valde diſcordant inter ſe, ut Gloſſa adnotat in cit. *c. Indicante*, & patet ex *l. Titius §. Seja ff. de aur. & arg. leg.* cujus ipſa verba diverſimode legunt, & interpretantur DD.

CAS. II. Januarius inſignis pietatis Juvenis regulari militiæ nomen dare ardenter optat, ſed cum ære alieno gravatus ſit, dubitat utrum poſſit amplecti monaſticam vitam, & de hac re conſulit ſuum Confeſſarium. Qu. quid illi reſpondere debeat Confeſſarius?

Reſp. Ut appareat quid conſilii capiendum ſit a Confeſſario dandum Juveni, ſtatuendum imprimis eſt quid juris. Principio autem certum eſt, quod ſi Januarius ære alieno gravatus ſolvendo par ſit, tenetur prius debita ſolvere, & ſi domini ſint incerti, debet bona ſua pro rata in pia opera diſtribuere, ut compenſet; tum ei liberum ſit Religionem ingredi; tum etiam ingredi poteſt, ſi manens in ſæculo nulla ſit omnino ſpes, ut ſatisfacere valeat. Denique ſi debita ſint ex gratuita promiſſione, bona quæ habet cædat promiſſariis, & Religionem ingrediatur; nam in gratuita promiſſione non ſolum perſona non obligatur, ſed hæc rationalis conditio includitur, *niſi meliorem ſtatum elegero*, ut notant Paſſerin. Rotarius & alii. Hæc per ſe ex naturali jure fluunt, nec ulla eſſe poteſt difficultas.

Quæſtio eſt, ſi debita ſint ex rigore juſtitiæ, & Creditores certi, an poſſit quis religionem ingredi, etiamſi manens in ſæculo poſſet arte, induſtria, aliove modo iis ſatisfacere? Prima ſententia affirmat, eamque docet Angelicus 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. ubi ait: *licite poteſt exhibitis rebus ſuis Religionem ingredi, nec tenetur in ſæculo remanere, ut procuret, unde debitum ſolvat*. Idem ſentit D. Antonius, Cajetanus, Paludan, Sylveſter, & alii. Altera negat, etſi non ſit ſpes ſolvendi, niſi longo poſt tempore, eamque tradit Suarez *Tom. III. de Relig. lib. 5. c. 7.* & alii cum ipſo. Tertia media incedens via tenet, quod ſi in ſæculo manens ſit brevi tempore ſatisfacturus, tenetur manere, & ingreſſum differre; ſi vero non ſit ſpes ſolvendi, niſi longo poſt tempore, poſt Religionem ingredi. Azorius *Tom. lib. 2. c. 1. q. 5.* Leſſius, Navarrus, de Lugo & alii.

Porro in hoc ſententiarum diſcrimine quid definies? Ego quidem ſic ſentio. I. Spectato naturali jure certa mihi videtur Angelici Doct. doctrina, cum qua ſatis convenit tertia ſententia; in moralibus enim parum pro nihilo reputatur, præſertim cum aliis ſæpe de cauſſis ingreſſus Juvenum in Religionem differatur. Optandum potius, ut breve ejuſmodi tempus quale ſit, a DD. iſtis definiretur; in quo tantopere diſcrepant biennium vel triennium plerique definiunt. II. ſpectato jure poſitivo, & in praxi ſecunda ſententia amplectenda eſt.

Ratio I. eſt, quia juxta omnia jura propter debita non obligatur Creditoribus hominis perſona, ſed ſolum ejuſdem res, *l. Ob æs de Action. & obligation.*, & in *Syntagm. Jur. l. 14. c. 3. n. 12.* Et merito quidem, quia, ut ibid. ait Angelicus, *perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ*. Scilicet hæc Doct. Angelici doctrina ſponte naſcitur ex communi illa, & veriſſima ſententia, quod debitor non

teneτur reſtituere cum detrimento bonorum ordinis ſuperioris. Unde DD. nobis contrarii ſibimetipſis contradicere videntur, cum velint hominis libertatem lædere, ut potis ſit pecunias reſtituere. Nec dicas; propter debita in carcerem truditur debitoris perſona. Nam non ideo vetruditur, quod perſona ſit Creditori obligata, ſed in pœnam reatus, ob ſuſpicionem fraudis, in exemplum, & commune bonum. Rotar. *Theol. Reg. Tom. 11. lib. 2. c. 2. punct. 4.*

At inquiunt I. Solutio debitorum eſt de jure naturali, & divino; ingreſſus in Religionem eſt opus conſilii. II. Filiis nequit Religionem ingredi, patre indigente ejus ſubiſidio, ut ſuſtentetur. Neque item mancipium ingredi religionem poteſt repugnante Domino, quod etiam ſub anathematis pœna prohibetur *c. Qui vero 12. cauſ. 16. q. 1.* Verum ad I. Solutio debitorum omni jure facienda eſt, cum poſſibilis eſt. Eſt autem moraliter impoſſibilis, dum nequit fieri ſine detrimento libertatis, & ſalutis. Ad II. Paritas filii, & ſervi quam tanti facit Ferraris *v. Reſtitutio art. 5. n. 64.* nullius eſt vis. Nam ipſæ Filiorum perſonæ, & non tantum res obligatæ ſunt Parentibus; uti & perſonæ mancipiorum devinctæ ſunt Dominis.

Ratio II. partis deſumitur ex Conſtitutionibus Sixti V. & Clement. VIII. Etenim Sixtus Conſtit. *Cum de omnibus* an. 1585. non ſolum diſtricte vetuit, gravatos debitis, & litibus implicitos in Religionem recipi, ſed nullam iſtorum profeſſionem declaravit. Clemens vero Conſtit. *In ſuprema* an. 1602. Sixtinam quidem correxit quoad nullitatem Profeſſionis, ſed in ceteris confirmavit. His cohæret praxis Religionum, quæ antequam Candidatum recipiant, diligenter præcavent, ut neminem recipiant ære alieno gravatum. Et merito quidem, ne ſcilicet ſub ſpecie pietatis fraus ſubſit, & dolus ad fallendos Creditores; tum ne occaſione debitoris ad habitum admiſſi Clauſtra litium tricis vexentur, eorumque pax, ac tranquillitas turbetur; quæ duo maxime præ oculis habuit Sixtus in ſua Conſtitutione. Itaque Januario reſpondebit Confeſſarius, quod ſi debitis, quibus eſt gravatus, nequit ſatisfacere, vel a Creditoribus veniam impetret, vel in ſæculo maneat, ut paullatim ſolvere potis ſit. Quod ſi Januarius, qui inſignis eſſe pietatis dicitur, ita divinitus vocatus videatur, ut in ſæculo manens animæ ſalutem periclitaretur, moneat eſſe ad Pontificem pro legis diſpenſatione recurrendum. Sed hæc raro aut vix in praxi contingunt. Itaque manebit in ſæculo, & de *victima holocauſti*, ut dixit Abraham Filio ſuo, *Deus providebit ſibi Fili mi. Gen. 22. 8.*

CAS. III. Leonardus, qui cum mulieribus libere agere ſolet, ſe accuſat de habitis, cujuſcumque ſpeciei, tactibus.

Qu. quos, ſecluſa prava intentione, & periculo debeat Confeſſarius judicare de ſe, & natura ſua mortales?

Reſp. De ſe, & natura ſua mortales ſunt omnes tactus, qui impudici dicuntur, puta qui in partibus verendis, aut illis affinibus fiunt. Ratio eſt quia ſimiles tactus de ſe graviter concupiſcentiam excitant, & adverſantur pudori, & naturali honeſtati, & periculum pollutionis includunt. Ita communiter docuere uſque ad hæc tempora DD. diſtinguentes, ut ſupra diximus ad *Caſ. I. Menſ. Jul.*, pudicos tactus ab impudicis. At nuper an. 1743. nova emerſit diſtinctio invecta per quemdam libellum Venetiis editum, cui titulus *Diſſertatio in caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos Authore Bernardino Benzi S. I.*, ubi Auctor ta-

ctus

ctus quoſdam *ſubimpudicos* adſtruit de ſe veniales, & ejuſmodi eſſe docet tactus mamillarum etiam cum virginibus Deo ſacris peractos. Verum hæc doctrina, vix Urbis muros ingreſſa a probis Theologis publice improbata fuit, & a Supr. S. Inquiſ. Congregat. & a Benedicto XIV. proſcriptura ſub die 16. Aprilis 1744. Hinc bonus Auctor eamdem retractare juſſus ut *falſam*, *maleſonantem*, *ſcandaloſam*, *& piarum aurium offenſivam*, qualis fuerat proſcripta, publice deteſtatus eſt.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. Thomas cum privilegio gaudeat perſonali, celebrandi in omnibus privatis Oratoriis, dummodo hoſpitaverit, ubi celebrat; ut morem gerat piis quibuſdam & nobilibus perſonis, quæ Sacrificio Miſſæ quotidie optant intereſſe, in illarum domo pernoctat ſolum, putans hoc ſatis eſſe, ut verificetur illum hoſpitari: Miſſamque celebrat in Oratorio dictæ domus.

Qu. an recte intellexerit Thomas ſuum privilegium?

Reſp. Naſcitur in caſu difficultas ex vocabulo illo hoſpitaverit, ſeu *hoſpitatus fuerit*, quod legitur in Reſcripto Pro Gratia. Nam hoſpes, & hoſpitari juxta vim latini ſermonis *proprie dicitur de Amicis diverſarum Patriarum, qui ſe mutuo recipiunt, dum alter in alterius Patria peregrinus eſt*. Facciolat. v. *Hoſpes*. Hinc Gatticus *De Orator. Domeſt. c. 25. n.* 30. differens de Nobilibus Hoſpitibus apud habentem Oratorii Domeſtici Privilegium, quos Pontifex quandoque participes facit Indulti in ſignum majoris benevolentiæ erga Privilegiatum, ut ii Indulto gaudeant, requirit diverſitatem inter locum ipſorum Hoſpitum, & locum ubi Hoſpitio recipiuntur. Unde ab Indulto eos excludit, qui morantur in eadem villa, in qua Privilegiatus villicat, etſi apud ipſum quandoque per noctent, & commorentur. Itaque juxta hanc doctrinam ex Grammaticis deductam, ſi Thomas in eodem Oppido, ſeu Villa habitet, non poterit in Oratorio ejus Domus celebrare, in qua pernoctaverit; bene vero poterit, ſi alio in loco ſuum habeat domicilium.

Verum eſt ne Pontificis Gratia ad puriſſimum unius latini vocabuli ſenſum exigenda, & non potius accipienda juxta communem uſum, quo *hoſpitari* intelligimus, apud aliquem hoſpitio recipi, ſive is exterus, ſive patrius ſit? Res exemplo illuſtretur. Quid, quæſo, ſibi vult Trid. *Seſſ.* 24. *De Matrim. cap.* 1, dum præcipit, hortandos Conjuges, ne ante benedictionem Sacerdotalem *in eadem domo cohabitent?* Quid Synod. Bononien., dum l. 2. c. 9. Sponſis de futuro *cohabitationem in eadem domo* interdicit? Conſule Facciolatum v. Habitare, *Habitare differt a commoror, quod habitare eſt perpetuum commorari ad tempus*. An ideo dixeris ſolum interdici domicilium perpetuum, & non potius, ut nos intelligimus, omnem etiam unius noctis commorationem? Non ergo in his ad grammaticum rigorem revocanda ſunt vocabula, ſed ad uſum communem, & juxta conſuetudinem intelligenda. Hæc itaque attendatur, & recta erit, & moralis Caſus ſolutio; & adhuc clarior, ſi obſerves, nunc in Pontif. Reſcriptis forte ad grammaticales quæſtiones reſcindendas plerum legi: *ubi Orator ſaltem præcedenti nocte pernoctaverit*, ut in nonnullis nobis ipſis contigit obſervare.

CAS. II. Alexander habet Oratorium publicum, in quo duo ſunt oſtia lateralia, quorum unum ducit ad cubiculum domus, alterum ad viridarium. Parochus hæc oſtia claudi debere contendit.

Qu. jure an injuria contendat?

Reſp. Quantum ad oſtium in cubiculum Domus patens jure contendit Parochus eſſe claudendum. Conſtat, ceteris miſſis, ex Reſcript. S. Congr. Conc. ad Epiſcopum Conimbricen. die 1. Jul. 1616., ubi de Publico Oratorio hæc præſcribuntur: *dummodo idem Oratorium, ſeu Capella publico in loco ſit; atque ita a privatis domibus ſeparata, ut per eas ad Capellam hujuſmodi ire minime poſſit, ad eamque liber acceſſus e via publica pateat*. Apud Barboſ. *De Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 11. n. 28.* Similia habet prorſus Syn. Bononien. lib. 3. c. 5., ubi de Campeſtri Oratorio hęc mandat obſervanda, *ut remotum ſit Oratorium ab habitatione, nec hujus parietes parietibus adhæreant habitationis ſæcularium, omnibuſque pateat liber acceſſus*.

Ex relato S. Congr. Reſcripto quidam DD. Patavini contenderunt, etiam claudenda oſtia in Viridarium patentia, apud Clericat. *Diſcord. Foren. de Beneſ. Diſc.* 74. Verum toleranda eſſe ejuſmodi oſtia merito idem Clericatus contendit. Nam in omnibus rebus non ſtrictum ac rigoroſum jus, ſed æquitas eſt amplectenda *l. Placuit C. de Judic.*, *l. In omnibus ff. de Reg. Jur.*, æquitas enim dicitur benigna juris interpretatio, ut notat Marta *de Juriſd. c.* 162. *n.* 1. Cui quidem æquitati conſonant verba Syn. Bononien. ut patet ea conſideranti. Itaque uſus Oratorii Publici recte ab Epiſcopo permittitur, ubi hæc duo habeantur. Primum, ut Oratorium rite extructum & apertum ſit, januam habens in via publica, ut omnibus pateat acceſſus. Alterum, ut non habeat januas intrantes in cubicula, aut officinas, aliave loca indecentia domus ſæcularis. Atque ita relati Reſcripti verba intelligenda ſunt, ut idem Clericat. & Pax Jordan., Paſqualig., Riccius, Alphonſ. de Leone, & Pignatellus *tom.* 1. *Conſult.* 93. *n.* 26. & alii obſervant. Rem confirmat conſuetudo plurimarum Diœceſum, ut de Patavina Tarviſina, & Vicentia teſtatur Clericatus, & de aliis in Inſubria, & alibi teſtari nos ipſi poſſumus. Igitur oſtium primum jure quidem, non vero alterum claudendum contendit Parochus.

CAS. III. Damianus obtinuit gratiam a Summo Pontifice, cum clauſula *non obſtantibus &c.*

Qu. I. utrum hæc clauſula tollat vitium ſubreptionis, & obreptionis? II. utrum deroget decretis Tridentini?

Reſp. Ad I. negative. Subreptionis vitium Precibus ineſt, dum verum tacetur, vel per confuſam, & perplexam narrationem aliquid occultatur, quod de jure, vel ſtylo Curiæ, ſeu conſuetudine exprimi debet, & quo expreſſo Pontifex gratiam non concederet. Obreptionis vero eſt vitium cum aliquid falſo narratur præſertim circa cauſam finalem; vel etiam ut quidam volunt circa impulſivam conceſſionis. Jamvero clauſula *non obſtantibus &c.* magnum quidem operatur effectum, ut reddat valida & confirmet expreſſa, & tollat omnia, quæ aliunde gratię poſſunt obſtare, ſed nec gratiam auget, neque ſupplet qualitatum neceſſario exprimendarum taciturnitatem, ſed reſtringit ſe ad expreſſa. Si ergo in expreſſis vitium ſubeſt, ita vitiabitur gratia, ut eidem dicta clauſula minime medeatur. Ita Card. Tuſch. lit. C. concl. 348. & 349. Barboſa de Clauſ. Clauſ. 82. n. 8. Gonz., & omnes Juriſperiti communiter.

Ad

Ad II. affirmative. Colligitur ex diſpoſitione ejuſdem Trid. ſeſſ. 25. de Riform. c. 21. *S. Synodus omnia, & ſingula ſub quibuſcunque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque eccleſiaſtica diſciplina tum ſub fel. rec. Paulo III. ac Julio III. quam ſub Beatiſſ. mo Pio IV. Pont. Maximis in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.* Quæ adeo ſunt perſpicua, ut miſeris quoſdam contra Pontificis auctoritatem circa Tridentini decreta de Reformatione, & eccleſiaſtica diſciplina dictitaſſe. Videatur Ricciul. *de jure Perſonarum l. 8. c. 4. n. 6.* ubi plures refert ad rem noſtram deciſiones Rotæ, & Nicol. Garcias *de Benef. part. 5. c. 8. n. 87.* ubi aſſerit, ita reſpondiſſe S. Congreg. Conc., & alii.

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. IGnatius matrimoninm iniit cum Tarquinia, quam poſtea conjugatam eſſe deprehendit. Ex ea habuit filium, quem cum odio proſequatur, habita notitia nullitatis conjugii, tamquam illegitimum privat hereditate.

Qu. an injuſte?

Reſp. Vel Ignatius matrimonium cum Tarquinia iniit clandeſtine ideſt non præmiſſis Denunciationibus, vel Denunciationes premiſit, & rite proinde in facie Eccleſiæ contraxit. Si primum, Filius illegitimus eſt, non obſtante Parentum ignorantia, & bona fide; ut clare diſponitur *c. fin. §. ſi quis vero de clandeſt. Deſponſat. Si quis vero clandeſtina conjugia inire præſumpſerit in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſeatur.* Ubi Gloſſa *clandeſtina, ſcilicet non-præmiſſa denunciatione*. Et ratio, ob quam nihil proſit ignorantia, aut bona fides, in textu adducitur, dum ſubdit: *de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium; cum illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur.* Hinc non ſolum Ignatius ſpurium ejuſmodi Filium hæreditate privare poteſt, ſed is omni jure tum Civili cum Canonico privatus eſt. Imo Jus Civile *in Authent. ex Complexu C. de Inceſt. Nup.* vetat, ne alimenta quidem ſpuriis Filiis præbeantur. At, ſi nequeat aliunde ſuſtentari, tenetur Pater de alimenti, ut jure Canonico in hoc juris Civilis ſeveritatem merito corrigente ſancitum eſt in *c. Cum haberet de eo, qui duxit.*

Si alterum; Filius legitimus eſt, & jure in paterna hæreditate ſuccedit. Patet perſpicue *ex c. Cum inter 2. Qui Filii ſint legit.*, Ibi enim in caſu impedimenti inter duos Conjuges detecti, & latæ ſententiæ divortii hæc habentur. *Filii eorum non debent exinde ſuſtinere jacturam, cum parentes eorum publice, & ſine contradictione Eccleſiæ inter ſe contraxiſſe noſcantur. Ideoque ſancimus, ut Filii eorum, habeantur legitimi, & quod in bona paterna hæreditario jure ſuccedant.* Idem colligitur *eod. tit. ex c. Quod nobis 9. & c. ex tenore 14.* & alibi. Igitur non poteſt Ignatius Filium hæreditate privare. Scio Patrem poſſe quandoque ex cauſſa Filium exhæredare. Sed neque in Jure, neque apud Juriſperitos inter XIV. cauſſas exhæredandi in *§. Hoc autem Auth. ut cum de appellatione* recenſitas, nuſpiam reperitur odium Patris in Fi-

Filium; quin jure naturali, & chriſtiano debet Filium amplecti, & odium deponere.

CAS. II. Benedictus penſionem obtinuit a Papa, cui tamen non narravit ſe beneficio ſimplici, & duabus aliis frui penſionibus.

Qu. an gratia conceſſa ſit ſubreptitia & nulla?

Reſp. Gratia Benedicto conceſſa viſa eſt nonnullis ſubreptitia, & nulla. Nam Gratia ſubreptitia eſt, cum in Precibus, ſeu in impetratione tacetur id, quod de jure aut de Stylo Curiæ exprimi debet. Sed cum quis beneficium a Papa obtinet, de jure tenetur alia, quæ habet beneficia, exprimere, ſub pœna nullitatis gratiæ, ut patet ex *c. Ad Aures de Reſcript. & c. Si motu proprio de Præb. in 6.* Ergo gratia iſta ſubreptitia eſt & nulla. Sic opinatur Nicolaus Gartias *part.* 1. *c.* 5. *n.* 83. cum aliis DD. quos ibi recenſet.

Verum neganda eſt in caſu ſubreptio omnis & nullitas, eo quod nec duæ obtentæ penſiones, nec beneficium eſſent de jure exprimenda. Non penſiones. Nam in impetratione Penſionis ſuper aliquo beneficio ea ſola Penſio eſt Papæ exprimenda, quæ antea impoſita fuit, & adhuc durat ſuper eodem beneficio. Rota in *Florentina Penſionis* 24. *Januar.* 1696. *coram Dell'Olmo*. At aliæ penſiones, quas impetrans poſſidet ſuper fructibus aliarum Eccleſiarum, non eſt neceſſe, ut in impetratione exprimantur. Ita conſtanter tenet Tondut. *De penſionib. cap.* 64. *n.* 7. cum Gonzalez *ad Reg.* 9. *Cancell. Gloſ.* 5. §. 15. Cochier *ad Reg. Cancell.* 61. *n.* 28., & aliis. Neque obſtant allati textus ex *c. Ad aures*, & *c. Si motu proprio*. Nam ibi ſermo eſt de Beneficiis, non de Penſionibus. Penſio autem, licet late ſumpto vocabulo, beneficii nomine comprehendatur, non poteſt tamen proprie dici beneficium. Eſt enim penſio onus temporale, & non perpetuum, quod morte Penſionarii, vel aliis modis extinguitur; *& ſic*, inquit loc. cit. Gonzalez, *degenerat a natura beneficii; quod eſt perpetuum, & non extingui ſed vacare dicitur.* „ Itaque concludit: cum jura ſolummodo diſponant, quod narrentur obtenta beneficia, non igitur opus eſt narrare penſionem, cum beneficium non ſit, & ita ſervat Rota, ut ab iiſdem DD. Auditoribus audivi, quod ſufficit ad omnem prorſus reſecandam difficultatem „.

Pariter in impetratione penſionis non eſt neceſſe de jure exprimere beneficium obtentum. Nam jura pariter diſponunt narrandum eſſe beneficium obtentum, cum aliud beneficium impetratur. Sed in caſu non beneficium, ſed penſio impetrata eſt. Ergo non eſt neceſſe beneficium exprimere; *& ita praxis obſervat* inquit ibidem Gonzalez *n.* 18. Quod ſi quandoque aliter factum eſt, reſpondet Loterius *de Re Benef. lib.* 1. *c.* 45. *hoc factum fuiſſe ex timiditate impetrantium, & ideo nihil ex eo inferri poſſe*. Igitur gratia Benedicto conceſſa non eſt ſubreptitia nec nulla.

CAS. III. Conſtatius, quamvis ſciat inſidias ſibi eſſe paratas a Paulo marito Agnetis, cum qua turpem jamdiu habet amicitiam, nihilominus cum eadem adulterari pergit. Nudato enſe aggreditur a Paulo: a cujus impetu, dum ſe tuetur Conſtantius hoſtem lethali vulnere fauciat, qui non multo poſt moritur.

Qu. an Conſtantius teneatur ad reſarcienda damna ſecuta ex hoc homicidio?

Reſp. Certum eſt, cuique licere injuſtum aggreſſorem occidere in defen-

ſionem

ſionem propriæ vitæ, modo id fiat *tum moderamine inculpatæ tutelæ*; ut dicitur *c. Significaſti* 18. *de Homicid. volunt. & Caſual.*, ideſt cum aggreſſus in ea neceſſitate ſit conſtitutus, ut neque fuga, neque clamore, neque alio modo tueri ſe poſſit, niſi occidendo, cum *vim vi repellere omnes leges, & jura permittant c. cit.*, & *c. Si vero* 3. *De ſent. excom.*, & docet Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. Porro cum tali moderamine, in caſu, videtur Conſtantius occidiſſe; ac proinde ſicut homicidii reus non eſt, ſic neque ad damnorum compenſationem obſtrictus. Etenim cum Maritus non habeat jus occidendi privata auctoritate adulterum, quod ad ſolam publicam poteſtatem ſpectat, is injuſtus aggreſſor eſt; & aliunde adulter ex ſuo delicto non amiſit naturale jus vitam ſuam tuendi. Igitur ſi ſe tuendo, occidit, nec reus erit nec pœna dignus; quidquid dicat Majolus qui *lib.* 5. *c.* 48. *n.* 6. ſcribit, adulterum in tali caſu non excuſari a pœna homicidii jure civili, referens Tiraquellum, & alios Juriſtas. Nam Juriſtæ & ſpeciatim Tiraquellus non loquuntur de homicidio facto cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſed de illo qui ſe defendendo modum exceſſit, ut patet ex eod. Tiraquel. *Tract. de Pœnis temperand. cauſ.* 1. *n.* 11. ubi jura refert, & Doctores, & Suarez *De Cenſur. diſ.* 46. *ſect.* 1. *num.* 11.

At enim, ea occaſio videtur ſaltem voluntaria in cauſa; cum Adulter ſe in eam neceſſitatem conjecerit, & occiderit dando operam rei illicitæ, juxta doctrinam D. Tho. *q. cit. art.* 8. Verum doctrina Angelici, ut etiam advertit Concina *l.* 7. *in Decal. Diſſert. de Homicid. c.* 8. ſic intelligenda eſt, ut homicidium ex opere illicito ſit voluntarium in cauſſa quando opus illicitum per ſe ordinatur ad homicidium, ex eoque communiter homicidium, ſequitur; non vero quando nullo modo eſt per ſe via ad homicidium, & homicidium per accidens conſequitur. Jamvero adulterium non eſt opus ordinatum ad occiſionem Mariti, neque eo titulo prohibitum eſt, neque ex eo communiter conſequitur homicidium, quinimo eſt opus omnino ab occaſione diſtinctum & remotum; & opus proximum, & per quod immediate fit homicidium, eſt opus licitum, ideſt propriæ vitæ defenſio. Quæſo, qui alterum forte convicii injuria laceſſivit, an aggreſſus a laceſſito, non poterit ſe tueri, & aggreſſorem cum moderamine, ut ſe tueatur, etiam occidere? Abuteris ergo in caſu rectiſſima Angelici Doctoris doctrina.

Sed Conſtantius prævidit paratas ſibi a Marito inſidias: Quid ideo? Scilicet ex tali prævifione, tenebatur etiam ex charitate abſtinere ſe ab Agnete, ne ſibi aut proximo eſſet periculi occaſio. Quare ſi nihilominus adulterari voluit, peccavit quidem etiam contra charitatem ſed non homicidii reus eſt.

Excipe tamen, niſi Conſtantius temere omnino, & ſine ulla præcautione tale facinus eſſet aggreſſus, ita ut videatur moraliter, & proxime Maritum in inſidiis latitantem ad rixam excitaſſe. Sic enim, quamvis poſtea moderate ſe defenderet, non evitaret homicidii reatum, eo quod aggreſſoris potius ſpeciem habeat, quam aggreſſi, & opus fuerit a principio malitia homicidii ſaltem indirecte infectum, ut de irregularitate loquens obſervat Covarruv. 3. *p.* §. 1. *n.* 4. & Suarez *loc. cit. n.* 12.

LAUS DEO.

CASUS RESOLVENDI IN DIŒCESI

ANNO 1777.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. AUrelius voto obſtrictus certas quotidie preces recitandi, elapſo jubilæi anno commutationem a Confeſſario obtinuit in pium exercitium determinato tempore mentaliter orandi ſingulis diebus feſtis. Poſt aliquot menſes Aurelius mutato animo, orationem mentalem neglexit, & priores illas preces recitandas reaſſumpſit.

Qu. I. An Confeſſarius in voti commutatione potuerit opus mere internum ſubſtituere? II. An Aurelius potuerit propria auctoritate ſubſtitutum opus negligere, & prius illud reaſſumere?

CAS. II. Odoardus Notarius exponit Confeſſario ſuo, ſe intra menſem a die aperitionis cujuſdam Teſtamenti non manifeſtaſſe Ordinario legata pia in eo Teſtamento contenta. Confeſſarius eum abſolvere recuſat, aſſerens incidiſſe in caſum ipſi Ordinario reſervatum.

Qu. an verum ſit Patrochi judicium, & aſſertum?

CAS. III. In Eccleſia Parochiali S. Thomæ duo ſunt Rectores ex æquo Parochialia munera exercentes. Alteri ſenio, & cęcitate ad officium inhabili datus eſt ab Epiſcopo Cappellanus Coadjutor temporalis. Huic ſua munia exercere volenti Rector alter negat uſum ſtolæ, quem ſoli Rectori competere contendit.

Qu. An jure neget?

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. ANdreas Præsbyter rogat Parochum, ut ſibi facultatem faciat aſſiſtendi Matrimonio Catharinæ Neptis ſuæ. Parochus ne inurbanus videatur ficte concedit, ratus ſe poſſe opportune id impedire; ſed interim dnm impedimentum parat, Andreas Matrimonio Catharinæ aſſiſtit.

Qu. an valide?

CAS. II. Baſſiano Confeſſario ſe præſentavit Mævia peregrina ex hiſpaniis, cujus idioma cum non intelligeret, Felix Sacerdos Hiſpanus pro Interprete ad Confeſſionale accerſitus eſt; qui cum Peregrinæ peccata audiret, & Confeſſario interpretaretur, eamdem ad turpia ſollicitavit.

Qu. an ſit denunciandus?

CAS. III. Marcellus Parochus ſenio valde debilis, cum nequeat in die feſto Miſſam, quæ ex longioribus eſt, totam legere ſtando, tu Populus præcepto audiendi ſacri ſatisfaciat, aliquam Miſſæ partem legit ſedendo.

Qu. An recte ſe gerat?

MENSE MARTIO.

CAS. I. FRidericus Parochus in demortui Patris hæreditate ſuccedens, paterna bona in ſolvendis debitis inſumſit. Sed cum hæc omnibus extinguendis non ſufficerent, Creditores inſtant, ut debeat

de

de Parochialibus fructibus reliqua debita ſolvere, quod facere, Fridericus negat.

Qu. an Creditoribus, an Friderico faveat jus?

CAS. II. Terentius, occaſione Matrimonii, a Parocho interrogatus, an votum aliquod emiſerit, reſpondet ſe votum olim emiſiſſe perpetuæ Caſtitatis. Cumque doceret eum Parochus, non poſſe licite Matrimonium inire, repoſuit votum feciſſe quidem, ſed ſine animo votum ſervandi.

Qu. an Parochus poſſit ejus Matrimonio aſſiſtere?

CAS. III. Raynaudus Vir Nobilis Privilegio gaudens Oratorii domeſtici, in amplis ſuis Ædibus duas habet diſtinctas habitationes, quarum alteram æſtate incolit, alteram hyeme. Cum in utraque erectum habeat Oratorium; in alterio æſtate, & hyeme in altero facit Miſſam celebrare.

Qu. an rite privilegio ſuo utatur?

MENSE APRILI.

CAS. I. MAurus & Mauritius, pacta annua mercede, Reginaldo Agrorum Conductori operas ſuas ad annum locavere. Expleto ſemeſtri Maurus repente a ſervitio diſcedit; qua de cauſſa iratus Reginaldus Mauritium ejus ſocium eodem tempore expellit.

Qu. Quid mercedis utrique debeat Reginaldus?

CAS. II. Polidorus juſſu Domini ſui longum iter & negotium ante Dominicam Palmarum aggreſſurus, prævidet ſe nec annuæ Confeſſionis præcepto intra annum, nec intra quindenam Paſchæ præcepto Paſchalis Communionis poſſe ſatisfacere.

Qu. An, cum commode poſſit, utrumque anticipare teneatur?

CAS. III. Raymundus Parochus habens in propria Eccleſia inſignem reliquiam Beati N. nondum canonizati, ab Ordinario approbatam, die qua ejus Feſtum occurrit, ſolemniter Feſtum celebrat, Miſſam de eo facit, & Officium recitat.

Qu. An rite ſolemnitatem, & Miſſam celebraverit? Et an ſatisfecerit obligationi recitandi Horas Canonicas?

MENSE MAJO.

CAS. I. PAtritius cum a Theologo audiſſet, hominem in die feſto ſerviliter operantem modico tempore, tantum venialiter peccare, præcipit ut plures famuli ſui per integram diem ſerviliter ita laborent, ut ſinguli id faciant modico tempore.

Qu. an is a gravi culpa ſit eximendus?

CAS. II. Horatius a Conſobrino ſuo, cum nequeat centum aureos ſibi debitos pacifice exigere, aureos totidem mutuos poſtulat cum juramento promittens reſtituere. Poſtmodum reſtituere negat, quia compenſatione uti ſe poſſe cenſet.

Qu. An recte cenſeat?

CAS. III. Balbus animadvertens, Durandum Clericum cum re ſua furto ſurrepta ſugere, ſugientem inſequitur, & ſaxo percutit, ut rem ſuam recuperet.

Qu. eſtne immunis a Cenſura?

MENSE JUNIO.

CAS. I. CLaudia Comitiſſa, dum ruri ageret, enixa eſt mane diei Feſti prolem maſculinam multis votis, & longo tempore expetitam. Sperat Mœvius ſe pinguem ſtrenam recepturum, ſi id Marito in Urbe degenti primus nunciaverit. At non erit primus, niſi eo mane Miſſam ommiſerit.

Qu. An licite omittere poſſit?

CAS. II. Cornelius, aucto furtis patrimonio, iis poſtea debitis gravatus eſt, ut nequeat Creditoribus ſatisfacere, niſi etiam res furtivas, quarum Domini incerti ſunt, impendat. At dubitat, num eas res debeat in pia opera erogare, an de ipſis potius certis Creditoribus ſatisfacere.

Qu. Quid Cornelio conſulendum ſit?

CAS. III. Ruri inter duos Parochos controverſum eſt, an poſt decreta Alexandri VII. & Clementis XI. quibus Miſſæ privatæ de Requiem in duplicibus prohibentur, adhuc liceat eaſdem celebrare præſente Cadavere. Et aſſerente altero, alterio, negante, controverſia ad Archipresbyterum delata eſt.

Qu. Archipræsbyteri reſolutio?

MENSE JULIO.

CAS. I. OCtavius Ruri ægrotans Teſtamentum condidit, in quo pingue legatum Terillo agnato ſuo reliquit. Sed quia Notarii imperitia nonnullis ſolemnitatibus fuerat deſtitutum, per ſententiam Judicis invalidum declaratum eſt; ideoque Filius ab inteſtato ſuccedens legatum ſolvere negat. At Terillus putans Teſtamentum etſi nullum jure civili, validum tamen eſſe jure naturali, & in foro conſcientiæ, per occultamcompenſationem tantundem hæredi ſurripuit.

Qu. an recte putaverit, & ſurrepta retinere poſſit?

CAS. II. Thebaldus Tibulli Minoris Curator, ut ejuſdem negotia utilius ageret, poſt annum, & ultra diſtulit quaſdam dotes ſolvere, quas Tibulli Pater Teſtamento legaverat in favorem pauperum puellarum.

Qu. an inciderit in Caſum reſervatum?

CAS. III. Urgente calamitate Ordinarius præcepit Parochis, ut SS. Litanias cum populo recitarent. Vincentius Parochus expertus, Populum poſt Miſſam ſtatim diſcedere, ut Superioris mentem religioſius impleat, Litanias recitat in Miſſa poſt Evangelium.

Qu. an rite?

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. GErundius aureos centum dedit mutuos Mirtillo reſtituendos poſt annum, ea facta conventione, ut ſi Mirtillus poſt annum fideliter non reſtituerit, ſolvat aureos quinque in penam dilationis.

Qu. an hæc conventio ſit licita?

CAS. II. Teranus agrorum Cultor ſæpe Operarios conducit ad operandum, etſi pecunia careat, qua mercedes ſolvat. Unde operarii mercedum ſolutiones diu expectare coguntur.

Qu.

Digitized by Google

Qu. an peccet?

CAS. III. Ranerius Canonicus cum Anno Jubilæi Romam perexiſſet, per menſes ſex non reſedit. Sub anni finem fuit a Capitulo omnium ſex menſium diſtributionibus privatus. At Canonicus contendit ſibi menſium novem diſtributiones deberi, eo quod Trid. Seſſ. 24. c. 12. indulgeat Canonico, ut poſſit per tres menſes abeſſe, & diſtributiones lucrari.

Qu. Cui adjudicandum ſit jus?

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. Dionæus ſtuprator, obligatus ad dotandam violatam Virginem, cenſet non teneri dotem perſolvere, niſi ſecuto Matrimonio. At Puella etſi nihil de nuptiis cogitet, inſtat, ut dotem ſibi debitam Dionæus ſolvat.

Qu. quid in foro conſcientiæ dicendum ſit?

CAS. II. Nicolao Parocho commiſit Ordinarius, ut Lælium, & Mæviam, qui litteras diſpenſationis ſuper impedimento dirimente conſanguinitatis habita copula obtinuerunt, premiſſis præmittendis, petita venia, in forma Eccleſiæ conſueta in utroque foro abſolvet.

Qu. quomodo ſe gerere in hujuſmodi abſolutione debeat Parochus?

CAS. III. Parentius Capellanus vices gerens Parochi, in fer. 6. Maj. Hebdomadæ Viaticum defert cum ſtola albi coloris, ſubmiſſa voce recitans conſuetos Pſalmos cum *Gloria Patri, &c.* A Parocho proximæ Parœcia improbatur.

Qu. an juſte?

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. Caliſtus Confeſſarius dum Confeſſionem Corillæ puellæ audiret, quædam protulit verba ſollicitationem ſonantiam. Sed puella ſimplex verborum vim non aſſecuta, nihil mali cogitavit. Poſt multum temporis juncta Marito, & eorum verborum recondata pravam Confeſſarii mentem non obſcure cognovit. Rem propterea Parocho ſuo in Confeſſione exponit.

Qu. an Parochus debeat Corillæ imponere, ut antiquum illum Confeſſarium denunciat?

CAS. II. Liborius ex Patrui Teſtamento obligatus celebrari facere Miſſam quotidianam, eam celebrandam commiſit Julio Sacerdoti extero ad confinia Pareciæ habitanti. Nonnullis poſt annis detegitur Julius ementitus eſſe Sacerdos & reipſa merus Laicus.

Qu. an Liborius teneatur Miſſas omnes per eos annos facere iterum celebrare?

CAS. III. Orta eſt contentio inter duos Parochos, an hoſtia in Proceſſione circumlata poſſit ſequenti die in partes diviſa diſtribui fidelibus communicaturis, an vero debeat a Sacerdote dein celebrare ſumi poſt nguinis ſumptionem.

Qu. reſoluti?

CAS. I. MElania e vitæ pericolo egreſſa vovit, recitare quotidie per annos decem unum *Pater*, *&* *Ave*, & qualibet hæbdomada eleemoſynam unius obuli dare pauperibus; at per plures annos utrumque omiſit.

Qu. an graviter peccaverit in utraque omiſſione tum precis, cum eleemoſynæ.

CAS. II. Flaminia obſtetrix interroganti Parocho, an infantem, quem vita periclitantem baptizavit, rite baptizaſſet, reſpondit ob feſtinationem in ejus caput prius aquam infundiſſe, tum immediate poſt formæ verba protuliſſe.

Qu. an Parochus validum habere debeat hunc baptiſmum, aut ſaltem ſub conditione ipſum iterare?

CAS. III. Ruri in domo Philiberti honeſti Civis recreationis gratia inſtitutæ ſunt choreæ; cumque apud ipſum villicaret Emilius Clericus, qui artem callebat pulſandi muſicum inſtrumentum, modo choreas egit, modo inſtrumentum ipſum pulſavit.

Qu. an graviter peccaverit, & pœnam aliquam incurrerit?

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. PLautilla honeſta puella ad feſtivum Convivium invitata, prævidet, ſe impudice amandam a Petrillo inter Convivas invitato. Interrogat ſuum Confeſſarium an poſſit ad Convivium pergere.

Qu. quid reſpondere debeat?

CAS. II. Febronius Homo dives anteacta vitæ crimina Confeſſario repetens, inter delicta juventutis nonnullas fornicationes & adulteria accuſat. Interrogatus a Confeſſario an Filios umquam genuiſſet, & reſpondet, duas quidem ſe filias genuiſſe, ſed de his nihil angi, eo quod eas ſtatim ad Hoſpitale Expoſitorum, ſoluto intromiſſionis pretio miſerit, & nunc eſſe puberes, & bene valere.

Qu. an quidquam oneris debeat ipſi Confeſſarius imponere?

CAS. III. Mirtilla Vidua decernit, & mandat defunctæ Filiæ ſuæ Cadaver ſepeliri in Eccleſia Regularium. Contradicit Parochus negans Matri jus eligendi ſepulturam pro filia extra Paræciam, in qua debet de jure ſepeliri.

Qu. an jure contradicat? & quid ſi violenter coegiſſet Cadaver ad Parochialem deferri?

CA-

CASUS IN DIŒCESI

Ad reſolvendum propoſiti, nunc vero reſoluti

ANNO MDCCLXXVII.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. Aurelius voto obſtrictus certas quotidie preces recitandi, elapſo jubilæi anno commutationem a Confeſſario obtinuit in pium exercitium determinato tempore mentaliter orandi ſingulis diebus feſtis. Poſt aliquot menſes Aurelius mutato animo, orationem mentalem neglexit, & priores illas preces recitandas reaſſumpſit.

Qu. I. An Confeſſarius in voti commutatione potuerit opus mere internum ſubſtituere? II. An Aurelius potuerit propria auctoritate ſubſtitutum opus negligere, & prius illud reaſſumere?

Reſp. Ad I. affirmative, quemadmodum enim quiſque poteſt opus mere internum vovere, ſic poteſt Confeſſarius in Voti commutatione opus ejuſmodi ſubſtituere. In quo quidem vix ulla eſſe poteſt difficultas, cum hic de rebus agatur ad ſpirituale animæ bonum, ad internum Conſcientiæ forum ſpectantibus, in quo Sacerdos a Chriſto Domino acceptam habet ligandi, & ſolvendi poteſtatem. Et certe ſi hujus poteſtatis vi poteſt Confeſſarius etiam pro Sacramentali ſatisfactione opus mere internum (etſi externum ſit magis accomodatum, magiſque probandum) pœnitenti aliquando imponere, ut cum Suarez *in 3. part. diſp.* 38. *ſect.* 6. docet contra paucos communis Theologorum ſententia; a fortiori poterit ejuſmodi opus in votorum commutationibus ſubſtituere. *A fortiori* inquam; non enim hic agitur de aliqua parte Sacramenti, quod rem ſenſibilem etiam in ſatisfactione poſtulare exiſtimetur. Quæ cum ſit ratio potiſſima, ob quam Alex. Alenſ., Alaym., & Sancius negant poſſe opus internum pro Sacramentali ſatisfactione imponi, facile & ipſi concedent, poſſe tamen in votorum commutationibus ſubrogari.

Ad II. major difficultas eſſe videtur. Nam eximius Suarez *De Religione To. II. lib.* 6. *c.* 20. tripartita Voti commutatione *in melius*, *in æquale*, *& in minus bonum*, etſi concedat, poſſe voventem ad priorem voti materiam redire, ubi commutatio facta fuerit in minus bonum, idemque putet probabile, & in praxi tutum etiam quando commutatio facta fuit in bonum æquale; negat tamen id licere voventi cum commutatio in melius bonum perfecta ſit; rejicitque doctrinam Sanchez contrarium aſſerentis, *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 9. *n.* 21. & negat Azorium idem ſenſiſſe, quod Sanchez; & merito quidem, Azorius enim loquitur tantum de commutatione in æquale, ut patet legenti *To. I. lib.* 11. *c.* 18. *q.* 10.

Hanc ſententiam cum Raphaele a Turre, Filliucio, aliiſque ſequitur, confirmat, & auget Daniel Concina *lib.* 4. *in Decal. Diſſert.* 3. *c.* 17. Auget, inquam. Contendit enim neque licitum eſſe regreſſum ad priorem Voti materiam, ubi commutatio in æquale bonum peracta ſit, ſicut

ſicut etiam ſenſit perdoctus Paſſerinus *De Homin. ſtatib. Tom. II. q.* 187. *num.* 772.

Sed multo plures ſententiam Sanchez amplexi ſunt, Leſſius, Boſſius, Bonacina, aliique apud Paſſerinum *cit. quæſt.* & Giribaldum *De Præc. Decal. Tract. 7. c. 6. dub.* 10. I. quia commutatio quæ vis ſive in minus, ſive in majus bonum ſemper fit in favorem voventis; ad hoc enim petit ſibi vovens commutationem. Quilibet autem favori ſuo poteſt renunciare juxta *reg. 61. Jur. in 6. quod in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*. II. Commutatio facta eſſe videtur ſub tacita conditione, niſi vovens nolit prius votum implere.

Verum multo probabilius cenſeo cum laudato Suarez, aliiſque non eſſe licitum regreſſum ad priorem Voti materiam, ubi commutatio *in melius* facta ſit. Etenim commutatio in melius videtur habere vim novi Voti; quo vovens ſe obligat ad reddendum Deo aliquid melius. Nequit ergo retro reſpicere, & ad prius propria auctoritate redire. Id manifeſte patet in binis exemplis a Suarezio propoſitis, ideſt de eo, qui cum voviſſet Clericus fieri, *poſtea hoc votum in Religionis votum commutavit*, & de altero, qui cum feciſſet votum ſimplex Religionis laxioris, *poſtea voluit obligari determinate ad perfectiorem*. Quis enim non intelligat, in his novum potius emitti votum, nec voventis quidem favorem ſed potius majus Dei obſequium, cultumque a vovente ſpectari? Ruit ergo primum illud contrariæ ſententiæ fundamentum innixum *Reg. 61. Jur. in 6.*, tum etiam alterum tacitæ illius conditionis, quæ gratis ſupponitur, ut fuſius oſtendunt Paſſerinus, & Concina *loc. cit.*

Idem quoque dicendum videtur, etſi commutatio facta ſit in æquale. En hujus opinionis fundamenta. I. Per commutationem extinguitur in vovente obligatio reſpectu materiæ prioris, & ita quidem, ut ſi materia ſubrogata evadat voventi impoſſibilis, prior non reviviſcat, nec ad illam implendam teneatur. Ergo determinate tenetur ad ſolam ſuffectam; nec propterea poteſt ad priorem propria auctoritate redire, & maxime juxta Sanchez, Salmaticenſes, alioſque, qui conveniunt, non poſſe voventem propria auctoritate commutare ſuum votum in materiam æqualem. II. Nec juvat commutationem fieri *in favorem voventis*. Favor enim fuit ſolum ad mutationem faciendam, qua peracta, exſurgit & manet obligatio circa materiam ſuffectam, ſicut ante commutationem permanebat circa priorem materiam. Atque ita intelligitur agere ſuperior nomine Dei. Et falſum eſt, commutationem fieri *ſub tacita conditione*, niſi vovens malit priorem materiam implere. Nam, ut bene advertit Suarez, qui denique hac in re anceps eſſe videtur, in tali hypotheſi commutatio non eſſet amplius in æquale, quia prior obligatio erat definita ad unum, & poſtea quaſi indifferens foret, & arbitraria inter duas materias; quæ amplitudo multum minuit de rigore obligationis. Hæc laudati Scriptores.

Sed ad Caſum, ex ſuperius dictis, patet Reſp. Scilicet cum Mentalis Orationis exercitium excellentius ſit, & voventi utilius, ubi fuerit acceptatum, non poteſt vovens ad ſuas preces, quas etiam attentis circumſtantiis, minus bonum ſuppono, propria auctoritate redire. Quod ſi viderentur etiam bonum moraliter æquale, ex dictis pariter habes, quod ſentias.

CAS.

CAS II. Odoardus Notarius exponit Confeſſario ſuo, ſe intra menſem a die aperitionis cujuſdam Teſtamenti non manifeſtaſſe Ordinario legata pia in eo Teſtamento contenta. Confeſſarius eum abſolvere recuſat, aſſerens incidiſſe in caſum ipſi Ordinario reſervatum.

Qu. an verum ſit Parochi judicium, & aſſertum?

Reſp. Confeſſarium recte quidem judicaſſe, ſed non recte aſſeruiſſe. Recte judicavit, ſe non poſſe Odoardum Notarium abſolvere, quia in quoſcumque Notarius, qui intra menſem a die rogitus, vel aperitionis Teſtamenti ad Ordinarium non deferunt legata pia, in hac noſtra Diœceſi, ad normam *Conc. Ravennat. II. ſub Clem. V.*; lata eſt ſententia excommunicationis Ordinario reſervatæ, ut habetur *Syn. Diœceſ. Bonon. lib. 3. c. 10. §. Et quia ex Notariorum incuria*, ubi hæc expreſſe leguntur: *præcipimus ſub excommunicationis ſententia ipſo facto incurrenda, & Nobis reſervata, ut omnes tam Civitatis, quam Diœceſis Notarii intra menſem a die rogitus, vel aperitionis Teſtamenti, tradant impoſterum notulam Cancellario Noſtro tum legatorum, cum ſubſtitutionum, ſive conditionatæ fuerint, ſive abſolutæ, quibuſcumque Eccleſiis, Oratorii, Hoſpitalibus, Locis piis, ſive Monialium, ſive Religioſorum Conventibus, Altaribus factarum, de quibus rogati fuerint.*

Non recte tamen aſſerit Odoardi culpam, etſi revera in quibuſdam Diœceſibus *Syn. Æſina* 1683. & *Albanen.* 1689. inter reſervatos recenſeatur, eſſe caſum in hac Diœceſi reſervatum. Neque enim idem eſt Caſus reſervatus, ac Cenſura reſervata; illudque inprimis ad rem præſentem eſt diſcriminis, quod in reſervatum incidit etiam, qui reſervationem ignorat, utpote quæ non pœnitentem afficit, ſed Confeſſarium ut notum eſt; at qui Cenſuram ignorat, in cenſuram non incidit, eam ſaltem, quæ ab Ordinario lata ſit, ut habetur cap. *Ut animarum 2. de Conſtit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait: *Sententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis legari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina*. Dixi *quæ ab Ordinario lata ſit*; nam de cenſuris Papalibus multi cum Doctiſſ. Suarez diſputant, & volunt etiam ab ignorantibus incurri, dummodo legem noverint. Quare in praxi erit in caſu noſtro a Confeſſario inquirendum, an Pœnitens ea ignorantia laboraverit, quæ ipſum a Cenſura excuſet. Quamquam in re ad ſuum ſtatum & officium imprimis ſpectante difficile eſt, Notarium ab ignorantia craſſa, & ſupina eſt excuſare. Ignorantia enim craſſa & ſupina eſt, ubi quis ignorat id, quod ſcire debet, & quod omnes ejuſdem ſtatus, & conditionis communiter ſciunt, ut notat Antoine *de Cenſ. c. 1. q. 4.*

CAS. III. In Eccleſia Parochiali S. Thomæ duo ſunt Rectores ex æquo Parochialia munera exercentes. Alteri ſenio, & cæcitate ad officium inhabili datus eſt ab Epiſcopo Cappellanus Coadjutor temporalis. Huic ſua munia exercere volenti Rector alter negat uſum ſtolæ, quem ſoli Rectori competere contendit.

Qu. An Jure neget?

Reſp. Uſus Stolæ vel ſumitur prout eſt ſignum Juriſdictionis; vel prout eſt inſigne aliquod diſtinctivum Parochi. In priori ſenſu injuria negat Rector ille uſum Stolæ dicto Coadjutori per Epiſcopum dato. Et ratio eſt, quia Coadjutor, ab Epiſcopo juxta Sacros Canones datus Parocho perpetua infirmitate laboranti, habet a Jure exercitium Curæ

 ani-

animarum cum omni juriſdictione ſpectante ad Parochum infirmum, ut habetur *Cap. Conſultationib. de Cler. ægrot. Cap. Cum ex eo de Elect. in 6. & Cap. unic. Paſtoralis de Cler. ægrot. in 6. Epiſcopi Coadjutores aſſumant idoneos, qui ejus officium exequantur*. Ubi Gloſſa: *eſt ergo Coadjutoris officium ea facere, quæ pertinent ad officium ejus, cui deputatus eſt*. Imo ex *Clement. I. tit. 7. lib. 5. De Privil.* Coadjutor ab Epiſcopo ſuffectus reſpectu Curæ animarum dicitur Ordinarius, & habet ordinariam juriſdictionem, ut propterea alterum poſſit delegare ad aliquod Parochiale munus exercendum: Ibi enim *ſub pœna excommunicationis* cavetur, ne Religioſi Juris Parochialis Sacramentum miniſtrent *ſine Parochialis Presbyteri licentia*. Ubi Gloſſa v. *Presbyteri*, ait *ſufficere licentiam Vicarii ab Epiſcopo ſuffecti per modum Decr. cum ex eo de Elect. in 6.* qua de re videatur Sanchez *De Matrim. lib. 3. diſp. 31. n. 13.* Porro ſi Coadjutor a Jure habet in officio ſuo Juriſdictionem, cur eidem negabitur Juriſdictionis ſuæ ſignum?

Præterea quid, quæſo, juris Rector ille ſanus ſuper Infirmi Coadjutorem ab Epiſcopo datum jactare poteſt, cum par denique ſit utriuſque conditio? Etenim Rector ille nec vere & proprie Rector eſt, neque Parochus, ſed ambo ſunt ſimplices Capellani Coadjutores Epiſcopi, aut veri Parochi, ſi extat, in exercitio Curæ animarum. Sicut enim uni ſponſæ duo Mariti dari non poſſunt, ſic neque uni Eccleſiæ duo Parochi eodem tempore, ut docent communiter DD. quos laudat, & ſequitur Loterius *De re benefic. lib. 1. q. 20. n. 141.* tum Card. de Luca *Tract. de Parochis Diſcurſ. 17. n. 4.* Non ergo poteſt ille alteri ſe præferre, nec ullam eidem officii ſui prærogativam negare. Atque his fere momentis Caſum hunc, qui Patavii accidit an. 1666., reſolvit Doctiſſ. Clericatus, & Rectorem ſe nimis efferentem compreſſit *De Juriſd. Diſcor. 33.*

Sed quid de uſu Stolæ prout eſt Inſigne quoddam diſtinctivum Parochorum? Non diſputat quidem aperte Clericatus; ſed cum aſſerat, Coadjutorem illum habere exercitium Curæ animarum etiam *cum omni prerogativa ſpectante ad Parochum infirmum*, videtur eidem id omne tribuere, quod Rectori convenit; ut proinde ſi Rector ille ejuſmodi inſigniis utitur, iiſdem quoque uti poſſit Coadjutor.

Verum hac in re putaverim in primis ſtandum eſſe cujuſvis Diœceſis ſtatutis, & Conſuetudinibus. Nam S. Carolus cum in *Conc. Mediol. Prov. IV.* & *in Syn. Diœc. II.* Parochis ſimplicibus tamquam ipſorum inſigne, Caputium humeris ferendum tribuiſſet, *in Syn. Diœc. IV. Decr. 19.* vetuit, alios omnes uti illo ornamento, etiam Coadjutores non perpetuos, & Vicarios Parochorum, qui ab eodem munere poſſunt amoveri. Contra Romæ ex ſtatuto ſpeciali Cleri Romani mos eſt, ut Sodalitiorum Capellani in publicis ſupplicationibus ſtola utantur. Porro in hac noſtra Civitate, & Diœceſi Stolæ uſus in publicis ſupplicationibus eſt proprium Parochorum Inſigne, ut a ceteris Capellanis ſecernantur, ut ſcribit Benedict. XIV. *Inſtit. Eccl.* 105. ſeu *Notif.* 17. §. 7. *T. V.* De Vicariis autem amovibilibus, ut ajunt, & Coadjutoribus non perpetuis nihil præſcripſit Pontifex, & Archiepiſcopus Noſter. At conſuetudo eſt, ut Coadjutores & Vicarii amovibiles, ab iis, ad quos ſpectat, electi, & ab Epiſcopo ad Curam animarum approbati, & deſtinati Stolam deferant. Qua conſuetudine innixus Coadjutor noſter fortaſſe poterit favorabilem ſibi Judicis, ad quem remittitur, ſententiam ſperare.

MEN-

CAS. I. Andreas Præsbyter rogat Parochum, ut ſibi facultatem faciat aſſiſtendi Matrimonio Catharinæ Neptis ſuæ. Parochus ne inurbanus videatur ficte concedit, ratus ſe poſſe opportune id impedire; ſed interim dum impedimentum parat, Andreas Matrimonio Catharinæ aſſiſtit.

Qu. an valide?

Reſp. Petrus de Ledeſma *de Matrim. q. 45. art. 5, punct. 3. dub. 4.* negat validum eſſe hujuſmodi Matrimonium. Sed cur negat? quia, inquit, etiam Confeſſio facta Sacerdoti, cui Epiſcopus facultatem audiendi Confeſſiones ficte conceſſit, invalida eſt. Verum hæc ratio peccat petitione principii, ut ajunt Logici, dum id pro certo aſſumitur, quod eſt in quæſtione. Quæritur enim, utrum acta per Judicem, cui ficte per legitimum Superiorem facta eſt poteſtas agendi, ſint valida?

Itaque Reſp. affirmative. Communis enim eſt apud Theologos, ac Juriſtas, & moraliter certa ſententia, errorem communem cum titulo colorato, ſeu putativo Juriſdictionem conferre, ut alias etiam nos ipſi demonſtravimus *ad Caſ. III. Septembr.* 1776. Atqui in facultate ficte conceſſa habetur utrumque. Nempe habetur titulus putativus, quia habetur licentia a legitimo Superiore putative conceſſa. Adeſt quoque error communis, quia nullitas licentiæ orta a defectu intentionis in Parocho, omnino occulta eſt, & communiter in facie Eccleſiæ vera cenſetur. Ergo Matrimonium ſic in facie Eccleſiæ contractum validum eſt: quemadmodum validum eſt Matrimonium contractum coram Parocho, qui Parochiale beneficium a legitimo Superiore, utcumque invalide ob occultum impedimentum, obtinuerit. Ita ſentiunt Sanchez *de Matrim. lib. 3. diſp. 22. n. 64.* Boſſius *Cap. 4. num.* 109. Guttierez, Barboſa, Giribald. Idemque cum ſentiant pari ratione de validitate Confeſſionis, corruit omnis Ledeſmæ ratio, & argumentum.

CAS. II. Baſſiano Confeſſario ſe præſentavit Mævia peregrina ex hiſpaniis, cujus idioma cum non intelligeret, Felix Sacerdos hiſpanus pro Interprete ad Confeſſionale accerſitus eſt; qui cum Peregrinæ peccata audiret, & Confeſſario interpretaretur, eamdem ad turpia ſollicitavit.

Qu. an ſit denunciandus?

Reſp. Affirmant Freitas *quæſt.* 15. & Eſcobar *q. 2. num.* 31. Hujus maxime rationes ſunt: I. quia Interpres accedit ad Sacramentum, ut Medicus, quatenus per ipſum Confeſſarius morbum cognoſcit, & remedium adhibet opportunum. II. quia Interpres eſt veluti medius inter Pœnitentem, & Confeſſarium in Sacramento, unde debet ut principalis judicari ex textu in *l. Tunc inutile* 12. *de Pecul. legat.* Denique velut Confeſſarius interpretative concurrit ad Confeſſionem peccata cognoſcens in ordine ad ipſam, & ſigillo Confeſſionis adſtringitur.

At, judicio tamen noſtro, Interpres, ex vi quidem Conſtitutionum ſive Gregorianæ, ſive Benedictinæ, non eſt denunciandus. Etenim ex his Conſtitutionibus ii tantum Sacerdotes ſunt denunciandi, qui Sacerdotali ipſo miniſterio aliquo modo turpiter abutuntur; quod quidem ex Conſtitutionum vi ita eſt perſpicuum, ut ſi quis Clericus, aut Laicus

quovis modo, aut prætextu ſollicitarent, in denunciationis pœnam non incurrerent, ut omnes docent. Porro Interpretis officium nihil omnino comune habet cum Sacerdotali miniſterio, cum Interpretis munere fungi poſſit & Laicus, & Puer, & Mulier. Ergo Interpretem nec reſpiciunt Bullæ, nec afficiunt pœnæ. Immo Interpres proprie officio fungitur pœnitentis, cujus agit vices, & verba explicat, & peccata accuſat. Ergo nihil ad ipſum Pontificum ſanctiones.

Hinc ad Eſcobariana argumenta Reſp. patet. Nempe Interpres eſt *Medicus*, ideſt infirmus, cujus perſonam ſuſtinet. Eſt *medius*, & *concurrens* ad Confeſſionem, ideſt ut merum inſtrumentum, quale eſſe poſſet Pſittacus, ſi linguas calleret, & ſemper in perſona Pœnitentis. Demum tenetur ad ſigillum, ideſt, ut quidam putant, ad ſecretum naturale. Et quamvis etiam ad ſigillum, ut ſentiunt alii, Interpres teneatur, id aliam reſpicit cauſſam, & nihil ſive a Gregorio XV. ſive a Bened. XIV. de ſigilli violatione diſponitur. Ita nobiſcum Bordonus *de ſollicit. ſect.* 25. *q.* 15. *n.* 94. & cum aliis multis Card. Cozza *de Confeſſ. ſollic. dub.* 40. Et merito quidem, cum hæc ſententia in Supr. Trib. S. Inquiſ. perpenſa, & excuſſa *die* 11. *Febr.* 1666. ſatis probabilis, & in praxi tuta fuerit judicata. Advertit tamen appoſite Saleles 3. *part. reg.* 128. *n.* 3. Interpretem iſtum pœna eſſe dignum, & ſubjectum Inquiſitori, ſeu Epiſcopo ex Jure communi, quod injuriam fecerit Sacramento.

CAS. III. Marcellus Parochus ſenio valde debilis, cum nequeat in die feſto Miſſam, quæ ex longioribus eſt, totam legere ſtando, ut Populus præcepto audiendi ſacri ſatisfaciat, aliquam Miſſæ partem legit ſedendo.

Qu. An recte ſe gerat?

Reſp. Negative. Etenim ritus ſtandi, qui in celebratione Miſſæ à Rubrica præſcribitur *part.* 1. *tit.* 17., inter præcipuos recenſetur, tum propter reverentiam debitam Sacrificio, cui adverſatur *opprobrium ignominioſæ ſeſſionis*, ut loquitur S. Petrus Tamiani *ad Epiſc. Biſunt. Tom.* 3. *Oper.*, tum propter miniſterii naturam, cujus functio eas actiones exigit, quæ nequeunt cum ſeſſione componi. Unde qui nequit ſtando celebrare, is habet naturale impedimentum, quo impotens eſt ad offerendum, ut ex D. Tho. 3. *p. q.* 82. *a.* 10. *ad* 3. docit Paſqualigo *To.* I. *q.* 227. Celebre eſt, quod legitur Can. 57. *De Conſecrat. diſt.* 1. *Nullus Epiſcopus, Præsbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire.* Denique nota ſunt, quæ ſevere præſcribit Trid. Syn. *Seſſ.* 22. in Decreto *de Obſervandis & evitandis in celebr. Miſſæ*, tum *ſeſſ.* 7. *Can.* 13. ac demum quæ Pius V. Conſtit. *Quo primum tempore* ad Rubricas Miſſalis præfixa. Quæ ſane ſi perpendas, facile intelliges, neque ut Populus Miſſam audiat in die feſto, Marcellum licite poſſe propria auctoritate aliquam Miſſæ partem ſedendo recitare. Et ideo, inquit Quartus *in Rubr. Miſſ. p.* 1. *tit.* 17. *dub.* 3. Marcellus peccaret graviter, ſi ſeſſio notabilis foret; venialiter vero, ſi repetetur pro parva materia. Immo advertit Paſqualigo, tam gravem, & religioſum, obſervatumque eſſe in Eccleſia ritum ſtandi in Miſſæ celebratione, ut quamvis Pontifex abſolute diſpenſare poſſit, non deceat tamen, niſi ex magna, & graviſſima cauſſa. Sed hac de re videatur celebris *Epiſt. Bened. XIV. dat.* 28. *Octob.* 1757. *ad Ignatium Reali Pontif. Cærem. Protomagiſtrum.*

MEN-

MENSE MARTIO.

CAS. I. FRidericus Parochus in demortui Patris hæreditate ſuccedens, paterna bona in ſolvendis debitis inſumſit. Sed cum hæc omnibus extinguendis non ſufficerent, Creditores inſtant, ut debeat de Parochialibus fructibus reliqua debita ſolvere, quod facere Fridericus negat.

Qu. an Creditoribus, an Friderico faveat Jus?

Reſp. Jus Friderico favere. Inprimis enim de jure Canonico Hæres non tenetur ultra vires hæreditatis, etiam quando adivit hæreditatem non confecto Inventario, Bald. in *l. cum a matre num.* 11. *C. De Rei vindicat.* & *lib.* 5. *Conſ.* 65. *Super præmiſſo*, quam Baldi doctrinam ſervandam eſſe docent Marta *de Juriſd. part.* 4. *Centur.* 1. *concl.* 75. *n.* 5. Duard. Diana *part.* 1. *de Imm. Eccleſ. reſolut.* 70. & alii. Ergo multo minus tenebitur Fridericus, qui Inventarium fecerit, ut ſupponere Caſus videtur, in quo nulla exprimitur facta hac in re a Creditoribus contra Fridericum exceptio. Deinde pro Friderico militant privilegia in omni jure Clericis conceſſa. Quibus enim privilegiis gaudent Milites armatæ Militiæ, eadem conceſſa ſunt Clericus, qui dicuntur Milites militiæ cæleſtis, Gratian. *Diſcept. Forenſ. Cap.* 706. *n.* 55. Sed militum ſtipendia non ſunt moleſtanda, Gloſſa in *l. ſtipendia C. de Execut. rei judic.*, & in *l. Nepos Proculo ff. de verb. ſignific.* &c. Ergo nec fructus Beneficiales, qui ſunt ſtipendia Clericorum. Præterea in Jure idem dicendum de Beneficio Eccleſiaſtico, ac de Feudo non hæreditario, ut argumentatur Barboſa in *Loc. Comun. argum. loc.* 47. Sed in Feudo non hæreditario, quod appellatur ex pacto, & providentia, Filius non tenetur ſolvere debita Patris defuncti ex fructibus ipſius feudi, Cacheran. *Deciſ. Pedemont.* 161. Rolandus a Valle *conſ.* 18. *Vol.* 3. & Surdus *de aliment. tit.* 4. *q.* 10. *n.* 20. Ergo idem dicendum de beneficio Eccleſiaſtico, quod non confertur Filio ex jure hæreditario, ſed ex mera gratia, & benignitate Eccleſiæ.

Quid plura? Bellettus *Diſquiſ. Clerical. De Clerico Debitore p.* 1. *§.* 3. *n.* 41. ex Bald. *Conſ.* 208. *vol.* 2. & Card. Thuſc. *in pract. tom.* 3. verb. *Epiſcopus*, affirmat, quod Epiſcopus gravatus ære alieno, antequam eſſet Epiſcopus, etiamſi feciſſet obligationem de ſolvendo Creditoribus ubi ad pinguiorem fortunam devenerit, *non obligatur neque in foro conſcientiæ, neque in foro fori ad ſolvendum ex fructibus Epiſcopatus*. Deinde concludit: *Idem dicendum de Clerico habente debita patrimonialia, quæ ſolvere non tenetur ex redditibus beneficii*, Abb. in *cap. pervenit n.* 2. *de arbitr.* Favet ergo Friderico omne Jus, ne debita Patris ſolvere teneatur ex fructibus Parochialis Beneficii.

Unum excipe tamen; nempe fructus beneficiorum obnoxios eſſe Creditoribus Clerici, cum debita Clericus contraxit pro ſui ſuſtentatione. Archidiac. in *cap. ſtatutum De Reſcript. lib.* 6. Panormit. in *cap. Cum eſſes num.* 27. *de Teſtam.* Sed non ſumus in caſu.

CAS. II. Terentius, occaſione Matrimonii, a Parocho interrogatus, an votum aliquod emiſerit, reſpondet ſe votum olim emiſiſſe perpetuæ Caſtitatis. Cumque doceret eum Parochus, non poſſe licite Matrimonium inire, repoſuit votum feciſſe quidem, ſed ſine animo votum ſervandi.

Qu. an Parochus poſſit ejus Matrimonio aſſiſtere?

Reſp. Triplici modo Votum, ſecundum propoſitum, ſive animum voventis, vitiari poſſe advertunt Theologi. I. Si ſolis verbis voveat, ſine animo ſeu voluntate vovendi. II. Si & verbis, & animo promittat, ſed ſine animo ſe obligandi. III. Si animum habeat, & promittendi, & ſe obligandi, ſed ſine animo exequendi promiſſum. Qui primo modo vovet, certum eſt nullum emittere votum, ſed verbis ludere, & abuti. Diſputant vero acriter Doctores, an qui altero modo vovet, ideſt ſine animo ſe obligandi, is voto teneatur?

At caſus noſter exprimit, Terentium tertio modo voviſſe. Et dico Parochum non poſſe ejus Matrimonio aſſiſtere. Siquidem communiſſima ſententia eſt contra Valentiam *in* 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 6., qui tertio modo vovit, ideſt cum animo & promittendi & ſe obligandi, ſed ſine animo exequendi promiſſum, eum omnino teneri voto, & obſtringi. Nam ex communi definitione voti, votum formaliter voluntaria promiſſione perficitur, & in eadem voti eſſentia conſiſtit. Igitur voti obligatio ab ipſa promiſſione dependet, non vero a rei executione, ſive ab animo implendi, vel non implendi. Et certe iſtud non exequendi propoſitum poſterius eſt, & prorſus inefficax, ut elidere valeat priorem illam promittendi, & ſe obligandi voluntatem. Siquidem & vere jam promiſit, & ſe Deo obligavit. Igitur voto ſuo adſtringitur Terentius. Azor. *lib.* 11. *c.* 13. *q.* 9. & Sanchez, & Giribald. & alii unanimiter. Sed qui voto caſtitatis adſtringitur, is impedimentum habet, ne licite Matrimonium contrahat, ut notum eſt. Ergo nequit Parochus Terentii Matrimonio aſſiſtere.

Sed quid dixeris, ſi Terentius ſecundo modo voviſſet, ideſt ſine animo ſe obligandi? Sanchez *lib.* 3. *Diſp.* 15. *n.* 9. etſi velit ejuſmodi votum eſſe invalidum; negat tamen, poſſe Parochum Matrimonio aſſiſtere; & merito. Nam Matrimonium ad forum externum ſpectat, & in foro externo non eſt adhibenda fides Terentio: *Cum minis indignum ſit, ut quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat ore infirmare*, ut habetur *c. per tuas De Probat.* Deinde in omni Jure nemo præſumitur ea dicere, quæ in corde non habet; Immo, inquit Menochius *de Præſumption. lib.* 6. *præſumpt.* 35. *n.* 2. violenta eſt præſumptio juris, id eſſe in corde, quod loquitur lingua. Ergo dum Terentius fatetur, ſe emiſiſſe votum, ſed abſque animo ſe obligandi, eſt præſumptio juris contra ipſum; unde ipſi onus probandi incumbit, & niſi probaverit, audiendus non eſt.

Excipit tamen & temperat idem Sanchez: Si aliunde non conſtet de voto Terentii, quam ex ipſius affirmatione, tunc ſi votum fateatur, & ſimul defectum animi ſe obligandi, eſt ei adhibenda fides; quod veriſimile eſt non mentiri. Unde poterit Parochus ejuſdem Matrimonio aſſiſtere.

Verum inprimis ejuſmodi exceptio certum ſupponit, votum cum animo ſe non obligandi eſſe nullum, quod tamen negant Sotus, Prado, Aragon. & Concina. Porro idem Sanchez *l.* 3. *Diſp.* 9. *n.* 13. docet, voventem in dubio, an obligari voluerit, teneri ad votum; & multis bene probat. Atqui de eo, qui vovit ſine animo ſe obligandi, prudenter dubitare poteſt Parochus, an voto teneatur. Ergo a Matrimonio admittendo prudenter debet abſtinere. Ceterum ego putaverim, voventem cum animo ſe non obligandi aut voto teneri, aut ejuſmodi votum

eſſe chimæram a Theologis fictam, & voventibus incognitam. Quid enim eſt votum? S. Th. 1. 2. q. 88. *Votum eſt promiſſio deliberata, & ſpontanea Deo facta de re meliori*. D. Raymund. *Summ. tit. de vot. trangreſ. §. 1. Votum eſt alicujus boni cum deliberatione facta promiſſio*. Igitur voti; & obligationis aſſentia in promiſſione eſt. Si ergo promiſit, & vovit, obligetur voto, neceſſe eſt. Si autem obligari vere noluit. Ergo non promiſit. Contradictoria enim mihi videntur, vere promittere, & nolle obligari. Inquirat ergo potius prudens Parochus an Terentius promiſſum fecerit, an ſimplex propoſitum emiſerit; atque ita depulſis ineptis ſpeculationibus rectius definiet, an poſſit Matrimonio aſſiſtere, nec ne.

CAS. III. Raynaudus Vir Nobilis Privilegio gaudens Oratorii domeſtici, in amplis ſuis Ædibus duas habet diſtinctas habitationes, quarum alteram æſtate incolit, alteram hyeme. Cum in utraque erectum habeat Oratorium; in altero æſtate, & hyeme in altero facit Miſſam celebrare.

Qu. an rite privilegio ſuo utatur?

Reſp. negative. Nam in primis quicumque privilegium obtineat Oratorii domeſtici, is nequit in extructo Oratorio Miſſam celebrari facere, niſi prius fuerit ab Ordinario viſitatum, & approbatum; ut perſpicue Indulti verba expoſcunt, *ab Ordinario Loci prius viſitando, & approbando*. Quam approbationem ad ſubſtantiam Privilegii pertinere docent Moſtazo *lib. 5. De Cauſ. Piis c. 5. n. 79.* & Paſqualigo *De Sacrif. Miſſ. q. 620. n. 9.* Ordinarius autem vigore Indulti nonniſi unum Oratorium pro qualibet Domo Privilegiatorum approbare debet. Hanc enim unitatem. I. Deſignant Privilegii verba, quæ numero ſingulari *Oratorium* exprimunt, nec in plurali *Oratoria* exprimere ſolent, niſi quando ad domos habitationis tum in Civitate, cum Ruri exiſtentes Indultum extenditur. II. Idem declaravit S. Congreg. Concilii. Nam cum aliquis Privilegiatus interdum poſtulaſſet, ut Indultum antea ſibi conceſſum ad aliquem alium Domeſticum ægræ valetudinis extenderetur, aperte data eſt extenſio, *ſi Sanctiſſimo viſum fuerit* limitata in eodem Oratorio, in quo prius Miſſæ in illa domo poterant celebrari, ut habetur *lib. 38. Poſitionum ejuſd. S. Congr. fol. 9. 12. & 265.* Denique Sac. Congreg. Cardinal. ſuper negotia Epiſcop. & Regul. cum ex ſpeciali Pontificis delegatione dediſſet licentiam Miſſarum celebrandarum in Domo cujuſdam Baroniſſæ, ſimul prohibuit, ne duo ſimul in iiſdem Ædibus approbarentur Oratoria. Atque his verbis ſcripſit Epiſc. venucino die 4. Maii 1604. *Non piace alla Sacra Congregazione, che la Moglie del Barone N. N. poſſa fare celebrare dentro il Palazzo ſuo in due Capelle; ma che ne elegga una ſola, la quale ſia ben accomodata, ed ornata ad arbitrio di V. S.* &c., *così dunque potrà Lei in virtù della preſente eſeguire*. Non recte igitur Raynaudus privilegio ſuo utitur, dum duplici Oratorio in ſuis Ædibus utitur ad miſſæ celebrationem. Et tunc ſolum in eodem Palatio, ſeparatiſque habitationibus diverſa haberi poſſunt Oratoria, quando in illis habitant plures Privilegiati, & Palatium pluribus domibus æquivalet; quemadmodum Eminetiſſ. Urbis Vicarii approbare pluries Romæ conſueverunt. *Regiſt. Arcbiv. Vic. Urb.*

CAS. I. Maurus & Mauritius, pacta annua mercede, Reginaldo Agrorum Conductori operas ſuas ad annum locavere. Expleto ſemeſtri Maurus repente a ſervitio diſcedit; qua de cauſſa iratus Reginaldus Mauritium ejus ſocium eodem tempore expellit.

Qu. Quid mercedis utrique debeat Reginaldus?

Reſp. Quantum ad Maurum ſponte, & ſine cauſa, ut ſupponitur, a ſervitio diſcendentem, docet Azor. *Part.* 3. *lib.* 8. *c.* 14. *q.* 6. Reginaldum ad nihil mercedis teneri. Cum enim famulus ſponte diſceſſerit, & Dominum, abſque ulla ejus culpa, convento ſex menſium ſervitio fraudaverit, dignus eſt, ut priorum etiam ſex menſium ſtipendio privetur. Atque hac pœna revera in Foro externo plectuntur famuli Dominos deſerentes ex *l. Dominus* 55. *ff. Locati*, & *l.* 1. *C. de ſervis fugitivis*. Immo quibuſdam Principum legibus, & Civitatum ſtatutis inſuper cautum eſt, ne quis in famulatum admittat eum, qui a priori Domino receſſerit, niſi cognita cauſa deſertionis.

Verum bene habet Azorius, ſpectato Foro externo. At ſi, ut Theologum decet, internus conſcientiæ forus, & jus naturale ſpectetur, Reginaldus, per ſe loquendo, debet Mauro dimidiam ejus anni mercedem ſolvere. Siquidem famulus revera ed ſex menſium tempore ſervitium præſtitit, & Dominus, vi ſervitii præſtiti, commodum, &utilitatem ſenſit. Ergo vi juſtitiæ naturalis famulus jus habet ad mercedem *pro rata* ob partos labores recipiendam, & Dominus debito ſolutionis adſtringitur ob commodum, & utilitatem inde preceptam. Dixi *per ſe loquendo*. Nam ſi Reginaldus ex inopinato Mauri diſceſſu notabile damnum paſſus fuiſſet, poterit ſtipendia ſibi retinere, titulo compenſationis ejus damni, cujus cauſſa injuſta fuit Maurus diſceſſu ſuo. Et ideo rata damni compenſatio fieri debet. Girib. aliique apud ipſum *De Contract. Tract.* 3. *c.* 7. *n.* 49.

Neque refert, in Foro externo contrarium diſponi. Notum eſt enim, non ſemper in Foro conſcientiæ interno id licere, quod licet in externo. Nam leges Civiles non ſemper jura definiunt, ſed ſæpe pœnas ſtatuunt ob bonum civilis ſocietatis, & commercii in Republica; & quandoque nituntur falſis præſumptionibus malitiæ & damnorum, ut patet etiam in caſu adductæ *l.* 1. *C. de ſervis fugitiv.* ubi additur: *ne ſervorum fuga Dominis ſuis ex quacunque cauſa fiat damnoſa*.

Quantum ad Mauritium ex ira a domino expulſum, Reginaldus debet eidem integram totius anni mercedem ſolvere; quia per Famulum non ſtat, quin toto integro anno ſerviat, & pactam mercedem, ad quam jus inchoatum ex conventione habet, ſibi lucretur. Eſt communis; & firmatur argum. ex *l. qui operas* 41. *ff. Locati*, ubi ſancitur, *Qui operas ſuas locavit, totius anni mercedem accipere debet, ſi per eum non ſteterit, quominus operas præſtet*.

At diſputatur tamen: utrum idem dicendum ſit, etiamſi Mauritius ſtatim operam ſuam alteri locaverit, eademque ſibi fuerit mercedem lucratus, affimat Molina *Diſput.* 506. cui ſubſcribit Dan. Concina *lib.* 6. *in Decal. cap.* 16. *q.* 6. cum aliis, quos citat, quiſque leges adducunt id ſtatuentes.

Sed quid ſit de Foro externo, nos qui Theologos agimus, negative cenſemus.

ſimus. Nempe Reginaldus ad ſolam ſex priorum menſium non ad integram totius anni mercedem tenetur, ubi Famulus pari ſibi obveniente mercede ſervatur indemnis. Si enim nullum ob expulſionem paſſus eſt damnum, non video, quo jure debeat mercedem, pro qua nullam inſumpſit operam, exigere. At Reginaldus, inquies, fractæ fidei reus eſt. Utique, ſed non eſt reus damni ullius illati. Porro injuria fidei fractæ in Foro conſcientiæ non pecuniis, ſed chriſtianæ charitatis, & ſubmiſſionis actibus compenſatur. Atque in hoc maxime ad rem noſtram diſert internus Forus ab externo. Id quod dicas velim, & applices ad priorem partem Caſus. Ceterum in ea, quæ citari ſolet *l. ſed addeſ.* 19. §. 4. *ff. locati* habetur, totam anni mercedem famulo deberi, hac adjecta tamen conditione: *Si eodem anno mercedem ab alio non accepit.*

CAS. II. Polidorus juſſu Domini ſui longum iter & negotium ante Dominicam Palmarum aggreſſurus, prævidet ſe nec annuæ Confeſſionis præcepto intra annum, nec intra quindenam Paſchæ præcepto Paſchalis Communionis poſſe ſatisfacere.

Qu. An, cum commode poſſit, utrumque anticipare teneatur?

Reſp. Quæſtio iſthæc duas partes complectitur. Prior reſpicit Confeſſionis annuæ præceptum. Altera præceptum Paſchalis Communionis. Quantum ad I. affirmative; ideſt Polidorus, cui jam labitur annus ab ultima Confeſſione, debet Confeſſionem in eo caſu anticipare. Et ratio eſt, quia præceptum Confeſſionis annuæ cum extendatur, & afficiat Fideles pro toto anno, & non pro aliqua determinata parte, toto anno urget, ut adimpleatur; adeoque impleri debet, qua anni parte impleri poteſt. Igitur dum prævidet Polidorus nullam amplius ſibi ſupereſſe anni partem, quo urgens præceptum adimpleat, debet nunc adimplere, & confiteri; ſicut is tenetur in die feſto Sacrum audire primo mane, qui prævidet, ſe impeditum iri in conſequentibus horis; & qui habet reſervata, tenetur ea nunc confiteri, ſi prævidet, ſe intra annum non habiturum copiam Confeſſarii potentis abſolvere. Eſt communis DD. inquit Giribaldus, quos citat *Tract. VII. de Sacram. Pœn. cap. 5. dub. 6.*

Ad II. partem. Scio equidem plurimum diſputari, & affirmare bene multos, quos referunt Salmatic. *Tract.* 4. *c.* 8. *punct.* 2. *n.* 22., & uſque undecim recenſet, & ſequitur Dan. Concina *lib.* 4. *de Eccl. Præc. Diſſ.* 2. *q* 7. Nam, inquiunt, præceptum Communionis Paſchalis duo imperat, & ipſam Communionem, & circumſtantiam temporis Paſchalis. Jamvero quando præceptum duo jubet, & ſubſtantiam actus, & circumſtantiam illius; ſi utrumque ſervari nequeat, ſervandum eſt, quod primario loco jubetur. Deinde ex mox dictis Polidorus ad Confeſſionem anticipandam tenetur. Ergo etiam ad Communionem. Poſtremo Eccleſia indulget, poſſe Chriſtifidelem de conſilio Sacerdotis differre tum Confeſſionem, cum Communionem. Cur ergo non debebit, ex cauſſa, Communionem anticipare?

Sed nihilominus cum eximio Suarez *Tom. III. q.* 80. *art.* 11. *diſp.* 70. *ſect.* 2., Azorio, Ægidio, Giribaldo, aliiſque multis & pluribus apud Leand. *Tract.* 7. *diſp.* 3. *q.* 20. probabilius puto, Polidorum ad anticipandam Communionem non teneri. Nam præceptum Paſchalis Communionis, etſi virtualiter duplex, ante Paſchale tempus non obligat, neque urget Polidorum nec quantum ad ſubſtantiam actus, nec quan-

tum

tum ad circumſtantiam temporis. Non quantum ad circumſtantiam temporis, ut patet, quia nondum Paſchale tempus illuxit. Nec etiam, quantum ab ſubſtantiam actus, quia ſubſtantia actus eſt omnino alligata tempori, & ita quidem, ut qui ipſa fer. 6. vel Sabbato ante Dominicam Palmarum communicant, adhuc in Paſchate communicare teneantur. Jamvero, ut apposite Suarez *loc. cit.*, nullus obligatur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi præcepti; lex enim non obligat, niſi ut impleatur. Sed per communionem anticipatam non implet quis obligationem hujus præcepti. Ergo ex vi præcepti ad anticipandum non tenetur. Argumenti vim ſenſit perdoctus Concina, & pluribus eludere tentat, ſed plane non infirmat.

Et certe fac, Polidorum Communionem anticipaſſe, & interim ceſſata itineris cauſſa, domi manſiſſe: teneretur ne in Paſchate iterum communicare? En, diſſident ſententiæ, quam impetimus, Patroni, & negant alii, & alii aſſerunt, quibus aſſentitur Concina. Ergo ad duplicem Communionem adſtringetur Polidorus, cum Eccleſia nonniſi unam jubeat. Et deberet revera adſtringi, ut impleat circumſtantiam temporis.

Ex his habes, quæ adverſariorum argumentis reponas, Ad I. ſubſtantia actus eſt prorſus, & indiviſibiliter tempori alligata. Ergo ejus præcepto extra tempus non urgetur Polidorus, ut debeat prævenire. Si prævideas, te non poſſe ſtato die jejunare, vel Miſſam audire, vel Horas recitare, an hæc præcedenti die teneberis implere? Ad II. ex dictis patet diſparitas. Præceptum Confeſſionis annuæ Polidorum urget & per Confeſſionem anticipatam ſatisfacit. Contra eſt de Communione Paſchali. Ad III. Ex quo conceditur facultas diferendi, non infertur neceſſitas anticipandi, & benignum Eccleſiæ indultum diferendi non eſt in anticipandi obligationem convertendum. Ceterum non negaverim priorem ſententiam eſſe valde piam, & in praxi conſulendam. Sed conſilium valde difert a præcepto. Itaque Polidorus ad Confeſſionem quidem, non vero ad Communionem anticipandam tenetur. q. e. r.

CAS. III. Raymundus Parochus habens in propria Eccleſia inſignem reliquiam Beati N. nondum canonizati, ab Ordinario approbatam, die qua ejus Feſtum occurrit, ſolemniter Feſtum celebrat, Miſſam de eo facit, & Officium recitat.

Qu. An rite ſolemnitatem, & Miſſam celebraverit? Et an ſatisfecerit obligationi recitandi Horas Canonicas?

Reſp. In I. quæſtione eſt diſtinguenda ſolemnitas a Miſſa. Quantum ad ſolemnitatem, ſeu feſtivitatem naſcitur difficultas ex *Decr. S. R. C. 27. Septemb.* 1659. *Dies Feſti in Beatorum memoriam non celebrantur, niſi ſpeciali Indulto Apoſtolico proviſum fuerit*: ex Merato *Decr. Miſſal. n.* 367. Quo quidem prohibita videtur feſtivitas omnis in honorem ejus Beati, cujus Reliquias in ſua Eccleſia veneratur Raymundus. Sed, ut bene advertit Cavaller. *Tom. II. cap.* 45., hoc decreto vetatur tantum Feſtum de præcepto; ſive prohibetur, ne Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ſtatuant Feſta de præcepto in honorem Beatorum qui nondum canonizati ſunt; & rejecta eſt opinio quorumdam DD. qui eam facultatem etiam relate ad Beatos Epiſcopis aſſerebant. Patet perſpicue ex declaratione ejus decreti edita 17. *Septemb. ſeq. an.* 1660. *Dies Feſti, in Beatorum honorem non celebrandi, non extenduntur ad Feſta devotionis.*

Merat.

Merat. *ibid. n.* 379. Nihil ergo contra ritus admiſit Raymundus dum devota, & pia Solemnitate ſuum Beatum coluit. At non rite ſe geſſit, dum Miſſam de eodem Beato celebravit; ut ex ſequentibus S. R. C. ſanctionibus intelliges.

Ad II. Negative. Quamvis enim, ubi inſignis Reliquia alicujus Sancti aſſervatur, officium de eodem & quidem ſub ritu duplici cum Miſſa concedatur, ex Gavanto *Sect. 1. c. 5. tit.* 2. pluribuſque S.R.C. decretis; loquendo tamen de Beatis nondum canonizatis, id prorſus decretis aliis vetitum eſt. Ad rem noſtram perſpicuum eſt Decret. 27. *Septemb.* 1659. *Recitatio officii de Beatis non canonizatis non eſt ſatisfactoria præcepti, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica indulſit.* Cujus decreti vim ut plenius percipias, en alterum ſimul editum. *In locis, ubi Beatos ab omnibus coli permiſſum eſt, non inde publica officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata, nec ſatisfactoria præcepti recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit.* Ibid. *n.* 79. & 365. Non igitur officii recitationi ſatisfecit Raymundus, nec Miſſam, quæ cum Officio conjungitur & concordat, rite celebravit.

MENSE MAJO.

CAS. I. PAtritius cum a Theologo audiſſet, hominem in die feſto ſerviliter operantem modico tempore, tantum venialiter peccare, præcipit ut plures famuli ſui per integram diem ſerviliter ita laborent, ut ſinguli id faciant modico tempore.

Qu. an is a gravi culpa ſit eximendus?

Reſp. Sunt equidem multi, qui cum Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 4. *n.* 12. & Bonacina *de Peccat. diſp.* 2. *q.* 4. *punc.* 5. *n.* 25. Patritium a gravi culpa excuſant; quia opus unius famuli cum opere alterius non conjungitur, ſed in ſingulis terminatur. Unde ſicut ſinguli venialiter tantum peccant, ſic etiam Patritius, ſola venialium culparum cauſſa.

At Claud. la Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 580. diſtincto eo, qui mandat pluribus, ut *ſimul* modico tempore laborent, ab eo qui mandat, ut id faciant *ſucceſſive* per totam diem, aut notabilem diei partem, in priori quidem caſu mandantem a gravi culpa eximit; at non item excuſat in ſecundo; & ideo in noſtro caſu probabilius non erit Patritius a gravi culpa eximendus; ita etiam cenſet Dan. Conc. *de Eccl. Præc. diſſ.* 2. *q.* 2., inquiens hoc ſatis conſtare, ubi non ad metaphyſicas ſubtilitates res exigatur, ſed morali modo, ut par eſt, ſpectetur. Etenim in morum regulis mandans eſt principalis cauſſa operis mandati: unde Patritius cenſetur ipſe principaliter tota ea die per famulos, quaſi per inſtrumenta laborare. Igitur quamvis reſpectu ſingulorum modicæ illæ partes violationis Feſti non uniantur, uniuntur tamen reſpectu Patritii mandantis. Sed hæc partium unio eſt gravis Feſti violatio. Ergo gravis culpæ reus eſt. Confirmatur. Si Patritius pluribus iis famulis ſeparatim juſſiſſet, puta ut a Parochiali Eccleſia leve quidquam ſinguli ſurriperent, etſi ſinguli venialiter peccarent, nonne tamen, ſi tota ſumma gravis ſit, Patritius & gravis damni, & gravis ſacrilegii reus foret? Poſtremo ut appoſite idem la Croix: Si Cajus centum famulis imperaret, ut ſinguli per horæ quadrantem incendium facerent ſucceſſive, nonne diuturni illius incendii cauſſa eſſet Patritius? Adeoque ſi ad grave peccatum ſola incendii diuturnitas ſufficeret, nonne Patritius grave po-

poſuiſſet incendium; graviterque peccaſſet? Sed ſic eſt, quod ad gravem violationem Feſti, facit inhonorationis diuturnitas. Ergo non eſt Patritius a gravi noxa eximendus. Atque hæc ſententia etſi minus communis, mihi videtur ex eo etiam probabilior, quod ſit ſenſui Fidelium conformis, & menti Eccleſiæ. Si eſſet Eccleſiæ delatum, in Patritii domo id eſſe ejus juſſu factum, nonne in ipſum ut gravis violationis reum animadverteretur? Ergo non eſt a gravi eximendus.

CAS. II. Horatius a Conſobrino ſuo, cum nequeat centum aureos ſibi debitos pacifice exigere, aureos totidem mutuos poſtulat cum juramento promittens reſtituere. Poſtmodum reſtituere negat, quia compenſatione uti ſe poſſe cenſet.

Qu. An recte cenſeant?

Reſp. Celebris quæſtio eſt, an liceat in juramento implendo uti compenſatione, aliis de more affirmantibus; negantibus aliis, apud Leand. *Diſput.* 10. *q.* 13. Hanc fuſe pertractat Suarez *De Relig. lib.* 2. *c.* 37. & affirmativam ſententiam tuetur, iis tamen limitationibus coercitam, ut multum etiam negantem vereri videatur. Hæc enim velut certa conſtituit. I. Non licere, ſi res promiſſa, & res debita non ſint ſimpliciter; vel moraliter ejuſdem ſpeciei. II. Si debitum non ſit liquidum. III. Si non adſit compenſandi rationabilis cauſſa. IV. Si quis ita juraverit, ut intenderit velle ſe vere, & realiter ſolvere. Hæc duo poſtrema omnino negligit Tamburinus, qui *lib.* 3. *c.* 3. §. 5. *n.* 34. docet ſufficientem eſſe compenſationis cauſſam, ſi Horatius ſola petitione aureos centum exigere a Conſobrino non valuit; eoque proceſſit, ut ſcripſerit, poſſe illum uti compenſatione, qui animo intendit, juravitque non uti. Ab his vero refellendis abſtinemus, cum ille idem Joannes, qui hac de re Tamburinus conſuluit, iterum Tamburino negaverit, ſe poſſe ſuis doctrinis in conſcientia acquieſcere. *Ibid. n.* 37.

At vero, poſitis etiam in caſu omnibus & ſingulis conditionibus recte a Suarez requiſitis, quid dicendum? Etſi perdocti Suarez doctrinas plurimi facio, tamen probabiliorem putaverim ſententiam negantem id Horatio licere, quæ eſt, ut idem notat, apud Canoniſtas communiſſima. Et ratio in primis eſt, quia ſolutio, quæ fit per compenſationem, non eſt ea ſolutio, quam exigit Juramentum. Etenim, ut ait idem Suarez c. cit. n. 13. *Juramentum obligat ad ſolvendum realiter: hoc pertinet ad reverentiam juramenti, ut ad literam (ut ſic dicam) impleatur*. Atqui ſolutio per compenſationem non vera & realis ſolutio eſt, ſed ficta, & interpretativa, ut idem loquitur. Ergo non eſt ea, quam juramentum poſſe, dando æquivalens ejus rei, quæ jurata eſt, & ait: *eſt ſpecialis ratio in juramento, quia ex vi juramenti obligamur facere verum, quod juratum eſt*. Et addit: *qui juravit laborare in vinea alicujus, non facit verum, quod dixit, etiamſi intereſſe ſolvat, vel alium vice ſui mittat*. Quomodo ergo, faciet verum, qui cum juraſſet ſolvere, per creditum compenſat? Nonne etiam compenſat, qui alium vice ſui in vineam mittit? Denique in *cap. Ad noſtram* 7. *de jurej.* Satis aperta lege noſtra ſententia traditur. Ibi enim Debitor, qui juravit nullum gravamen inferre ſuper pignore, donec debitum ſolveret, jubetur ſolvere integraliter, deinde creditum ſuum exigere. Pluribus hoc cap. verſant adverſarii, ſed ſatis patet conſideranti, veram ſanctionis hujus rationem fuiſſe juramenti religionem.

Nec vero quidquam adjumenti Suario affert aliqua rationabilis cauſſa, niſi

niſi forte hæc ſit impotentia, aut alia ejuſmodi a juramenti impletione excuſans, quod eſt extra quæſtionem. Nam perſpicue ait Angelicus 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *ad* 3. *magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare*. Et Alexand. III. *cap. ſi vero de jurejur. Non eſt tutum contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit damnum, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ*. Et *cap. debitores* eod. tit. *Ad ſolvendas uſuras, in quibus ſe obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipſarum uſurarum ſolutione juraverint, cogendi ſunt Domino reddere juramentum*. Vide, quæ ſit penes Sacros Eccleſiæ Canones juramenti religio. Deinde quæro, vel juramentum compenſatione impletur, vel non. Si non impletur, non licet. Si impletur autem, quæ cauſſa inquirenda, & exigenda, ut impleatur? Cauſſæ enim, quæ a Theologis requiruntur in compenſatione, æquitatem, juſtitiam reſpiciunt. Et hic agitur de juramenti religione.

Hinc Tamburino clamanti: quæ æquitas poſtulat, ut te non ſolvente debitum mihi, ego ad tuum debitum ſolvendum impellar? Reponit perdoctus Concina, „ illa æquitas, Tamburine, id poſtulat, quæ ju„ ramentum Deo factum ſervandum præſcribit. Æquitas ſinceritatis, „ fidelitatis, veracitatis, æquitas denique religionis, qua ſacrum jus„ jurandum coli debet, præcipit, ut etiam cum detrimento bonorum „ temporalium juramentum impleam. *In Decal. lib.* 5. *Diſſ.* 6. *c.* 5. *qu.* 9. “

Ex his habes, quid de Horatii opinione judices. Nempe ſi juramento promiſit, ſe fore ſolvendo reſtituturum, ut revera verba ſonant, & communiter in ſyngraphis, & inſtrumentis exprimi ſolet, non recte cenſet Horatius; & præſertim ubi extante Conſobrini debito, nulla facta eſt compenſationis mentio, ut notat Guttier. *n.* 6. §. *Retenta*. Si autem aliter conventum ſit, ut etiam per compenſationem vere, & & realiter juramentum impleatur, recte cenſet, ſe uti poſſe compenſatione. Recte etiam utitur, ſi Creditoris conſenſus interveniat. Nam in juramentis homini factis, conſenſu, & remiſſione Creditoris omnis extingui poteſt obligatio, ut notum eſt.

CAS. III. Balbus animadvertens, Durandum Clericum cum re ſua furto ſurrepta fugere, fugientem inſequitur, & ſaxo percutit, ut rem ſuam recuperet.

Qu. eſtne immunis a Cenſura?

Reſp. Duo in Clericum Balbus feciſſe proponitur, ut rem ſuam recuperaret. Scilicet Clericum inſecutus eſt, & eumdem ſaxo percuſſit. Quoad primum, certum eſt ab omni Cenſura eſſe immunem, etiamſi arreptum violenter detinuiſſet. Patet ex *cap. ex tenore*, & ex *cap. Si vero* 3. *de ſentent. excom. Si vero Clericum vim ſibi injerentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc &c., cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant*. Ex quibus, aliiſque juribus inferunt DD., qui manus infert in Clericum ob juſtam defenſionem ſui, ſive perſonæ, ſive honoris, ſive aliarum rerum, hunc in Cenſuram Can. *Si quis* minime incurrere. Et merito quidem; namque in his caſibus manuum injectio nec eſt *ſuadente diabolo*, ſed ſuadente naturali jure, nec *violenta* dici poteſt, cum ſit non aggreſſio, ſed defenſio. Ita Suarez *De Cenſur. diſp.* 22. *Sect.* 1. *n.* 33. Navar. *c.* 27. *n.* 76. Molin. Bonacin. & communiter.

Hinc quoad percuſſionem ſaxo illatam. Hæc vel erat ad res ſuas repeten-

tendas neceſſaria, ut alia via commode non poſſet, vel non. Si primum, erit item Balbus a cenſura immunis, eo quod non injuriam feciſſe, ſed potius injuriam depuliſſe dicendus ſit. Si alterum, nequaquam immunis eſt; cum juſtæ, inculpatæque defenſionis limites exceſſerit, ejuſque actio in vindictam potius, quam in juſtam defenſionem erupiſſe videatur. Etenim fugientem inſequi, & detinere, utique obvius eſt modus, ac naturalis ad res furatas recuperandas; at non item ſaxa in fugientem jacere, & precutere. Ex citatis DD. apud Palaum *Tract.* 29. *diſp.* 3. *punct.* 23. §. 3.

MENSE JUNIO.

CAS. I. Claudia Comitiſſa, dum ruri ageret, enixa eſt mane diei Feſti prolem maſculinam multis votis, & longo tempore expetitam. Sperat Mœvius ſe pinguem ſtrenam recepturum, ſi id Marito in Urbe degenti primus nunciaverit. At non erit primus, niſi eo mane Miſſam omiſerit.

Qu. An licite omittere poſſit?

Reſp. Caſum hunc ſibi proponit Gobat *Tract.* 5. *num.* 493., & negative reſolvit ſi Mævius ſit dives; affirmative autem ſi ſit tenuis fortunæ homo; denique ſi fuerit pauper, poterit ſacrum omittere in die Feſto ob lucrum unius ducati, ſive aurei. Cohæret ſibi Auctor, qui n. 441. „ hanc regulam ſibi ſtatuerat: Illa omnis & ſola cauſa excuſat ab audiendo ſacro cæteroquin obligatum, quæ involvit ſaltem *mediocrem incommoditatem* in bonis animi, corporis, honoris, aut fortunarum. „ Et n. 341. cum qu. “ An ſi Ancilla poſſit, ſi citius ſurgat, perficere laborem ſine jactura ſacri, teneatur citius deſerere lectum? ℞. „ Non teneri, ſi tunc oporteret *aliquid* detrahere de ſomno ordinario, „ & ſecundum rationem moderato. “ Sed quis religioſus homo has doctrinas probaverit?

Itaque tamquam certum ſtatuatur I. Eccleſiæ præcepta obligare ad ſui obſervationem, niſi grave, ſeu notabile damnum, ſeu incommodum adferat obſervatio illorum. Eſt communis DD., un mehercle ſcribit idem Gobat n. 321. & n. 491. Et jure quidem: De gravi præcepto agitur obligante ſub gravi. Ergo gravis debet eſſe deobligans cauſſa. Notandum II. Non eſſe cum damno confundendam jacturam alicujus ſperati lucri. Damnum proprie eſt ammiſſio bonorum, quæ quis poſſidet, ſeu in quæ quis jus habet, & dominium. Qui vero ammittit lucrum contingens, in quod nullum habet jus, ſed ſolam habilitatem omnibus communem, minus proprie dicitur damnum pati. Porro DD. de damno proprie dicto loquuntur; alioquin venalia redderentur Eccleſiæ præcepta, & fere Proditoris Judæ blaſphemia rediret: *Quid vultis mihi dare*, & ſacrum omittam, & diem feſtum non colam?

Ex his habes quid caſui reſpondeas, juxta communem Theologorum, imo ſecundum communem Fidelium ſenſum. Niſi enim de vera in Mævio neceſſitate ageretur, dicendum eſt, non potuiſſe eo in caſu Sacrum omittere. Et certe quamvis DD. ex D. Tho. 2. 2. *q.* 123. *art.* 4. communiter doceant, licere diebus feſtis ſervile opus exercere ad grave damnum vitandum; diſputant tamen, an id liceat ad magnum comparandum lucrum: quod generatim non concedunt doctiores, niſi publico bono, communique perſpecta utilitate, ex cap. *licet*, *de Feriis*, & Bened.

ned. XIV. *Inſt. Eccl.* 85. ſeu *Notif.* 23. *Tom. III.* Itaque plurimum diſerunt damnum pati, & non lucrari. Illud vitare exigit juſta, & prudens rerum noſtrarum cura; ad hoc plerumque mortalia pectora cogit auri ſacra fames, & cupiditas.

CAS. II. Cornelius, aucto furtis patrimonio, iis poſtea debitis gravatus eſt, ut nequeat Creditoribus ſatisfacere, niſi etiam res furtivas, quarum Domini incerti ſunt, impendat. At dubitat, num eas res debeat in pia opera erogare, an de ipſis potius certis Creditoribus ſatisfacere. Qu. Quid Cornelio conſulendum ſit?

Reſp. Quæſtionem hanc; An Creditores certi præferendi ſint incertis? tanti diſcriminis eſſe putat Dan. Concina, ut quamvis ſoleat res ſemper definire, & ſententias ſuas acriter tueri; tamen hic fateatur hærere ſibi aquam, neque quid tutius ſit, perſpicere. Quare ſapientum judicio relicta definitione quid juris, concludit quid conſilii, inquiens: „ Ego Creditoribus certis conſulerem, ut ipſi litem dirimerent acceptan- „ do pauperes in ſocietatem ſolutionis; ſed tanta mihi evidentia ratio- „ num non eſt, ut eoſdem ad id urgere debeam " *Diſſert. 2. de Reſtit. c.* 14. *q.* 1. Pium equidem conſilium. Sed quid, ſi datum non proſit, aut neque dari expediat?

Ego vero non ut definiam ex tripode; ſed ut proferam quod ſentio. I. Si apud Cornelium bona aliqua, quorum incerti ſunt Domini, extent in ſe eadem numero, ſive, ut ajunt Juriſtæ, in propria ſpecie, hæc reſtituenda ſunt, nec in his Creditores certi ſunt pauperibus anteferendi. Eſt enim res aliena, quæ per ſe clamat ad dominum; nec ejus dominium unquam in Cornelium tranſiit. Eſt communis, & diſponitur *l. veri ſ. in bonis ff. de Privil. Credit.* & *l. ſi ventris §. ſi tamen ff.* eod. tit. II. Si quæ ſunt debita Eccleſiæ, etſi ignoretur, cuinam Eccleſiæ, aut pio loco debeantur, hæc ſolvenda ſunt, nec in his ullus certus creditor eſt anteferendus, cum Eccleſia ipſa inter certos Creditores veniat. Nec de hoc ambigitur, ut cum Cajet. Silveſtr. Armilla, aliiſque notat Azor. *Part. III. lib.* 4. *c.* 36.

Poſtremo in cæteris, de quibus ſumma quæſtionis eſt, putaverim adhærendum potius eſſe ſententiæ, quæ affirmat, *Creditoribus certis prius eſſe ſolvendum.* Hæc tot Doctorum eſt, ut Concina ipſe inter Theologos communiorem eſſe fateatur; immo & communis paſſim vocatur. Ergo niſi quid obſtet rationis, aut legis, eidem prudenter aſſentimur. Momenta autem rationis ſunt. I. Quia actio, & jus Creditoris certi multo majus & efficacius eſt, quam jus pauperum, vel Eccleſiæ. Hi enim non habent niſi jus indeterminatum, & actionem generalem in bona Titii, cum ea æque poſſint ſive in hos, ſive in illos pios uſus impendi, quin ulli fiat injuria. At jus & actio, quam habent Creditores certi, eſt jus immediatum, & actio ſpecifica naturalis, & civilis; ita ut iis determinate ſolvendum ſit, non aliis; alioquin injuriam, & damnum immediate in ſuis rebus paterentur. Neque dicas, Creditores habere actionem tantum in bona, quæ ipſius Cornelii ſunt; ſed non ſunt bona Cornelii, quæ pauperibus debentur; ergo in hæc jus nullum habent. Namque reponitur; cum bona pauperibus debita in ſua ſpecie non extent, per ſpecificationem, aliove modo ſub Cornelii dominio jam ſunt; unde onus quidem illi incumbit, ut cum poterit, pauperibus reſtituat, ſed interim Creditores certi jus habent in illa tamquam in bona Cornelii propria. Ergo. Roſi-

 gnol.

gnol. *De Reſtitut.* 11. *prænot.* 8. *numer.* 1. & 2. II. Ideo debita incerta pauperibus debentur, quia jus naturale vetat, ne quis alieno cenſu diteſcat, & ex ſuis fraudibus lucrum reportet; unde quaſi bona vacantia ad Reip. diſpoſitionem jure naturali pertinent, ut in commune bonum conferantur; & jure Chriſtiano conſtitutum eſt, ut in pios uſus erogentur *Cap. Cum Tu de Uſur.* Sed veriſimile non eſt, inquit Azor. *P. III. lib.* 4. *c.* 36., ut Reſp. velit, prius bona in pauperes erogari, quam veris Creditoribus debita reddantur. Ergo. III. Eo vel maxime, quod Reipub. magni intereſt, ut inter privatos injuſtitia auferatur, & ſervetur æqualitas: Sitque demum opus pium, ac Deo gratum debitori indigenti, & alieno ære gravato ſubvenire, ut poſſit ſe liberare a Creditoribus certis, a quibus premitur, remanente ſibi onere ſolvendi pauperibus, cum facultas aderit. Antoine *De Juſt. & Jur. part.* 1. *c.* 5. *q.* 5.

CAS. III. Ruri inter duos Parochos controverſum eſt, an poſt decreta Alexandri VII. & Clementis XI., quibus Miſſæ privatæ de Requiem in duplicibus prohibentur, adhuc liceat eaſdem celebrare præſente Cadavere. Et aſſerente altero, altero negante, controverſia ad Archipresbyterum delata eſt.

Qu. Archipresbyteri reſolutio?

Reſp. Controverſiæ anſam decretorum verba præbuere. Decretum Alex. VII. die 5. Aug. 1662. ſic ſe habet: *Omnibus & Singulis &c. diſtricte præcipitur, ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidunt in feſtum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de feſto cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum.* Eadem ſunt verba Decr. S. R. C. 15. *Septemb.* 1714. approb. Clem. XI. Porro in his, cum nulla fiat mentio de corpore, ſeu Cadavere præſente viſum eſt Clericato *De Beneſ. diſc.* 86. caſum hunc eſſe excipiendum, & quorundam Parochorum Patavinæ Diœceſis id aſſerentium ſententiam patrocinatus eſt, & non uno ſed 14. rationum capitibus fuſe nititur confirmare.

Sed negative reſolves. Nam queſtionem dirimit Decretum S. R. C. 10. *Jun.* 1693. aut ineditum, aut ignotum Clericato, cum hac de re ſcriberet. *Miſſæ privatæ de Requiem corpore præſente, & inſepulto dici non poſſunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis; & quacumque conſuetudinem, tamquam abuſum, abolendam juxta diſpoſitionem Miſſalis Romani de Miſſa Defunctorum n.* 2. *in fine, & Decreta Sacræ Congreg., & ſignanter generale* 5. *Aug.* 1662. *ſervanda eſſe mandavit S.* R. C. apud Spirid. Talù *n.* 642. Adde ſtatutum Sin. N. Diœceſ. *lib.* 3. *c.* 5. §. *Servetur.*

MENSE JULIO.

CAS. I. Octavius Ruri ægrotans Teſtamentum condidit, in quo pingue legatum Terillo agnato ſuo reliquit. Sed quia Notarii imperitia nonnullis ſolemnitatibus fuerat deſtitutum, per ſententiam Judicis invalidum declaratum eſt; ideoque Filius ab inteſtato ſuccedens legatum ſolvere negat. At Terillus putans Teſtamentum, etſi nullum jure civili, vali-

validum tamen eſſe jure naturali, & in foro conſcientiæ, per occultam compenſationem tantundem hæredi ſurripuit.

Qu. an recte putaverit, & ſurrepta retinere poſſit?

Reſp. Negative. Vetus controverſia eſt: an teſtamentum ad profana carens ſolemnitate ut jure civili invalidum eſt, ita ſit etiam jure naturali, & in foro Conſcientiæ. Quæſtionem præ cæteris fuſe pertractat Boſſius *Mor. Var. to.* 3. *tit.* 14. §. 2. & Giribaldus *de Contract. tr.* 3. *c.* 15. *dub.* 3. Prima ſententia affirmat, invalidum eſſe in utroque foro. Altera contendit, validum ſaltem eſſe in foro Conſcientiæ. A recenſendis utriuſque ſententiæ fundamentis abſtineo, quæ facile apud citatos, alioſque Theologos cum magna pro utraque parte DD. vi poſſunt videri. Solum moneo, ne utramque ſententiam probabilem judicando, in praxi doceas, & Legatarium ex teſtamento minus ſolemni poſſe licite legatum ſurripere Hæredi ab inteſtato; & Heredem licite poſſe legatum a Legatario ablatum eidem ſurripere, ut ſe compenſent, quemadmodum ex Leſſio *lib.* 2. *c.* 19. *dub.* 3. docent Diana, & Viva. Id enim eſt contraria opinari, atque injuriis, & furtis vim aperire; Dan. Conc. *De Reſtit. diſſ.* 2. *c.* 16. *q.* 1.

Sed ad rem; Negativæ noſtræ Reſp. ratio eſt, quia, etſi quæ adferuntur pro teſtamenti minus ſolemnis validitate in foro Conſcientiæ, ut tenet ſecunda ſuperius relata ſententia, poſſint vim fortaſſe aliquam habere ante ſententiam Judicis; qua in re tamen, ut bene notant Antoine *De Contract. c. ult.*, locorum conſuetudo, & judiciorum praxis maxime attendenda eſt; nihilominus ea certe locum non obtinent poſt latam Judicis ſententiam, ut in caſu noſtro, in quo propterea etiam in foro Conſcientiæ invalidum cenſendum eſt Octavii teſtamentum. Enim vero res ad Judicem delata debet a Judice definiri, iſque tenetur ſecundum leges ſententiam ferre, ideoque teſtamento irrito declarato, hæreditatem hæredi ab inteſtato adjudicare, eumque liberum pronunciare a legatis ſolvendis. Sed hæc nequit efficaciter definire, niſi omnem vim tollat, quam forte habere naturaliter poſſet non legitime expreſſa teſtatoris voluntas, omnemque auferat in hærede obligationem. Ergo poſt latam ſententiam valent in foro Conſcientiæ, quæ a legibus ſunt ſtatuta; alioquin quæ vis foret legum, & judiciorum ad commune Reip. bonum, & ſubditorum ſecuritatem, & pacem? Huc revocari facile poſſunt, quæ pro prima ſententia ſolent ex Cod. & Pand. afferri leges, & argumenta; & illud maxime. Lex, & ſententia Judicis, ſi juſta eſt in foro externo, eſt etiam juſta in foro interno, adeoque in foro Conſcientiæ ſervanda, niſi forte in falſa præſuntione fundetur. Eſt communis Theologorum, & Juriſtarum, quos congerunt Sanchez, & Boſſius loc. cit. Atqui ſententia Judicis, qua ſecundum leges civiles irritatur teſtamentum minus ſolemne, non falſa præſumptione innititur, ſed in communi Reip. bonum, & Civium tranquillitatem fertur, cum ea ferri a Judice debeat, etſi aperte conſtaret, nullam ſubeſſe fraudem. Ergo lata in foro externo ſententia de nullitate teſtamenti minus ſolemnis, obtinet etiam in foro interno. Igitur non recte putat Terillus, dum adhuc teſtamentum valere cenſet; nec poteſt quidquam Hæredi ab inteſtato ſurripere, ut ſibi de legato illo compenſet.

CAS. II. Thebaldus Tibulli Minoris Curator, ut ejuſdem negotia utilius ageret, poſt annum, & ultra diſtulit quaſdam dotes ſolvere, quas Tibulli Pater Teſtamento legaverat in favorem pauperum puellarum.

 Qu.

Qu. an inciderit in Caſum reſervatum?

Reſp. Oliverius Mazzuchellus, qui *de Caſ. Reſervatis in Diœceſi Mediol.* fuſe ſcripſit, negat Thedaldum in reſervationem incurrere, eo quod Caſus afficiat ſolos hæredes, quibus onus incumbit perſolvendi legata, non autem Tutores, aut Curatores, qui debitores non ſunt. *Diſp.* 2. *c.* 20. *n.* 27.

Verum affirmative reſolvendum eſt cum Graff *de Reſerv. c.* 20. *n.* 23., & Belloch. *Prax. Mor. de Reſerv. part.* 2. *q.* 1. *n.* 371. Etenim ut quis in reſervationem incidat, de qua in caſu, tria requiruntur. I. Legatum pium. II. Dilatio ejus ſolutionis poſt annum. III. Dilatio culpabilis per perſonam in caſu comprehenſam; hæc enim exprimunt verba reſervationis ſub num. 8. *item culpabilis dilatio poſt annum* . . . . *vel in legatis piis quibuſcumque ſolvendis* . Atqui hæc tria obtinent in caſu . Ac I. habetur legatum pium . Nomine enim legati pii non ſolum venit id , quod a Teſtatore relinquitur pro conſtruendo Monaſterio, Hoſpitali, & Capella, vel pro ſuſtentandis Eccleſiaſticis, aut Religioſis, ex Trident. *ſeſſ.* 23. *cap. ult.*; ſed etiam pro maritandis puellis pauperibus , Abbas in *cap.* 1. *de deſponſ. impub. in* 6. & in *cap. Eccleſia S. Mariæ de Conſtit.* & unanimiter Theologi , & Juriſperiti . II. Habetur dilatio poſt annum , ut Caſus exprimit , *poſt annum* , *&* *ultra diſtulit*. III. Dilatio eſt culpabilis ; obligatio enim ſolvendi legata pia tam gravis eſt , ut non ſolum non ſolventes , ſed etiam qui difficulter reddunt , & tradere demorantur , contra juſtitiam , charitatem , ac religionem peccare dicantur , & tamquam *egentium necatores* excommunicentur c. *qui oblationes* 1. *&* 2. 13. *quæſt.* 2., & Gloſſa ibi . Nec juvat , id a Thedaldo fuiſſe factum , ut Minoris ſui *negotia utilius ageret* , quaſi id probare videatur D. Thom. *Quodlib.* 6. *art.* 14. Nam S. Doctor ibi tantum docet , quod , ſi executor *per modicum tempus* eleemoſynas diferat , ut rebus Defuncti melius venditis , ampliores eleemoſynas facere poſſit , laudabiliter faciat . At hic agitur de dilatione non per modicum , ſed per *longum tempus* , quale eſt ſpatium unius anni , & ultra ; cum a Jure legatum pium non modo infra annum , ut de prophanis ſtatuitur *c. de fideicom. Authent. Amplius de Eccleſ. Tit. §. ſi quis ædificatione* , ſed infra ſex menſium ſpatium ſolvendum foret , ut notant DD. in *Cap. Nos quidem de Teſtam.* Igitur ex hoc capite excuſandus non eſt Thedaldus . Adde vero ipſum ſolutionem Legati pii diſtuliſſe , non ut ampliores dotes pauperibus puellis erogaret , ſed ut prodeſſet hæredi . Plurimum ergo a mente Angelici Doctoris abludit Thedaldi caſus.

Denique culpa patrata eſt a Perſona , quæ in reſervatione comprehenditur , quidquid dicat Mazzuchellus . Etenim relata reſervationis verba omnino univerſalia ſunt , ita ut equivaleant iſtis : *qui* , ſeu *quicumque ſolutionem legati pii diſtulerint* , uti revera in quibuſdam Diœceſibus , atque in ipſa Mediolanenſi exprimitur . Quæ ſane verba univerſalitatem perſonarum comprehendunt , nempe & hæredes , & Tutores , & Curatores , & maſculos , & fœminas , omnes demum , ad quos ſpectat Teſtatorum voluntatem implere , impoſitiſque oneribus ſatisfacere , ſive , ut ait Belloch. *num.* 367. reſervatio loquitur indiſtincte , & abſolute de omnibus ; & lex generaliter loquens , generatim etiam eſt intelligenda *l. de pretio ff. de publiciana* ,

& ubi

& ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, maxime vero ubi idem omnino eſt legis finis intrinſecus, & ratio, ut in caſu. Non recte ergo Tutores, & Curatores a reſervatione excipit Mazzuchellus, cum fateatur, eoſdem & graviter muneri ſuo deeſſe, graviterque, non ſecus atque ſi veri hæredes forent, adverſus charitatem, & juſtitiam, omnemque legem peccare.

CAS. III. Urgente calamitate Ordinarius præcepit Parochis, ut SS. Litanias cum populo recitarent. Vincentius Parochus expertus, Populum poſt Miſſam ſtatim diſcedere, ut Superioris mentem religioſius impleat, Litanias recitat in Miſſa poſt Evangelium.

Qu. an rite?

Reſp. Negative. Quamvis enim quædam laudabiliter fiant, & fieri etiam debeant inceptæ Miſſæ interruptiones, hæ tamen non ex cujuſcumque arbitrio, ſed juxta ſacras leges, receptaſque Eccleſiæ conſuetudines admittendæ ſunt, ut cum lecto Evangelio ſit concio, vel cum, inter Miſſarum ſolemnia, quædam populo edicenda ſunt ex præſcripto Canonum, ut ſcribit Bened. XIV. *de Sacrif. Miſſæ lib.* 3. *c.* 14. *n.* 15. Jamvero ejuſmodi non ſunt litaniæ, aliæve preces pro aliqua neceſſitate recitandæ; immo prorſus intra Miſſam recitari a S. Rit. Congr. expreſſe prohibentur Decret. *ed.* 11. *Jun.* 1605. *Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam, non ſunt recitandæ inter Miſſarum ſolemnia, ne Miſſæ Sacrificium interrumpatur.* Apud Merat. *Ind. n.* 40.

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. Gerundius aureos centum dedit mutuos Mirtillo reſtituendos poſt annum, ea facta conventione, ut ſi Mirtillus poſt annum fideliter non reſtituerit, ſolvat aureos quinque in pœnam dilationis.

Qu. an hæc conventio ſit licita?

Reſp. Affirmativa ſententia tam communiter traditur, probaturque a Theologis, ut vix credibile videatur, aliquos cæteroquin doctiſſimos viros contrarium cenſuiſſe, ut Honor. Leotard. aliique apud ipſum *quæſt.* 38. & Dan. Conc. *De Mutuo & Uſura Diſſert.* 3. *c.* 14. §. 3. At ſi conditiones tamen omnes, & ſingulas perpenderis, ſub quibus Doctores pœnam conventionalem in mutuo licitam eſſe aſſerunt, aliquo fortaſſis modo utroſque conciliari poſſe credideris.

Scilicet, licita eſt per ſe; at in praxi plerumque illicita. Ratio primæ partis eſt, quia ſicuti licitum eſt mutuanti mutuatarium pactione obligare, ut dato tempore mutuum reddat; ita eidem licitum eſſe debet iis ut honeſtis mediis, quæ idonea ſint, ne mutuatarius ſtatutum ſolutionis terminum prætergrediatur. Atqui impoſitio pœnæ eſt medium per ſe honeſtum & licitum, ſimulque idoneum ad id obtinendum. Ac primo eſt medium licitum; nam jure naturali, & civili poſſunt contrahentes ad majorem contractuum firmitatem, & promiſſionum implendarum certitudinem pœnam ſibi imponere, atque ad ipſam ſubeundam obligari, ſi a contractu defecerint, aut promiſſa non impleverint, ex *c.* 4. *de Arbitr.* & *l. Si pacta C. de pactis*, & ex *reg. Jur.* in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* Eſt etiam idoneum ad obtinendam ſtatuto tempore ſolutionem. Patet ex uſu contrahentium, qui ne pactas pœnas ſubeant, ſe in ſervanda fide exhibent dili-

 gen-

gentiores; & confirmat uſus legum, & Judicium, qui ſæpe pœnas ſtatuunt, ut Creditores citius debita perſolvant. Neque dicas, pœnas tantum a Superiore poſſe imponi. Etenim bene habes, ſi de pœna legali, & juridica ſermo ſit, non vero ſi de conventionali, quæ ex pacto, & conſenſu contrahentium deſcendit. Ita opinantur Sotus, Molina, Leſſius, Roſignolius, Lugus, & alii communiter apud Giribaldum *Tract. 3. de Contract. c. 3. d. 8.*

Ratio ſecundæ partis eſt, quia valde difficile in praxi videtur, ut omnes a laudatis DD. requiſitæ conditiones religioſe ſerventur. Quod facile intelliges, ſi ſingulas perpenderis. I. eſt: Ne pœna imponatur in fraudem uſurariam, ſed ſolo animo ſortem tuam recuperandi ſtatuto tempore. Unde ſi nihil cures, an ſolvatur tali tempore nec ne: nihil cogites de impotentia mutuatarii, & eum terminum conſtituas, intra quem cognoſcis mutuum reddi non poſſe: ſi optes mutuatarium in moram incidere, ut pœnam ſolvat, tunc pœna impoſita velamen eſt uſuræ, & lucrum ex mutuo principaliter intendis. II. Ne cogatur pœnam ſolvere is, qui ſine culpa fuit in mora; injuſtum enim eſt exigere pœnam, ubi non eſt culpa ex *l. 22. Cod. de pœnis*, & *c. 2. de Conſtit. Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. III. Ut pœna ſit moderata ſecundum menſuram culpæ, & rei mutuatæ; alioquin eſſet injuſta, & inique cogeretur alter in eam conſentire. Hinc pactum, ut pignus ſit Creditoris, ſi debitor præfinito tempore non ſolverit, eſt utroque jure prohibitum, *l. 1. & 3. C. de pact. pignorum*, & Innoc. III. *cap. ſignificante de pign.* IV. Ut mora ſit notabilis, cujuſmodi non eſſet dilatio bidui, vel hebdomadæ. V. Ne exigatur tota pœna, ſi pars debiti ſolvatur; ſed tantum pro ratione partis non ſolutæ *c. 9. de pœnis*. Ita communiſſime DD. At quis hæc omnia religioſe ſervaverit, qui in mutuo, quod gratis dandum, nihilque ex eo ſperandum eſt, conventionales pœnas amat mutuatario imponere? Igitur in praxi res eſt periculi plena.

CAS. II. Teranus agrorum Cultor ſæpe Operarios conducit ad operandum, etſi pecunia careat, qua mercedes ſolvat. Unde operarii mercedum ſolutiones diu expectare coguntur.

Qu. an peccet?

Reſp. Affirmative. Etenim certum eſt, non ſolum contra juſtitiam peccare, qui alienam rem ſurripit, ſed etiam qui eam detinet invito Domino, *quia*, ut inquit D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 8. *impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit injuriam*. Porro inter omnia debita ſolvenda præcipue eſt operariorum merces; ita ut mercedum fraudatio inter ea crimina numeretur, quæ dicuntur clamare ad Dominum, quemadmodum ex S. Jacobo Appoſtolo docet idem Angelicus, ſive Auctor *Comm. in Epiſt. cath. D. Jacobi*, ſcribens: *Notandum vero, quod quatuor ſunt peccata, quæ præ ſui enormitate dicuntur clamare ad Dominium; ſcilicet I. Homicidium, Gen.* 4. Ecce vox Sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de Terra. II. *Peccatum contra naturam, Gen.* 18. Clamor ſodomorum venit ad me. 3. *Oppreſſio juſtorum, Exod.* 3. Clamor Filiorum Iſrael venit ad me. IV. *Pauperum defraudatio, ut hic* Jacob. 5. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Atqui mercede ſua fraudat operarios Teranus, dum ſolvere difert; nam ut idem Auctor ſubdit: *fraudata eſt a vobis, ſcilicet non reddendo, ſed di-*

mi-

minuendo, vel diferendo reddere. Et ratio eſt, quia, ut notat Antoine, *De Contract. part.* 2. *c.* 6. *q.* 3. bene laborantibus juſtum ſtipendium ſtatim ſolvi debet, quia jus habent repetendi poſt operam præſtitam, eodemque etiam ſtatim ad vitam ſuſtentandam ſolent indigere. Hinc Tobias inter graviora monita, quæ moriturus dedit filio, hoc præbuit: *Quicumque tibi aliquod operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue*, repetens ei mandatum Domini Levit. 19. 13. *& merces operarii tui apud te omnino non remaneat. Tob.* 4. 15. Igitur Teranus, dum impotens ad ſolvendum operarios conducit, & debitam mercedem diſert, contra juſtitiam peccat. Unde vel ab hac injuſta conſuetudine deſiſtat, vel de neceſſaria ſibi dilatione prius operarios moneat; qui ſi in dilationem conſenſerint, diferre eis poterit: volenti enim, & conſentienti non fit injuria.

CAS. III. Ranerius Canonicus cum Anno Jubilæi Romam perexiſſet, per menſes ſex non reſedit. Sub anni finem fuit a Capitulo omnium ſex menſium diſtributionibus privatus. At Canonicus contendit ſibi menſium novem diſtributiones deberi, eo quod Trid. Seſſ. 24. c. 12. indulgeat Canonico, ut poſſit per tres menſes abeſſe, & diſtributiones lucrari.

Qu. Cui adjudicandum ſit jus?

Reſp. Jus Capitulo adjudicandum. Patet ex iis, quæ de jure communi refert Bened. XIV. *Inſtit. Eccl.* 107. Ubi docet I. Abſentiam a Choro per tres menſes a Tridentino permitti, ubi ea inducta ſit; ſed non induci, nec permitti, *ſi Eccleſiæ conſtitutiones ſervitium totius anni abſque ulla intermiſſione requirunt*. Ita pluries declaravit Sacra Congr. Concil. & uſq. ab an. 1573. *in una Mutinen. lib.* 1. *Decret. p.* 168. II. Quibus juxta legitimas conſtitutiones licet per duos, vel tres menſes abeſſe, gaudere quidem, iis abſentiæ menſibus, fructibus præbendarum, ſed non lucrari diſtributiones quotidianas, *in una Bononien. & Piſtorien.* 1586. *lib.* 4. *Decret. pag.* 168. III. Qui ultra tres menſes abſunt, eos nullas lucrari diſtributiones quotidianas diſtinctas a præbendis; ideſt omnes diſtributiones illius anni perdunt, quia ad reſidendum novem integris menſibus ſunt obligati. Sic deciſum referunt Barboſa *in Collect. DD. ad Trid. Seſſ.* 24. *c.* 12. *ſub. n.* 66. Gavantus *Man. Epiſc. tit. Canonic. diſtribut. n.* 45., & communem eſſe DD. ſententiam aſſerit Clericatus *De Juriſd. diſc.* 21.

At vero notandum eſt, quod II. loco ſtatuimus, id exceptionem pati. Nempe dicendum eſt, poſſe Canonicus etiam tribus menſibus abſentiæ a Tridentino permiſſis diſtributiones lucrari, ſi conceſſæ ſint illis a Conſtitutionibus per Summos Pontifices confirmatis, ut Sacra &c. reſpondit *Decret. ſupra cit.* 1586. *Ad ſecundum*: *Conſtitutiones a Sede Apoſtolica confirmatas non cenſeri ſublatas*. Atque hoc privilegio gaudere Canonicos in Cathedrali Paduæ, & in aliquot Collegiatis teſtatur Clericatus *de Beniſ. diſc.* 78. Sed Ranerius ſi unius ex his Collegiatis ſit Canonicus, jure ne petit, ac poteſt gaudere trium menſium diſtributionibus, dum per ſex menſes non reſedit? Re delata per Vicarium Generalem Epiſcopi Patavini ad Sac. Congregationem, hæc reſpondit: *Non poſſe Canonicos, qui novem menſibus integris non reſederint, vacatione trium menſium, de qua in libello, gaudere*. 16. Decemb. 1588.

Exceptionem quoque facile pati poteſt, quod III. loco præmiſimus. Sed ſi Ranerius peculiaria proferat ſtatuta, ea certe ſunt attendenda. Sed

hic quæritur, quid de jure, & jus ſavore Capituli diſponit. De vi autem conſuetudinis in hac materia fuſe, & optime agit Moneta *De Diſtrib. part. 2. q. 10.*

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I Dionęus ſtuprator, obligatus ad dotandam violatam Virginem, cenſet non teneri dotem perſolvere, niſi ſecuto Matrimonio. At Puella etſi nihil de nuptiis cogitet, inſtat, ut dotem ſibi debitam Dionœus ſolvat.

Qu. quid in foro conſcientiæ dicendum ſit?

Reſp. Non deſunt, qui expreſſe docuerint, ſtupratorem non teneri ad dotandam violatam virginem, niſi Matrimonio ſecuto; ideoque ad nihil teneri, ſi remaneat innupta. I. Quod jus ſtatuat pecuniam debere a ſtupratore ſolvi ratione dotis *c.* 1. & 2. *de Adulterio*. Sed dos proprie non eſt ſine Matrimonio, ut habetur *l. fin. C. de donat. ante nupt.* Ergo nihil ante Matrimonium ſolvendum eſt. II. Legatum factum puellæ cauſa dotis, ei non debetur, niſi ſequatur Matrimonium, ut cum Bartolo *l. Titio §. Titio ff. de condit.* docent Covarruv. *c. 3. de Teſtam. n.* 11., & Spino, & Cævalos, & alii. Ergo a pari. Ita Cavalcanus part. 3. deciſ. 10. n. 38., & Brixianus v. *Matrimonium ſine denunciat. n. 7. & ſeq.*

At probabilius cenſendum eſt, Dionæum teneri dotem puellæ debitam ſolvere; ſaltem ſi ab ipſa petatur, ut in caſu. Nam I. etiamſi jus diſponens de dotanda violata virgine ſit pœnale, ſive in pęnam delicti, ſicuti per privationem Matrimonii non tollitur ſtupratoris delictum, ſic nec pęna delicto ſtatuta; adeoque ſi petatur, eſt pro delicto pęna ſolvenda. II. Multo magis, cum communius DD. textum Juris explicent, ut ſit violata virgo dotanda pro eadem ſublevanda, & pro injuria, damnoque reparando; ſcilicet vel ut honeſte nubat, vel ut alere ſe commode poſſit. III. Demum rem clare evincunt abſurda, quæ alioquin ſequerentur. Scilicet data contraria opinione ſequeretur. I. Quod ſi puella deflorata ob paſſam deflorationem Maritum non inveniret, ut non raro contingit, nullum poſſet levamen, nullamque a ſtupratore compenſationem exigere. Quod certe abſonum eſt, & contra mentem juris diſponentis in favorem virginis ſublevandæ. II. Si jura dotationem ad ſolam nupta reſtringerent, vim quodammodo inferrent, ad eligendum potius ſtatum conjugalem, quam alium perfectionem; quod eſt expreſſe contra bonos mores per textum *cap. ſtatutum de hæreticis in 6.*

Dixi, *ſi petatur*. Sunt enim qui docent, id quod ratione pœnam ſtatuitur, non deberi, niſi exigatur, cum nemo teneatur ſponte pœnam offerre. Quamquam hæc exceptio non omnino obtinet in caſu dotis a ſtupratore ſolvendæ, quæ, ut dictum eſt, non habet preciſe rationem pœnæ, ſed etiam juſtæ ſatisfactionis, & compenſationis. Sed hæc alia quæſtio eſt, & extra caſum, in quo violata Virgo inſtanter petit, & urget.

Potius bina ex Cavalcano, aliiſque producta argumenta diluenda ſunt. At primum ſolvitur ex ipſis Juris textibus, quibus non preciſe decernitur, ut pecunia ſolvenda proprie ſit pro dote ſed *juxta modum dotis: tradat pecuniam juxta modum dotis, quam Virgines accipere conſueverint.*

rint. Quo loquendi modo innuitur quædam proportio ad ſimilitudinem eorum, quæ dantur pro dote, ita ut ſi non celebrentur nuptiæ, erogetur pecunia pro alimentis ea ratione, qua dos erogatur pro nuptiis. Hinc patet Reſponſio ad II. Scilicet inprimis pecunia non præciſe ſolvenda decernitur cauſa dotis, ut dictum eſt. Deinde, negatur, quod legatum factum puellæ cauſſa dotis, ſub conditione futuri Matrimonii accipiendum ſit. Communius enim DD. docent, abſolute eſſe accipiendum, ſive habendum pro legato puro, ut ajunt, & ideo ſolvendum, ſive puella nubat, ſive non; niſi ex verbis, & circumſtantiis aliter conſtet de mente Teſtatoris. Ita Gloſſa *in l. Titio §. Titio ff. de condit. & demonſtrat.* Angelus *in l. item quia §. 1. ff. de pactis*, & Maſtrillus, & Theſaurus, & Menochius, & alii, apud Boſſium *De Matrim. c. 1. num. 110.*

CAS. II. Nicolao Parocho comiſit Ordinarius, ut Lælium, & Mæviam, qui litteras diſpenſationis ſuper impedimento dirimente conſanguinitatis habita copula obtinuerunt, premiſſis præmittendis, perita venia, in forma Eccleſiæ conſueta in utroque foro abſolvat.

Qu. quomodo ſe gerere in hujuſmodi abſolutione debeat Parochus?

Reſp. Diſpenſationes Matrimoniales, quibus indulgetur, & committitur, ut duo Conſanguinei vel affines, qui ſe mutuo cognoverint, diſpenſentur ſuper Conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, ut ad gravia evitanda ſcandala licite, & valide Matrimonio copulentur, ab Apoſtolica Dataria diriguntur in forma commiſſaria Vicario Generali Epiſcopi. At quia aliquando contingit, ut ob diſtantiam locorum, graviaque itinerum incommoda nequeunt Oratores diſpenſandi ad Civitatem accedere, idem Vicarius Generalis aut Vicarium Foraneum, aut Oratorum Parochum delegat, ut ea fideliter exequendo, quæ in litteris Apoſtolicis continentur, Oratoribus ipſis abſolutionis, & diſpenſationis beneficium impertiatur. Quod quidem a Vicariis Generalibus fieri poſſe in magnis potiſſime Diœceſibus, docent DD. cum Pyrrho Corrado in *Praxi Diſpenſ. Apoſtol. lib. 1. c. 2. n. 19.*

Porro inter cætera, quæ in litteris Apoſtolicis exequenda præſcribuntur, priuſquam ad actum diſpenſationis deveniatur, eſt: *ipſos ab inceſtus reatu, & exceſſibus in utroque foro abſolvas*. Ex quibus verbis orta eſt quæſtio: An ideo a Pontifice exigatur Sacramentalis confeſſio, & in Sacramentali Confeſſione præſcripta abſolutio a Delegato impertienda ſit? Et affirmative cenſendum eſſe videtur. Quid enim eſt *in utroque foro abſolvere*, niſi in externo ſimul, & Sacramentali? Idque eo vel maxime, quod ibidem injungit Pontifex, pœnitentiam ſalutarem eſſe imponendam: *impoſita etiam prius ei propter inceſtum hujuſmodi, arbitrio tuo, pœnitentia ſalutari*. Quod quidem Sacramentalis pœnitentiæ actum videtur innuere.

Verum communis eſt DD. hac de re ſcribentium doctrina, Confeſſionem Sacramentalem nec exigi, nec præſcribi. Et ratio eſt, quia ubi Pontifex vult præmittendam eſſe Sacramentalem Confeſſionem, id claris verbis exprimit, dicendo: *audita Sacramentale Confeſſione*, ut plerumque in Diſpenſationibus Sacræ Pœnitentiariæ, aliiſve in Caſibus etiam a Pontifice exprimitur. Cum igitur in expoſita clauſula facultas pro utroque foro abſolvendi fuerit abſolute conceſſa, & generaliter data, etiam abſolute & generaliter ea debet intelligi, & non ad Confeſſionem reſtringi; non enim verba commiſſionis reſtringenda ſunt, dum re-

reſtrictionem non inferunt. Ita Barboſa *de loc. com. loc. 50. n. 9.* Sanchez *de Matrim. l. 8. diſp. 44. n. 29.* Navarrus, Bonacina, Pelliccionius, De Juſtis *lib. 1. c. 7. n. 208.*, aliique communiter.

Nec vim faciunt verba: *pro utroque foro*. Quamvis enim hæc verba ſonent abſolutionem tum pro foro externo, cum pro foro Conſcientiæ; non ideo tamen Sacramentalem Confeſſionem important. Etenim alius eſt forus Conſcientiæ, alius forus Sacramentalis pœnitentiæ; ut optime monet Præpoſ. *in c. Præterea 2. de Sponſal.* ubi ait, triplex eſſe forum, quoddam *contentioſum*, quoddam *pœnitentiale*, aliud vero *quaſi pœnitentiale*, quod eſt *medium inter hæc*. Quod etiam adnotat M. Paulus Leo in *Praxi ad Litt. Maj. Pœnitentiarii* dum *part. 1. tit. 2.* ſcribit: „ Quadrupliciter gratiæ emanant a Majori Pœnitentiario. I. In „ foro Conſcientiæ, & in actu Sacramentalis Confeſſionis. II. In fo„ ro Conſcientiæ tantum. III. In utroque foro. IV. Simpliciter ab„ ſque ullius fori expreſſione. „ Quæ quidem a Confeſſariis probe ſunt advertenda, ut in litterarum executione munere ſuo rite fungantur. Cum igitur in Litteris diſpenſationum Sacræ Datariæ, de quibus agimus, non committatur, ut Oratores abſolvantur in foro Pœnitentiæ, ſed in foro Conſcientiæ, non eſt Confeſſio Sacramentalis exigenda. Siquidem Confeſſarius in ſolo Sacramento eſt Judex in foro Pœnitentiæ; at in foro Conſcientiæ eſt Judex extra Sacramentum, quoties vel ratione Bullæ, vel alterius privilegii abſolvit. Id conſtat ex praxi. Tridentinum *Seſſ. 24. de reform. c. 6.* concedit Epiſcopis poteſtatem abſolvendi a Caſibus quibuſcumque occultis in foro Conſcientiæ tantum; & hi extra Confeſſionem abſolvunt. Atque ita a pari Delegatus a Papa abſolvere poteſt in noſtro caſu. Denique nonne hæ Diſpenſationes Vicariis Generalibus committuntur, etſi aliquando non ſint Sacerdotes? Non ergo Sacramentalis Confeſſio præſcripta intelligitur, dum Delegato committitur, ut *pro utroque foro abſolvat*.

Neque refert, quod *pœnitentia ſalutaris* imponenda ſit. Nam forum Conſcientiæ dicitur etiam *quaſi pœnitentiale*, ut proinde pœnitentiam importet; Et de jure eſt, cum datur reo abſolutio etiam pœnitentia imponatur. Itaque in praxi, & in caſu Parochus delegatus, præmiſſis tenore diſpenſationis præmittendis; poſtquam Lælius, & Mævia *veniam petierint*, eoſdem ante ſe genuflexos *impoſita ſalutari pœnitentia*, poterit hac, vel ſimili forma abſolvere. *Facultate mihi ab Ordinario, per Apoſtolicam auctoritatem, delegata ab inceſtus reatu, & exceſſibus in utroque foro vos abſolvo. In Nomine Patris &c.*; Nulla enim forma præſcripta reperitur apud DD. Sic tamen abſoluti in foro Conſcientiæ, debent deinde confiteri, & in foro pœnitentiæ Sacramentalis abſolvi. Sed hoc de jure divino eſt, non de conditione diſpenſationis.

CAS. III. Parentius Capellanus vices gerens Parochi, in fer. 6. Maj. Hebdomadæ Viaticum defert cum ſtola albi coloris, ſubmiſſa voce recitans conſuetuos Pſalmos cum *Gloria Patri &c.* A Parocho proximæ Parœcia improbatur.

Qu. an juſtæ?

Reſp. Injuſte improbari. Conſtat ex Decreto S. Rit. Congreg. 15. *Maii 1745. in Lucana.* Cum enim orta eſſet contentio, & quæſitum fuiſſet, an Parochus ita ſe gerens eſſet laudandus? S. Congr. reſpondit: *Non eſt reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum infirmis fer. 6. in Paraſceve, dummodo private & ſubmiſſe, quinimo ſubmiſſiſſima voce recitet*

citet Pſalmos conſuetos per vias publicas, etiamſi dicat ℣. Gloria Patri; *quia in tali circumſtantia actio talis nihil habet eſſe cum functionibus Eccleſiæ hujus diei. Et conſiderandum eſt, quod defertur cum ſtola, atque pluviali* albi coloris, *quando in feria ſupradicta color paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ functionibus; ideoque ſi defert privatim pro aliqua neceſſitate, non eſt reprobandus, ſi populus abſque benedictione dimittat, quia in publica Eccleſia non debet recondi*. Cavaller. To. IV. cap. 5. de Comm. Infirmorum. Decret. 12.

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. Caliſtus Confeſſarius dum Confeſſionem Corillæ puellæ audiret, quædam protulit verba ſollicitationem ſonantia. Sed puella ſimplex verborum vim non aſſecuta, nihil mali cogitavit. Poſt multum temporis juncta Marito, & eorum verborum recordata pravam Confeſſarii mentem non obſcure cognoſcit. Rem propterea Parocho ſuo in Confeſſione exponit.

Qu. an Parochus debeat Corillæ imponere, ut antiquum illum Confeſſarium denunciet?

Reſp. Narrat Bordonus, caſum accidiſſe; & cum Corilla Viro poſtea conjuncta Confeſſarium conſuluiſſet, is reſpondit, eam ad nihil teneri. Inquieta Mulier ad alium acceſſit, qui contra eam monuit, teneri ad denunciandum Caliſtum. Tertius a Corilla conſultus reſpondit, omnia delicta tam publica, quam privata, una excepta hæreſi, ſpatio annorum viginti præſcribi ex Farinacio *q.* 10. *n.* 1. Ac proinde infra id tempus teneri quidem ad denunciandum, non vero ſi viginti anni jam effluxerint. His autem relatis, Bordonus Corillam abſolute eximit ab onere denunciationis, eo quod hanc obligationem numquam contraxerit. Nam, inquit, non contraxit tempore Confeſſionis, quia nihil intellexit; neque contraxit poſtea, quia ſicut ſollicitatio extra Confeſſionem cognita eſt, ita extra Confeſſionem cenſetur facta. *De Sollicit. q.* 11. *n.* 81.

Verum cum Card. Cozza *dub.* 29. omnino cenſendum eſt, Corillam ad denunciandum Caliſtum teneri. Etenim perſpicua ſunt verba Conſtitut. Pontificiarum Gregor. XV. & Bened. XIV., quibus ſtricte mandatur denunciandos eſſe *quoſcumque &c., qui ſollicitare, aut provocare tentaverint*. Atqui etſi Corilla non intellexit, adhuc verificatur, quod Caliſtus *ſollicitare* tamen, *ſeu provocare tentaverit*. Ergo in denunciationis delictum, & pœnam incidit. Nam quod Corilla non intellexerit, id per accidens eſt, neque impedit, quominus revera Caliſtus ſollicitare tentaverit. Sed quando, inquit Bordonus, hæc obligatio in Corilla incæpit? Reponimus *per ſe* eo die incæpiſſe, quo fuit provocata. Sed cum ex ignorantia excuſaretur, *reſpective* ad ipſam tunc incæpit, cum rei conſcia, & gnara facta eſt: quemadmodum fere, ſi rem alienam ignoranter detineas, equidem ea ſemper clamat ad Dominum; tunc vero ad reſtitutionem in conſcientia teneris, cum alienam eſſe cognoveris. Exceptio longioris temporis nequit amplius proferri poſt Conſt. Bened. XIV., in qua præſcribitur, ſollicitantem eſſe denunciandum etiamſi *longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit*. Id quod etiam ante hanc declarationem ſenſerunt plures Theologi, inter quos

Eſco-

Eſcobar, & laudatus Cozza; qui tamen appoſite advertit, in Denunciationibus poſt longum tempus factis DD. Inquiſitores ob impoſturæ timorem magna cum cautione procedere.

CAS. II. Liborius ex Patrui Teſtamento obligatus celebrari facere Miſſam quotidianam, eam celebrandam commiſit Julio Sacerdoti extero ad confinia Parœciæ habitanti. Nonnullis poſt annis detegitur Julius ementitus eſſe Sacerdos, & reipſa merus Laicus.

Qu. an Liborius teneatur Miſſas omnes per eos annos facere iterum celebrare?

Reſp. Cum diſtinctione. Vel Julius ille fictus Sacerdos erat in Curia Archiepiſcopali approbatus cum licentia celebrandi in Diœceſi, vel non. Si primum, dico Liborium ad nihil teneri. Si alterum, tenetur iterum ſatisfacere pro Miſſis fruſtra celebrati. Ratio I. partis deducitur ex communi Doctrina de reſtitutione: moctores enim communiter docent, quod cum duo cenvenerint de mittenda re aliqua per nuntium determinato ſigno diſtinctum, ſi accidat, ut fur arrepto ſigno ſine culpa Debitoris ſe præſentet, eique Debitor rem conventam bona fide tradat, ad novam reſtitutionem non tenetur. Nam perſona, quæ ſignum exgibuit, cenſetur una cum Creditore, & ideo qui ei ſolvit, Creditori ſolviſſe cenſetur. Ita Molina, Navarus, Rebellius, & Bonacina *De reſtit. diſp. 1. q. 3. punct. 9.* Et confirmatur ex Bartolo in *l. Si quis Uxori 53. §. apud Labeonem ff. de furtis*, ubi docet, non teneri Bidellum ſolvere pretium libri a Scholare ſibi conſignati, ſi eum dederit conſueto famulo, vel alteri deferenti ſignum a Scholare indicatum. Igitur cum Teſtator Hæredi ſuo injunxerit, ut quotidie ſibi tranſmitteret Miſſæ ſuffragium per Sacerdotem ſignum Epiſcopalis approbationis, & licentiæ habentem, ſi Hæres tali Sacrdoti Miſſarum celebrationem commiſerit, ad nihil amplius tenetur, etſi talis approbationis, ac licentiæ ſignum fuerit furtive obtentum.

Hinc patet ratio II. partis. Nam ſi Liborius abſque ſigno, ideſt licentia Epiſcopi Miſſas celebrandas commiſit alicui non Sacerdoti, jam eſt in culpa; ideoque ab onere non eximitur, ut iterum Miſſas totidem faciat ſupplere. Neque enim quiſquam poteſt admittere exterum Sacerdotem ad celebrandum, neque in Eccleſiis Regularium, niſi approbationem, & licentiam Ordinarii oſtendat, a quo Dimiſſoriales Litteræ fuerint recognitæ; ex Concil. Trid. *Seſſ. 23. de Reform.* Pii V. *Conſt. 29. Maii 1566.* Synod. Diœceſ. Bonon. *lib. 1. cap. 5.* plurimiſque Bened. XIV. aliorumque Archiepiſc. Edictis. Quid vero, ſi ad celebrandum in Parochia a Parocho admiſſus communi errore Sacerdos putaretur? Tunc, cum Liborius ſit ſine culpa, & culpa ſit Parochi, ad quem ſpectat rem cognoſcere, & Decreta Eccleſiæ ſervare, ipſi Parocho onus Miſſarum celebrandarum incumbet, ut eſt manifeſtum.

CAS. III. Orta eſt contentio inter duos Parochos, an hoſtia in Proceſſione circumlata poſſit ſequenti die in partes diviſa diſtribui fidelibus communicaturis, an vero debeat a Sacerdote dein celebrante ſumi poſt ſanguinis ſumptionem.

Qu. reſolutio?

Reſp. Reſolutio eſt, eam Hoſtiam debere a Sacerdote intra Miſſam ſumi, non vero Fidelibus communicaturis diſtribui. Ita jampridem docuit celebris Sacrorum Rituum Interpres Gavantus, & qui de his rebus ſcripſere Biſſus, Tonellus, & alii quamplures. Idemque deducitur ex lon-

longiori illo decreto S. Congreg. Concilii, approbante Innoc. XI. 12. *Febr.* 1679. ubi hæc leguntur: *Admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas.* Dum enim Pontifex conſuetas particulas communicaturis dari mandat, inquit Cavaller. *to.* 4. *c.* 4. *De Fedel. Comm.* ſimul vetat diviſas Hoſtiæ partes diſtribui, quæ nec magnitudine, nec figura ſunt conſuetis conformes. Hinc in Inſtruct. Rom. de Hoſtia quæ exponitur occaſione XXXX. Horarum ita præſcribitur: *e l' Oſtia Conſagrata ſi dovrà conſumare nella Meſſa, o in quella mattina, o nella ſeguente.* Non ergo de hac reſolutione eſt diſputandum.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. MElania e vitæ periculo egreſſa vovit, recitare quotidie per annos decem unum *Pater, & Ave*, & qualibet hæbdomada eleemoſynam unius obuli dare pauperibus; at per plures annos utrumque omiſit.

Qu. an graviter peccaverit in utraque omiſſione tum precis, cum eleemoſynæ.

Reſp. Dupliciter poſſe diem, ſeu tempus aſſignari pro voti executione. I. Cum actio aſſumitur tamquam onus illius diei, cui aſſignatur. II. Cum dies præfigitur, ne actio ultra diferatur. Si priori modo fiat votum, tranſacto die, ceſſat voti obligatio; ſicut in Eccleſiæ præceptis obligatio audiendi Miſſam in die Feſto; jejunandi in vigilia, recitandi Horas Canonicas ceſſat, ubi dies obligationis tranſierit. Si altero modo, tunc etiam lapſo termino, ſemper & magis urget obligatio, ut in præceptis Confeſſionis annuæ, & Paſchalis Communionis ſemper obligatio urget confitandi, & communicandi, quia in his tempus non præfigitur ad finiendam, ſed ad non diferendam obligationem: ſicuti patet in debitore, qui ad certum diem ſolvere tenetur, ſi intra illum diem non ſolvit, ſemper manet obligatio, donec ſolvat, *ex cap. cum dilecti de dolo, & contum.*, & *l. Celſus §. idem ait ff. de recept. arbitr.* Eſt Communis ex Cajet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 22. *dub. ult.*, & Suarez *De Relig. l.* 4. *c.* 13.

At difficultas eſt in cognoſcendo quando reipſa votum diem afficiat, & quan[illegible]; ſed in primis exquirenda eſt intentio voventis, quæ ſi conſtet, eidem ſemper in foro Conſcientiæ ſtandum eſt. Tale enim eſt votum, qualis fuit voventis animus. Quod ſi vovens nequeat ſuam intentionem noſſe, & explicare, tunc conjecturis utendum eſt, conſideratis moraliter voventis verbis, & materia voti. Et ſecundum hæc, duo generaliter cum Suarez *loc. cit.* ſtatuuntur. I. In votis *realibus* generatim dies præfixus intelligitur non ad finiendam, ſed ad exitandam, ſeu non diferendam obligationem, Nam votum reale ſemper reſpicit utilitatem alterius, vel proximi, vel Eccleſiæ. Ergo hic finis eſt principalis, & circumſtantia temporis eſt ſecundaria: proinde etiam tranſacto die impleri debet, præſertim cum res promiſſa adhuc permameat, in eaque relinquatur fundamentum obligationis, & cum eodem affectu ſublevandi pauperis, vel Eccleſiæ ſemper impleatur. II. E contra votum diem afficere dicendum eſt, cum principaliter factum eſſe videtur, in tali diei venerationem, quod maxime obtinet in votis

per-

perſonalibus. Ejuſmodi eſſe ſolet jejunium Sabbathi in honorem B.V., vel in vigilia alicujus Sancti ad ejus honorem. Dixi *principaliter*; nam ſecus, obligatio cum die non extinguetur. Sic, ut notat Suarez, qui vovit ingredi religionem die Aſſumptionis B. V., etſi ingreſſum diſferat, non ideo ceſſat obligatio, quia reſpectus ad diem eſt tantum ſecundarius, primarius vero eſt ad ſtatum in ſe. Pariter jejunium 6. Fer. a Confeſſario pro ſatisfactione impoſitum, ſi eo die omitatur, obligatio non ceſſat, quia etſi in honorem talis diei injunctum ſit, tamen principalis intentio eſt pœnalis, ſeu medicinalis ſatisfactio. Hæc inquam generatim. Peculiares enim circumſtantiæ multum tribuunt, ut voventis animus, & obligatio melius intelligatur.

Ex his Doctrinis inferes I. Melaniam graviter peccaſſe, omiſſione Eleemoſynæ. Votum enim quoad hanc partem eſt reale. Ergo niſi aliter conſtet de ejus intentione, obligatio per lapſum diei non extinguitur. Igitur parvæ materiæ ſub obligatione in gravem coaleſcentes, gravis peccati ream Melaniam fecere.

Inferes II., niſi aliter conſtet, Melaniam non eſſe habendam mortalis culpæ ream ex omiſſione recitationis precis Dominicæ. Nam cum in Votis perſonalibus promiſſio generatim intelligatur ad ſingulos dies ob ſingulorum honorem, ut in Horis Canonicis, ſingulis elapſis, obligatio finitur, & definit. Unde ſingulis diebus veniale committitur, nec erit grave ad finem anni, cum multiplicatio venialium ad culpam mortalem non pertingat. Cæterum mens, & conſcientia voventis inquiratur: & maxime an ita voverit precem pro ſingulis diebus, ut ſi uno die negligeret, intenderit alio die compenſare; in hoc enim caſu coaleſcerent omiſſiones; & gravis culpa poſt notabile tempus admitteretur ut bene notat Azor. *lib.* 11. *c.* 5. *q.* 3.; & Concina de Voto *Diſſ.* 2. *c.* 1. *q.* 8., qui addit, quod cum Melania ob gravem finem opus quidem leve voverit, ſed per grave tempus ferendum, facile intendere potuit, ſe graviter peccaturam, ſi per notabile tempus omitteret.

CAS. II. Flaminia obſtetrix interroganti Parocho, an infantem, quem vita periclitantem baptizavit, rite baptizaſſet, reſpondit ob feſtinationem in ejus caput prius aquam infundiſſe, tum immadiate poſt formæ verba protuliſſe.

Qu. an Parochus validum habere debeat hunc baptiſmum, aut ſaltem ſub conditione ipſum iterare?

Reſp. Plurimum diſſident Doctores in hujus baptiſmi de[illegible] validitate. Author Gloſſæ in Canon. *Detrah.* 54. 1. *q.* 1. invalidum baptiſmum exiſtimat, ubi ſimul ex toto materia, & forma non concurrant, ſive ubi cum actione Miniſtri omnium omnino verborum formæ prolatio non coexiſtat. Scotus autem in 4. *diſt.* 6. *q.* 2. putat, validum eſſe baptiſmum, ubi materia, & forma aliqua ſaltem ex parte ſimul coexiſtant, ideſt ſi materia ſaltem applicetur, cum ultima formæ verba proferuntur, vel ante completam abſolutionem incipiat Miniſter formæ verba proferre. Quare baptiſmum invalidum fore aſſerit, ſi formæ verba, quamvis immediate poſt factam abſolutionem, proferantur ut in caſu, quia tunc id no[illegible], quod verba ſignificant; verba enim *Ego te Baptizo* ſignificant d[illegible]ſenti, abſolutio jam completa ac præterita eſt.

At Jo. Pontas V. *Baptiſmus* cum aliis contendit, validum eſſe Sacramentum, ubi materia, & forma moraliter conjungantur, ideſt ita, ut juxta

ta communem agendi, & loquendi morem materiæ applicatio a verborum prolatione ſufficienter determinetur. Sacramenta enim ſunt entia moralia, hominumque uſui a Chriſto Domino accomodata; unde moralis tantum materiæ cum forma conjunctio exigenda eſt. Atqui per verbum de preſenti *Ego te baptizo* ſatis determinatur ablutio immediate prius facta; nam juxta hominum ſenſum ſeu moraliter preſens eſt. Ergo validus erit baptiſmus a Flaminia collatus, nec proinde iterandus. Hanc & ipſe probabiliorem eſſe ſententiam crediderim, adeo ut, ſi infans hoc baptiſmate renatus ſtatim obiiſſet, in ſortem filiorum Dei vocatus debeat exiſtimari. „ Nihilominus, ſubdit idem Pontas, cum „ ea de re non conſentiant Theologi, tutius nobis videtur in ſimili „ caſu baptiſmum ſub conditione iterare, uti facit in aliis multis Ec„ cleſia, quo in tuto ſalus infantis ponatur. “

CAS. III. Ruri in domo Philiberti honeſti Civis recreationis gratia inſtitutæ ſunt choreæ; cumque apud ipſum villicaret Emilius Clericus, qui artem callebat pulſandi muſicum inſtrumentum, modo choreas egit, modo inſtrumentum ipſum pulſavit.

Qu. an graviter peccaverit, & pœnam aliquam incurrerit?

Reſp. Caſum hunc paullo aliis verbis propoſitum invenio *Menſ. Febr.* 1732., ubi reſolutum fuit Sacerdotem cytharam in choreis pulſantem graviter peccare, & ſuſpenſionem ipſo facto incurrere, quæ lata eſt ſtatuto Syn. N. Diœceſ. *lib.* 3. *c.* 1. ubi, cum etiam *ſaltationes cum fœminis inſtituere* Clericis graviter interdicatur, multo magis Emilius deliquiſſe dicendus eſt. Reſolutionem confirmavit, amplificavitque Bened. XIV. tunc Bonon. Archiep. *Notiſ.* 20. *Decemb.* 1737. qui eſt *IX. Tom. IV.* Ad quam ex integro Confeſſarios remittimus. Neque enim iis, quæ a poſitiva lege, peculiaribuſque ſtatutis pendent quidquam addendum venit.

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. PLautilla honeſta puella ad feſtivum Convivium invitata, prævidet, ſe impudice amandam a Petrillo inter Convivas invitato. Interrogat ſuum Confeſſarium an poſſit ad Convivium pergere.

Qu. quid reſpondere debeat?

Reſp. Cum charitatis lege jubeamur, proximi malum, quantum commodo poſſumus, vitare, ideo ex D. Thoma 2. 2. *q.* 43. *art.* 7., *& in IV. diſt.* 38. *q.* 2. *art.* 4. conveniunt Theologi, ad ſcandalum, quod prudenter timetur, declinandum, aliquando vel ipſas actiones, quæ adiaphoræ, ſeu indifferentes dicuntur, eſſe prætermittendas. Hinc docent, mulierem, quæ nulla juſta vel neceſſitatis, vel utilitatis cauſſa domo egreditur, prævidens ſe turpiter amandam, mortaliter peccare. Juſtæ autem cauſſæ inquiunt, eſſe poſſunt, neceſſitas eundi ad Eccleſiam, inviſendi conſanguineas vel amicas officii gratia, vel utilitas agendi propria negotia, vel etiam officium morem gerendi Parentibus, & conſanguineis, a quo ſe commode nequeat in caſu Plautilla expedire. Verum ad ejuſmodi neceſſitatis vel utilitatis gradus æſtimandos tria præ oculis habenda ſunt. I. An ſcandalum, quod prævidetur ſit phariſaicum, an puſillorum; nam multo major habenda eſt ratio proximi ex infirmitate, quam ex malitia lapſuri; immo ſcandalum phariſaicum non raro

con-

contemnendum eſt, ut fuſe idem Angelicus *loco citato*. II. Conſiderandum, an opus quantumvis per ſe indifferens, perculoſum tamen ex circumſtantiis eſſe videatur. III. Demum ſcandalum ipſum eſt attendendum; quo enim majus timetur malum, & major requiritur cauſa, & neceſſitas exercendi actionem, ut hęc a ſcandali reatu immunis ſit.

Porro ex his habebit prudens Confeſſarius quid Plautillæ ſuæ reſpondeat & ſecundum præceptum, & ſecundum conſilium. Secundum præceptum cavebit a Doctrina Dianæ, & aliorum apud Salmaticenſes, *Tract.* 21. *c.* 8. *punct.* 5. *n.* 60, & la Croix *lib.* 2. *n.* 247. Qui inter cauſas, ob quas poteſt puella offerre ſe conſpiciendam adoleſcenti, a quo ſcit ſe turpiter amandam, recenſent, ne ſe privet ſua libertate & jure exeundi domo, aut ſtandi ad oſtium, vel feneſtram. Nam oppoſitum docet S. Antoninus II. *Part. tit.* 7. *c.* 4. *Sicut ſi mulier perpendens vel æſtimans ex ſignis aliquem trahi ad concupiſcentiam ſui extra Matrimonium, offerat ſe indifferenter aſpectui illius, non intendens ex hoc illum inducere ad concupiſcentiam ſuam, ſed nec etiam de hoc curans, ſed volens ſatisfacere voluntati ſuæ, ſeu levitati in diſcurrendo per loca, vel morando ad oſtium domus, vel feneſtras ex quadam curioſitate, vel vanitate, ut laudetur de pulchritudine, mortale eſſet. Secus autem ſi hoc non æſtimaret, vel non bene poſſet illa dimittere, ut quia oportet ire ad Eccleſiam, vel ad alia loca, & aliquando cum vicinis morari in via, ne redat ſe aliis oneroſam, & de eo diſplicentiam habeat.*

Quoad conſilium, ei meminerit, quanto ſtudio charitas erga proximum a Jeſu Chriſto nobis commendetur, *Jo.* 15. 12. *Hoc eſt præceptum meum*, & *c.* 13. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis*, & alibi centies. Tum quo zeli impetu ſcandala idem Dominus inſectatus ſit: *Matth.* 18. 7. *Væ mundo a ſcandalis*; *c.* 25. 24. *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Denique charitatis laudes, quas recenſet Apoſt. 1. *Cor.* 8. 1., ejuſque ſenſa: *c.* 6. 12. *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*. Et *c.* 8. 12. *peccantes in Fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat Fratrem meum: non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*. Hæc tamen addidimus ea moti Patrum ſententia, quod fere e mundo exularent peccata, ſi exularent ſcandala.

CAS. II. Febronius Homo dives anteactę vitæ crimina Confeſſario repetens, inter delicta juventutis nonnullas fornicationes, & adulteria accuſat. Interrogatus a Confeſſario, an Filios umquam genuiſſet, reſpondet, duas quidem ſe filias genuiſſe, ſed de his nihil angi, eo quod eas ſtatim ad Hoſpitale Expoſitorum, ſoluto intromiſſionis pretio miſerit, & nunc eſſe puberes, & bene valere.

Qu. an quidquam oneris debeat ipſi Confeſſarius imponere?

Reſp. Duo quæ Febronio incumbunt onera, debet Confeſſarius eidem aperire. I. Ut reſtituat Hoſpitali quidquid ipſum expenderit in alendis, educandiſque puellis. II. Ut eaſdem dotet ad honeſte vel nubendum, vel vivendum. Ratio I. obligationis fundatur in naturali jure. Nam Pater jure naturæ tenetur Filiis ſuis alimenta præſtare, nec ſolum legitimis, ſed etiam illegitimis, ſive naturalibus, ſive ſpuriis. Eſt communis. Et merito jus Canon. *in cap. Cum haberet, de eo qui duxit in Matrim.* correxit jus Civile in *Authent. ex complexu C. de Inceſt. Nupt.*, ubi vetitum erat *ſpuriis* vel ipſa alimenta præbere. Ergo debet Febronius Pater pro expenſis ſuæ prolis enutritæ Hoſpitali Domo reſtituere,

dum

dum poteſt. Et poſſe ſupponitur, quia in caſu dives aſſeritur. Ita pariter DD. communiter, quos allegat, & ſequitur Eminentiſſimus de Lugo *de Juſt. & Jur. to.* 1. *diſp.* 13. *ſect.* 1. ubi etiam rejicit opinionem Henriquez, atque ideo Decaſtilli, & Layman *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *c.* 14. *n.* 4., qui aſſerunt Patrem expoſiti non teneri ad reſarciendum Hoſpitale pro alimentis, quando Hoſpitale eſt dives. Et merito quidem rejicit, quia Hoſpitalia non ſunt inſtituta ad alendos filios divitum, ſed ut pauperibus ſubveniatur. Et talis eſt praxis adminiſtratorum, ut cogant exponentes ſolvere impenſas, ſi illorum notitiam habere poſſunt, ut de Expoſitorum Hoſpitali Bononiæ conſtat, & notat Girib. *tract.* 9. *in Decal. c.* 1. *dub.* 45. Ergo injuſte agit Febronius, qui cum dives ſit, & teneatur filiis alimenta præſtare, cogit efficitque ut iis alantur ex pauperum bonis. Et quamvis Hoſpitalia inſtituta etiam ſint ad recipiendos filios expoſitos tum divitum, cum pauperum tamen id factum eſt, ut prolis vitæ, & incolumitati provideretur, utque parentes infamiæ, aliiſque periculis ſubtraherentur, non ut a naturali onere eximerentur alendi, atque ideo compenſandi pro præſtitis alimentis.

Ex eodem pariter jure naturali oritur II. obligatio, ideſt dotandi filias ſuas, ſaltem ita, ut honeſte nubant, nec graviter egeant, Velaſco *de Privileg. pauper.* & Gonzalez in *d. cap. Cum haberet, de eo qui duxit*, & late Rebellus *De Oblig. Juſt. part.* 2. *lib.* 5. *q.* 8. *ſect.* 2.; ubi ait, pro certo tenendum eſſe; Patrem obligari ad ſuccurrendum filiis etiam ſpuriis, quoad ſuppetant facultates, non ſolum ne extreme, ſed etiam ne graviter egeant; & a fortiori filiis naturalibus, quibus nulla juris prohibitio adverſatur. Atqui Filiæ in Hoſpitali Expoſitorum graviter dote ſua indigent; tum quia Hoſpitalis Domus ad eas dotandas, in hypotheſi Patris divitis, non tenetur; tum quia etſi ex charitate eaſdem ſublevet, raro id ſubſidii habent, ut honeſte nubant, & graviter non egeant. Igitur dives earum Pater debet iiſdem competenti dote ſuccurrere, & ſubvenire.

CAS. III. Mirtilla Vidua decernit, & mandat defunctæ Filiæ ſuæ Cadaver ſepeliri in Eccleſia Regularium, Contradicit Parochus negans Matri jus eligendi ſepulturam pro filia extra Paræciam, in qua debet de jure ſepeliri.

Qu. an jure contradicat? & quid ſi violenter cœgiſſet Cadaver ad Parochialem deferri?

Reſp. Ad I. partem caſus diſtinguendum eſt. Vel enim Filia pubes eſt, vel impubes. Si pubes, nequit Mater, nec Pater eligere arbitrio ſuo Filiæ ſepulturam. Nam textus *Cap. Licet* 4. *de Sepultur. in* 6. expreſſe de Filiis minoribus loquitur, itemque Decreta inſerius referenda. Et ratio eſt, quia ſi jam puberes ſunt Filii, ii jus habent eligendi ſibi ſepulturam, & eligere etiam poſſunt ſine conſenſu Patris; quia quoad jura ſpiritualia, quale eſt etiam ex *cap. Quæſita* 12. *Cauſ.* 13. *q.* 2. jus ſepulturæ, Filius familias patriæ poteſtati ſubjectus, non eſt, *c. Unaquaque* 4. *§. Exemplo cauſ.* 13. *q.* 2., *cap. Nos inſtituta* 1. *de Sepulturis*. Si vero Mirtillæ Filia impubes erat, adhuc diſtinguendum. Vel enim Mater elegit Filiæ ſepulturam pendente ipſius vita; vel non. Si primum, immerito Parochus voluntati Mirtillæ contradicit. At ſi alterum, jure ſe opponit. Eſt communis, & pluribus Decretis firmata ſententia, apud Pignatellum *to.* 7. *Conſult.* 21.

 Sepul-

Sepulturam pro Filio minori in vita, non poſt ejus mortem poteſt Pater eligere. S. Congr. Epiſc. & Reg. 1587. tum S. Cong. Rit. 1641. *Poteſt Pater eligere Sepulturam pro Filiis impuberibus in vita, non poſt mortem*. Neque dicas id Patri quidem ex his juribus competere non Matri. Nam in primis citatum textum *Cap. Licet* 4. *de Sepult. in* 6. ita exponunt DD., ut idem jus, defunčto Patre, ad Matrem infantis ſpectare decernant, Geminianus, Franchus, Barboſa, Nicolius, Pignatellus, & alii communiter. Adde ita decreviſſe S. Cong. Epiſc. & Reg. 20. *Jan*. 1640. dum generatim Parentes complectitur. *Sacra* &c. *Sæpius cenſuit, licere Parentibus in quacunque Eccleſia voluerint, etiam Regularium, eorum Filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt, eligere Sepulturam; nec a Parochis locorum impediri poſſe, aut debere*. Idemque decrevit S. Cong. Rit. quæ 6. *Decembr*. 1641. interrogata: *an etiam Mater, cum Pater non adeſt, poſſit Filio impuberi Sepulturam eligere?* Reſpondit *affirmative*. *v. Caſ*. III. *Octob*. 1762.

Hinc ad II. partem Caſus. Si Parochus contra legitimam voluntatem Mirtillæ viduæ violenter egiſſet, tenetur reſtituere cum corpore quidquid accepit. Competit enim Eccleſiæ, ubi de jure cadaver debet ſepeliri, vindicatio corporis Defuncti cum omnibus oblationibus ibidem factis *Cap. In noſtra de Sepult*. Gavant. *Man. Epiſc. v. Sepultura*. Panimoll. *Deciſ*. 5. *n*. 5. Abbas, Sylveſter, & Barboſa, *de Parocho c*. 26. *n*. 27.

LAUS DEO.

CASUS

CASUS RESOLVENDI IN DIŒCESI

ANNO 1778.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. BEroaldum inter, & Sejam Sponſalibus contractis, incæptiſque denunciationibus, ii deteguntur in quarto gradu conſanguinei. Sed *ob ætatem puellæ* diſpenſatio ſuper impedimento obtinetur. Beroaldus quamprimum matrimonium contracturus Parochus confitetur, accuſans ſe tum ante, tum poſt diſpenſationem cum Seja copulam habuiſſe. Dubitat Parochus, an copula ante habita, licet occulta, exprimenda eſſet ad diſpenſationem obtinendam.

Qu. Quid reſolvendum?

CAS. II. Facta hypotheſi, quod inceſtuoſa copula pro diſpenſatione exprimenda ſit. Qu. I. An in caſu, quia ſubticita eſt, ſit ad Sacram Pœnitentiariam recurrendum pro ſanatoria? II. An quidquam obſtet diſpenſationi copula poſt diſpenſationem commiſſa?

CAS. III. Thomas ab ingreſſu Eccleſiæ ob Paſchalis præcepti violationem interdictus Eccleſiam ingreditur, ut in eadem tantum oret; quem obſervans Parochus jubet expelli. Qu. An jure?

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. MAurilius monet Cajum, ut promptos ſibi aureos mille detineat, ſoluturus intereſſe. Labitur annus, nec Maurilius aureos petit; & Cajus intereſſe exigit.

Qu. An licite?

CAS. II. Boeria poſt adulterium cum Sergio cogitat de occidendo Viro ſuo, ut Sergio nubat. Interim Boeriæ ſervus, conſcius de amoribus Hæræ ſuæ, ut rem eidem gratam faciat Virum occidit. Homicidium ratum habet Boeria, ſervum remunerans, ut Amaſio nubere poſſit.

Qu. An revera nubere queat?

CAS. III. Cum Epiſcopus in Paſtorali Viſitatione Confirmationis Sacramentum conferret, Petronius eadem die pueros plures in Confirmatione ſuſcepit.

Qu. An licite?

MENSE MARTIO.

CAS. I. FElinus iter longum aggreſſurus aureos mille apud Lælium deponit, ipſi facultatem faciens iiſdem utendi, ſi ſibi opus fuerit. Lælius Felino præſente acceptos nummos collocat in loco tuto. Data opportunitate ex iis tercentos dat mutuos amico, & repetitos reponit, ſed a reliquis diſtinctos. Accidit, ut fures domum invadentes tercentos hos aureos furentur.

Qu. Cui furati ſint?

CAS. II. Silvius Parochus longiori ægritudine decumbens, nunquam in Feſtis facit per alium offerre pro Populo; eo quod putet onus offerendi pro Populo eſſe onus perſonale. Sylvinus vero putans eſſe onus reale, pingues aliunde habens in Feſtis eleemoſynas, ſemper alteri committit, ut Miſſam faciat pro Populo.

Qu. Quis eorum rectius judicet, & agat?

CAS. III. Patritius, qui fuit Pippino in Baptiſmate Patrinus, cupit eumdem etiam ſuſcipere in Confirmatione; & a Parocho, utrum ſibi id liceat, ſciſcitatur.

Qu. Quid reſpondebit Parochus?

MENSE APRILI.

CAS. I. MArinus mutuos dedit Horatio aureos centum intra annum reſtituendos. Paullo poſt, domo ſua ruinam minante, cogitur Marinus, ejus pecuniæ defectu, cenſum inſtituere, ut domum repararet a Sub anni finem non ſolum aureos centum datos mutuo ab Horatio exigit, ſed etiam damnum, quod ſibi inde emerſit.

Qu. An licite?

CAS. II. Pariſius dum anteactæ vitæ crimina in confeſſione Parocho aperiret confitetur de copulis ante matrimonium habitis cum duabus Sororibus Uxoris ſuæ, & a Sacra Pœnitentiaria fuiſſe his terminis diſpenſatum, ſuper impedimento primi affinitatis gradus *ob copulam habitam cum Sorore*. Hinc duplici angitur dubio I. quod copulam non expreſſerit niſi ſemel habitam cum una, dum tamen pluries peccaverit. II. Quod de copula ſemel habita cum altera Sorore ex oblivione mentionem non fecerit.

Qu. An Pariſius debeat nihilominus de ea diſpenſatione eſſe tutus?

CAS. III. Onuphrius Parochus novas Tunicellas pro Miſſa Solemni celebranda conſtrui juſſit; quas cum benedicere vellet, Capellanus contendit non eſſe benedicendas, eo quod in Rituali legatur tantum *Benedictio Sacerdotalium Indumentorum*; inter quæ certe non ſunt Tunicellæ.

Qu. An recte contendat?

MENSE MAJO.

CAS. I. Sylvanus villicus, unicus Filius Antoniis ex primis Nuptiis, portans pondus diei, & æſtus, induſtria, & labore notabiliter rem paternam auxit. Defuncto Patre vult Fratribus ex ſecunda Uxore genitis ſeparari; & hæc contendit, paternam hæreditatem æquis portionibus inter ipſum, ſuoſque Filios, ejus fratres eſſe dividendam.

Qu. An juſte prætendat?

CAS. II. Laurus, & Laurentius ſub Veſperas Sabbathi Pentecoſtis cogitantes ire venationis gratia in montes diſſitos prævident futurum, ut nequeant in proximis Feſtis Miſſam audire. Quærunt a Parocho, an poſſint nihilominus licite abire, & venari.

Qu. Parochi reſponſum?

CAS. III. Capellanus in Altari celebrans, in quo Euchariſtia non aſſervatur, ut devotioni piæ mulieris communionem in Miſſa petentis ſatisfaciat, partem Hoſtiæ conſecratæ eidem tradit.

Qu. An licite?

MENSE JUNIO.

CAS. I. Lucas, & Lucillus in Nundinis Mantuanis centum ſaccos tritici ab eodem Mercatore ſinguli emerunt, ut Venetias negotiandi gratia navi tranſmitterent. Locatis in navis fundo centum Saccis Lucilli quaſdam alias merces, tum centum Saccos Lucæ Nauta ſuperpoſuit. Lucillus terra iter faciens ad Portum prope Ferrariam appulit, ibique Frumentum ſuum vendidit; & ne omnia ſubverterentur, Saccos centum Lucæ, qui erant in ſuperiori navis parte, utpote ejuſdem qualitatis, & quantitatis, emptori tradidit. Poſtmodum Navis Venetias pergens naufragium paſſa eſt, & frumentum periit.

Qu. An frumentum iſtud Lucæ perierit, an Lucillo?

CAS. II. Tiburtius ſæpe renuens Uxori ſuæ ſe commiſceri, eidem denique occaſio fuit, ut adulteraret. Quod reſciens Tiburtius ipſi impoſterum debitum negat, quod ſibi jus eſſe contendat debitum negandi.

Qu. An revera id juris habeat?

CAS. III. Dorilla pia fœmina in die infra octavam Corporis Chriſti occurrente Novendio S. Antonii petit a Capellano, ut Miſſam votivam de S. Antonio celebret.

Qu. An poſſit rite celebrare?

MENSE JULIO.

CAS. I. **B**Ertholdus convento pretio juliorum quinque emit a Piſcatore quidquid piſcium jacto ſub oculis rete eſſet capturus; & a Paſtore ovium emit pretio ſcutorum totidem quidquid agnorum foret ex toto grege ſuperiori Junio menſe naſciturum. At nihil cæpit Piſcator, nihilque ex grege eo menſe natum eſt.

Qu. An in utroque caſu debeat nec ne pactum pretium ſolvere Bertholdus?

CAS. II. Fælix Diaconus ſive Officium recitet, ſive Miſſam in Feſto audiat, voluntariis in diſtractionibus mente detinetur.

Qu. An ſatisfaciat?

CAS. III. Fernandus Clericus a Patre ſuo ad correptionem percuſſus, tanta ira accenditur, ut ſe ipſum in brachiis, ac manibus ad ſanguinis uſque effuſionem mordeat.

Qu. An Pater percuties, & Clericus ſe mordens excommunicationem incurrant?

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. **M**Artina pia Mulier ſolita frequenter refici Sacra Synaxi, graviter ægrotans Sacro Viatico fuit a Parocho roborata. Tribus vel quatuor diebus elapſis, eadem durante infirmitate, & periculo, petit iterum Viatico refici; cui cum indulſiſſet Parochus, reprehenditur ab Archipresbytero, quod fecerit contra ſtatutum Synodi N. Diœceſanæ *lib. 2. c. 3. §. Ægrorum ſolatium.*

Qu. An juſta fuerit reprehenſio?

CAS. II. Carlinus Filius Hæres, defuncto Patre, cum ſcripturas a Patre relictas colligeret, ut jura cognoſceret ſuæ hæreditatis, ſchedulam invenit, in qua Pater defunctus manu propria pias dotes, & eleemoſynas notaverat, quas facere conſtituerat.

Qu. An Hæres ad eaſdem implendas teneatur?

CAS. III. Hyacinthus Parochus occurrente Feſte S. Iſidori Epiſcopi Titularis Eccleſiæ ſuæ in Feria IV. poſt Dominicam Paſſionis, ne ſolemnitatem mæſtitia turbet, utque devotionem Populi foveat, Imaginem ejuſdem S. Titularis, quæ in Altari proſtat, diſcooperit, &, ut facit Eccleſia in Miſſa Fer. V. in Cœna Domini, Crucem albo velo tegit.

Qu. An rite?

MEN-

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. CAmillus, & Dorotheus Fratres honeſti quidem ſed fortunis tenuis generis, defuncto Patre, ut familiæ decori conſulant, conveniunt, ut unus tantum uxorem ducat. Camillus Dorotheo natu minori onus uxoris docendæ ceſſit ſimul cum tertia parte fructum ſui Patrimonii, & promiſſione hæreditatis in favorem filiorum. Ducta his conditionibus Uxore a Dorotheo, Filiiſque procreatis, Camillus amore captus cujuſdam mulierculæ, ex ea filium genuit, promittens cum juramento, ſe illam ducturum in Uxorem.

Qu. Quid de hoc juramento, ac de ſorte progeniti naturalis filii ſit judicandum?

CAS. II. Florinda cum in generali Confeſſione delicta juventutis ſuæ Confeſſario exponeret, de una vel altera fornicatione ſe accuſat. Interrogata de ſtatu complicis, relatione ad ſe, reſpondit, complicem fuiſſe Fratrem præſentis Viri ſui.

Qu. Quomodo Confeſſarius, audita hac reſponſione, debeat ſe gerere cum Florinda?

CAS. III. Germanus Parochus vocatus ad celebrandum in die Feſto Eccleſiæ Monialium Monaſterii Ordinario ſubjecti, & intra Parochiæ ſuæ fines ſiti, vult urgentis Matrimonii denuntiationes facere. Sed Monialium Confeſſarius eidem ſe firmiter opponit.

Qu. An jure?

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. MArcus Mercator Venetus committit Blaſio Proxenetæ Bononienſi, ut ſuo nomine emat viginti librarum millia cannabis, Blaſius habitans apud ſe decem librarum millia, hæc a ſe ipſo nomine Mercatoris emit communi pretio; tum alia decem ab indigentibus pecunia viliori pretio emit nomine proprio; & omnia mittit, traditque Mercatori pretio communi.

Qu. An licite?

CAS. II. Fortunius hæres Confeſſario ſuo fatetur, ſe ab anno & ultro aditæ hæreditatis nondum quædam legata pia adimpleviſſe. Parochus ei denunciat numquam fore, ut ab ullo abſolvatur, niſi prius legata ſolvit. Quod audiens Fortunius, ſequenti die legatorum ſolutionem implet, & pœnitens ad Confeſſarium redit, ut abſolvatur.

Qu. An poſſit ſimplex Confeſſarius ipſum abſolvere?

CAS. III. Plautina pia Mulier petit a Capellano, ut Miſſam votivam celebret in honorem eorum Sanctorum, quorum effiges ſimul proſtant ad Majus Altare. Porro inter iſtos ſunt & Martires, & Virgines, & Confeſſores.

Qu. Quæ Miſſa rite legenda ſit, ut petentis devotioni ſatisfiat?

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. Vincentius Confeſſarius, pluribus abhinc annis ad Confeſſiones audiendas approbatus, pluries ab inceſtu affinitatis in primo gradu abſolvit. Nunc a Parocho intelligens ejuſmodi inceſtum eſſe caſum reſervatum, dubitat, an peccaverit, & aliquam pœnam incurrerit?

Qu. Quid dicendum?

CAS. II. Fauſtinus Confeſſarius, approbatus ad annum, & qui hucuſque in Parochiali Eccleſia cum multa charitate, & pænitentium fructu Confeſſiones exceperat, ne ſe examini, quod ab Ordinario communiter exigitur, ſubjiciat, ab audiendis confeſſionibus omnino ſe abdicat.

Qu. An peccet?

CAS. III. Pudentiana pia mulier petit a Capellano, ut Miſſam faciet pro Infantulo ſuo, qui ante uſum rationis deceſſit.

Q. An poſſit Capellanus Mulieri petenti morem gerere?

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. Cleonius moriturus Clotildi Uxori ſuæ committit, ut Marthæ famulæ aureos decem nomine ſuo donet. Reſpondet Uxor, ſe id relaturam Hæredibus, qui cum divites ſint, non renuent ejus voluntatem implere; cui nihil repoſuit æger, & mortuus eſt. Eo defuncto hæredes negant ſolvere, quod ea de re nihil legitime conſtet. Martha apud ſe aureos decem habet, & quærit a Confeſſario, an retinere eos ſibi in compenſationem poſſit?

Qu. Quid reſpondere debeat Confeſſarius?

CAS. II. Salluſtius Clericus, ut ſuis rebus conſuleret, anticipata pecunia vendidit Cornelio per annos quatuor fructus ſui beneficii.

Qu. I. An valida ſit venditio? II. An uterque cenſuram aliquam incurrerint?

CAS. III. Archipresbyter, cantata Miſſa in nocte Nativitatis, ut ſit mane ad alia munia expeditus, ſtatim alias duas privatæ celebrat, & in ultima etiam nonnullis piis Confratribus Euchariſtiam miniſtrat.

Qu. An hæc rite faciat?

CA-

CASUS IN DIŒCESI

Ad reſolvendum propoſiti, nunc vero reſoluti

ANNO MDCCLXXVIII.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. Beroaldum inter, & Sejam Sponſalibus contractis, incæptiſque denunciationibus, ii deteguntur in quarto gradu conſanguinei. Sed *ob ætatem puellæ* diſpenſatio ſuper impedimento obtinetur. Beroaldus quamprimum matrimonium contracturus Parocho confitetur, accuſans ſe tum ante, tum poſt diſpenſationem cum Seja copulam habuiſſe. Dubitat Parochus, an copula ante habita, licet occulta, exprimenda eſſet ad diſpenſationem obtinendam.

Qu. Quid reſolvendum?

Reſp. Dubium, prout eſt generatim propoſitum, magna animorum contentione a DD. diſputatur. Celebris Vincentius de Juſtis, qui *de Diſpenſationibus Matrimonialibus* aureum edidit volumen, negativam ſententiam ſtatuit, ac tuetur, eo quod nullo jure, nullaque ratione præſcribitur, ut inceſtuoſa copula exprimatur; ſimulque totis viribus contrariæ ſententiæ fundamenta quatere, & convellere nititur *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 250. uſque ad 364., citans Navarrum, Vegam, Dianam, Cævallos, alioſque plures.

Verum etſi fateor, plura a Juſtis recte dici, ac diſputari; magis tamen probata nobis videtur ſententia eorum, qui ex copulæ inceſtuoſæ, non ſolum publicæ, ut Reinfeſt. *append. ad lib.* 4. *Decretal. nu.* 185. aliique concedunt, ſed etiam occultæ taciturnitate vitium in diſpenſatione agnoſcunt, ut propterea ad Sacram Pœnitentiariam pro ſanatoria recurrendum ſit. Movet me maxime Rom. Curiæ ſtylus & praxis, qui non vanæ quidem, aut falſæ præſumptioni innitur, ſed ideo prudenter invectus eſt, ut Conſanguinei & affines ex pudore inceſtus manifeſtandi, ab his exceſſibus magis deterreantur, in quos ob minus ſuſpectam vitæ conſuetudinem facilius poſſunt prolabi. Nam *ſtylus Curiæ facit jus, & eſt pro lege ſervandus, & a ſtylo Curiæ reſcripta Papæ recipiunt interpretationem*, ut loquuntur Juris DD., idemque notat de Juſtis *l. cit. n.* 19., & *cap.* 6. *n.* 21. Scio equidem ejuſmodi ſtylum, etiam Doctorum qui Romæ ſcripſerunt auctoritate negari a Clar. de Juſtis. At idem in primis concedit, etiam multos, qui Romæ ſcripſere Juris Peritiſſimi, hunc ſtylum aſſerere, & teſtari. Quibus ergo magis fidendum? Audiatur M. Paullus Leo in *Praxi ad Litt. M. Pœnit.*, qui *part.* 2. Form. *Pro Oratorib. qui nondum receptis litteris &c.* ſic ſcribit: „ Nec obſtat quidquid aſſerit Navarrus in contrarium *tit. de* „ *Conſang. & affinit. conſ.* 9. *& ſeq. lib.* 4. Quia communis Rom. Cu„ riæ praxis docet contrarium: praxis autem facit jus, ut ſuperius di„ ximus: nec de hujuſmodi praxi dubitari poteſt, quia ut teſtis ocu„ latus id aſſero, cum materias prædictas quatuordecim annorum ſpa„ tio ſedulo pertractaverim. „ Idem aſſerit Pyrrh. Corradus *Praxi Diſpenſ. Apoſtol. l.* 8. *c.* 1. Idemque nos ipſi teſtari hodie poſſumus ex

praxi Procuratorum in Rom. Curia, qui ubi res exigat, ſolent a Sacra Pœnitentiaria occultas diſpenſationes impetrare, & expedire.

Aliud argumentum, etſi iſtud pluribus verſet laudatus de Juſtis, addi poteſt. Reticentia rei, qua expreſſa Pontifex Diſpenſationem vel non concederet, vel non eodem modo, quo conceſſerat, ſubreptitiam facit Diſpenſationem, ut cum aliis docet Sanchez *de Matrim. tract. 8. diſp. 21. n. 17.* Sed expreſſo inceſtu diverſa admodum ratione diſpenſat Pontifex; nam non ſolum pro inceſtus reatu pœnitentias injungi Oratoribus mandat, ſed inſuper, & ſub majori pecuniaria compoſitione diſpenſat, & ſub conditione, ut qui Conjux fuerit alteri ſuperſtes ad aliud Matrimonium non tranſeat. Igitur inceſtuoſæ copulæ taciturnitas vitiare dicenda eſt diſpenſationem. Nec parvi præterea facienda eſt DD. auctoritas. Namque in hanc ſententiam conſentiunt permulti, ac celebres Theologi, & Canoniſtæ, quos fere uſque ad 40. recenſet idem de Juſtis *loc. cit. n. 271.*

Denique perſpicua ſunt, quæ ſcribit Benedictus XIV. *Inſtit. XX. Vol. IV.*
,, Paullo ante diximus recluſum eſſe aditum ad Pœnitentiariam illis,
,, qui *a Dataria diſpenſationem aliquam obtinuerunt, non explicantes in*
,, *ſupplici libello copulam; quæ interceſſit, aut voluntatem, & conſilium,*
,, *quod tunc habuerunt, nempe ut facilius ejuſmodi diſpenſationem aſſe-*
,, *queretur*. Equidem decertant inter ſe Scriptores, an hæc aperte ex-
,, ponenda ſint, ut conſanguinitatis, vel affinitatis impedimentum a
,, Sede Apoſtolica diſpenſetur, *Salmatic. lib. 2. tract. 9. de Matrim.*
,, *c. 14. punct. 3. num. 9. & ſeq.*; reipſa tamen nullus dubitandi lo-
,, cus ſupereſt, cum Summi Pontifices mentem ſuam ſuper hac re cla-
,, riſſime declaraverint. Nam in ſuis litteris cum diſpenſationem ali-
,, quam impertiunt, ſub pœna *ſubreptionis*, vel *obreptionis* indicant,
,, ut non modo copula explicetur, ſed etiam quo conſilio, ac volun-
,, tate inita fuerit. Id autem ſapienter conſtituerunt, ut graviſſimum
,, crimen inceſtus longe a conſanguinibus arceretur. ,, Equidem nunc temporis in Diſpenſationibus, ob expreſſam copulam, cavetur *quod ſub ſpe facilius habendæ diſpenſationis, hujuſmodi inceſtus non commiſerint*; at in aliis tamen non apponitur clauſula, *dummodo copula non interceſſerit*, uti etiam de ſua ætate teſtatur Pyrr. Corrad. *l. cit. c. 2. n. 20.* Sed id in more prudenter poſitum eſt, ne litterarum Apoſtol. Executores cum mendacii & perjurii periculo Oratores de copula interrogent, ſed eorum rubori omnino parcant, cum aditum ad Sacram Pœnitentiariam in ejuſmodi caſibus apertum habeant. En autem, quæ Benedictus, tunc Proſper Card. Lambertinus in *cit. Inſtit.* ex Conſtit. Innoc. XII. afferat: *Quod ſi Oratores, qui obtinuerint a noſtra Dataria diſpenſationem ſuper gradu prohibito &c. tacita copula inter eos ſecuta, quam ſine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujuſmodi taciturnitatis petant diſpenſationem pro Matrimonio contrahendo, ſeu revalidatione Matrimonii contracti, poſſit idem Major Pœnitentiarius, ſi copula ſit adhuc ſecreta, in foro conſcientiæ tantum concedere, facta, quando agitur de primo, vel ſecundo tantum gradu, compoſitione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam tranſmittendorum, ad effectum, ut inconcuſſi moris eſt, erogandi in eleemoſynas; niſi prior gratia expedita fuiſſet in forma pauperum, quo caſu etiam hæc gratia abſque ulla compoſitione ſimiliter expediatur.*

Idem vere Benedictus ad Sum. Pontificatus Apicem evectus tantum ab-

fuit,

fuit, ut ab expoſita ſententia recederet, quin potius eadem omnino, quæ Innocentius, iiſdemque verbis decreverit, & indulſerit Conſtit. *Paſtor Bonus* §. 41. ed an. 1744.

CAS. II. Facta hypotheſi, quod inceſtuoſa copula pro diſpenſatione exprimenda ſit:

Qu. I. An in caſu, quia ſubticita eſt, ſit ad Sacram Pœnitentiariam recurrendum pro ſanatoria? II. An quidquam obſtet diſpenſationi copula poſt diſpenſationem commiſſa?

Reſp. Ad I. Negative. Communis enim, & certa ſententia eſt, nec copulam eſſe in precibus exprimendam, nec aliam diſpenſationem pretendam eſſe a Sacra Pœnitentiaria, ſi Oratores mutuam inter ſe affinitatem, vel conſanguinitatem antea cognitam, perſpectamque non habuerunt, ut loquitur Benedictus XIV. *cit. ſuperius Inſtit.* Et ratio eſt, quia tunc inceſtus *non formalis*, ſed tantum *materialis* habetur, Garcias *de Beneſ. part.* 8. *c.* 3. *n.* 106., Theſaurus, de Juſtis, & alii communiter. Atqui in noſtro caſu Beroaldus, & Seja cum ſcelus admiſerunt, mutuam inter ſe conſanguinitatem ignorabant, quæ nonniſi cæptis denunciationibus detecta, & cognita eſt. Ergo.

Ad II. Vel Diſpenſatio a Pontifice obtenta etiam ab Ordinario executioni demandata eſt, vel non. Si primum; nihil quidquam ea copula officit diſpenſationi, propterea quod inceſtuoſa non ſit. Nam, ut advertit Pyrr. Corradus *lib.* 8. *c.* 9. *n.* 43. *&* 44., non alia de cauſa acceſſus ad Conſanguineam uſque ad quartum gradum eſt inceſtus, niſi quia Eccleſia taliter conjunctos impedit matrimonium contrahere, contractumque dirimit. Unde a Cajetano in *Summa*, & ab aliis Inceſtus definitur *copula inter conſanguineos, vel affines abſque diſpenſatione Matrimonii*. Sed in caſu habetur diſpenſatio. Ergo ſicuti ſublatum eſt, impedimentum, ita & ratio inceſtuoſi criminis. At ſublatum eſt, inquis, impedimentum ad matrimonium ineundum. Sed quid ideo? Jure antiquo tam Conſanguinitas, quam Affinitas matrimonium dirimebant uſque ad ſeptimum gradum, cap. *Ad Sedem* 35. *q.* 5. & cap. *Nullum* 35. *q.* 3. An vero, quia jure novo Innoc. III. in Con. Lateran. cap. *Non debet*, *de Conſang. & Affinit.* & Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 2. ad quartum gradum contraxere, diſpenſando in ceteris ad effectum quidem ineundi matrimonii, inceſtuoſi erunt dicendi, qui in his gradibus conjuncti illicite copulentur? Minime ſane; & quidem quia omne impedimentum in gradibus iſtis ſublatum eſt. Ergo a pari. Neque putes cum Major. & Gallego *De Cognat. Spir. c.* 24. *n.* 18. diſtinguendum eſſe inter legem communem, & privilegium ſpeciale Diſpenſationis, ut contendas in priori quidem caſu ceſſare in copula rationem inceſtus, non item in ſecundo. Namque hujus diſtinctionis nulla ſuppetit ratio; & impedimentum ab Eccleſia conſtitutum, per Eccleſiam perinde tollitur generali lege, ac ſpeciali privilegio, ut notat Sanchez *de Matrim. l.* 7. *diſp.* 67. *n.* 9.

Si vero nondum ab Ordinario executa eſt diſpenſatio, dico quod ſicuti nondum ſublatum eſt impedimentum, ita copula interim habita inceſtuoſa ſit, & obſtans Matrimonii validitati; ac proinde recurrendum, juxta ea, quæ ad Caſ. I. reſpondendo diſſeruimus. Sed rem denique totam dirimunt duæ Declaratione S. Congr. Conc. relatæ a Garcia *de Beneſ. part.* 8. *c.* 3., Pyrr. Corrado *l.* 8. *c.* 1. *n.* 42., Barboſa, Reinfeſt., aliique, quarum altera, ad rem noſtram clarior, eſt hujuſmodi.

modi. *Congregatio Cardinalium Concil. cenſuit, Diſpenſationem reddi nullam ex copula præcedente Diſpenſationem, ſi de ea non fuerit facta mentio in ſupplicatione: Copulam vero ſupervenientem poſt Diſpenſationem ab Ordinario factam non impedire Matrimonii validitatem*. Qua quidem Declaratione, itemque binis aliis, quas refert idem Corrad. *loc. cit. num.* 37. *&* 38., poteris etiam prioris Caſus reſolutionem, quidquid regerat Doctiſſimus de Juſtis, aptiſſime confirmare.

CAS. III. Thomas ab ingreſſu Eccleſiæ ob Paſchalis præcepti violationem interdictus Eccleſiam ingreditur, ut in eadem tantum oret; quem obſervans Parochus jubet expelli.

Qu. An jure?

Reſp. Cum Bened. XIV. *Inſtit. XIV. Vol. III.* quæſtionis hujus nullum de ea judicium ferens, meminerit, ſatius cuiquam forte videri poſſet, ab omni pariter judicio nobis eſſe abſtinendum. Sed ille rem obiter attingit, cumque eam ſibi diſputandam non ſuſceperit, integrum potius nobis eſſe voluit, ut in eandem diligentius inquireremus. Quod ut perficiam, latius explicanda res eſt. In primis autem cum eximio Suarez *De Cenſ. diſp.* 35. *ſect.* 4. diſtinguendum videtur *Interdictum generatim ſumptum* ab Interdicto, quo *Ingreſſus in Eccleſiam* ſpeciatim prohibetur. Prius illud ex Cap. *Non eſt vobis*, *De Sponſal.*, & Cap. *Quod in te*, *De Pœnitent. & Remiſſ.* definitur *Cenſura Eccleſiaſtica, prohibens ſimpliciter, & per ſe uſum quorumdem divinorum Fidelibus communem*. Et diſtinguitur *in locale*, *Perſonale*, *& mixtum*; *in generale*, *& ſpeciale &c.*, ut notum eſt. Effectus pariter tres communiter recenſentur. I. Privatio activa, & paſſiva quorundam Sacramentorum. II. Privatio activa & paſſiva divinorum officiorum. III. Privatio Eccleſiaſticæ Sepulturæ. Qui omnes, & ſinguli effectus intelliguntur per *Interdictum* generatim latum *a divinis*, & clare colliguntur ex cap. *Ex reſcripto*, *De Jurejurando*, tum ex cap. *Si Civitas*, cap. *Si ſententia*, cap. *Alma mater*, *De Sent. Excom. in 6.* Vulgo addi ſolet quartus effectus, ideſt prohibitio ab ingreſſu Eccleſiæ. At recte negat *loc. cit.* Suareſius contra Burgaſium *de Irregularit. part.* 6. *n.* 21. Nam primo, eadem eſt ratio Interdicti tum localis, cum perſonalis ex relatis capp. *Si Civitas*, & *Si Sententia*. Sed interdicta Eccleſia non ideo prohibetur ſimplex ingreſſus in illam. Ergo neque Perſona interdicta prohibetur ingredi ſimpliciter in Eccleſiam. Deinde ex D. Tho. *in* 4. *d.* 18. *q.* 6. *art.* 1. ceteriſque communiter Theologis, & Canoniſtis licitum eſt excommunicatis ingredi Templa, & in eis privatim orare. Ergo a fortiori licebit interdicto. Hinc putat idem Suarez, prohibitionem ab Ingreſſu Eccleſiæ eſſe ſpeciale quoddam interdictum, de quo mox dicendum eſt.

Itaque Interdictum ab Ingreſſu Eccleſiæ eſt ſpecies quædam Interdicti Perſonalis, & definiri poteſt: *Cenſura Eccleſiaſtica privans hominem uſu quorumdam divinorum in Eccleſia*. Colligitur ex cap. *Is, cui eſt*, *De Sentent. Excom.* in 6. *Is, cui eſt Eccleſiæ interdictus ingreſſus (cum ſibi per conſequens cenſeatur in ipſa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, ſi contra interdictum hujuſmodi divinis in ea ſe ingerat, in ſuo agens officio, ut prius. Talis quoque, ſi hoc interdicto durante decedat, non debet in Eccleſia, vel Cœmeterio eccleſiaſtico (niſi pœnituerit) ſepeliri*. Ex quibus facile perſpicies, hujuſmodi Interdictum cum Interdicto abſolute tali partim convenire, partimque ab eo difer-

diſferre. Convenit quidem, quia vere eſt Cenſura; namque *irregularis efficitur, ſi contra Interdictum hujuſmodi &c.*, tum etiam quia prohibet uſum quorumdam divinorum; & Eccleſiaſtica privat ſepultura. Differt vero, quia Interdictum illud Perſonale privat uſu divinorum in omni loco ex cit. Juribus. At Interdictum iſtud privat ſolum uſu ſacrorum in Eccleſia; dicitur enim eſſe interdicta divinorum celebratio *in ipſa* Eccleſia, & fieri irregularis, ſi contra Interdictum hujuſmodi divinis *in ea* ſe ingerat.

Jamvero Doctiſs. Suarez cum nonnullis, quos citat *ibid. n. 2.* putat per hujuſmodi ſpeciale Interdictum, etiam cum divina non celebrantur, prohiberi ingreſſum in Eccleſiam, ibique privatim orare. Et præcipuum, quo movetur, argumentum deſumit ex C. *Latorem* 33. *q.* 2., ubi cuidam Matricidæ præcipitur, *ut per annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ orans, & deprecans Deum perſeveret*. Nam, inquit, ſi ante fores Eccleſiæ privatim is jubetur orare; Ergo privatim orare intra Eccleſiam prohibetur.

Hinc cum in caſu Thomas ob violatum præceptum paſchale ſit ſpecialiter interdictus ab Eccleſiæ ingreſſu ex cap. *Omnis utriuſque ſexus*, ubi legitur: *alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat Sepultura*, non erit ei licitum in Eccleſia privatim orare.

Verum opinor, neque hoc Interdicto prohiberi ingreſſum in Eccleſiam, ut ibi privatim oret, ſed tunc ſolum, cum celebrantur divina. Id quod Interdicti naturæ, & Eccleſiæ intentioni magis conſentaneum eſt. Quæro enim, an dum interdicitur ingreſſus in Templum, prohibeatur ingreſſus *materialis, & phyſicus*, an vero *formalis*, ſeu ſecundum ſacram ejus inſtitutionem & uſum? Non certe materialis; namque, ut recte Innoc. in Cap. *Sacro* obſervat, idemque Suarez adnotat *n.* 24., non prohibetur certe ingreſſus in Templum ad loquendum, ad diſputandum, aliudve ſimile, cum in his non adhibeatur Templum, niſi ut locus indifferens & communis. Itaque Jura Eccleſiæ ingreſſum prohibentia intelliguntur de Eccleſia, quoad ſacrum ejus uſum, quatenus nempe ibi ſacra ſolemniter peraguntur, & populus ad ea audienda congregatur. At, inquit Suarez, in privata oratione aliquid ſacri uſus habetur. Reponimus, aliquid etiam ſacri uſus eſſe in concione audienda. An propterea ab audienda concione rejicitur interdictus? An ei interdicitur, ne aſſtantis numinis auxilium & ante, & poſt concionem devotus imploret? Imo etiam. *Niſi enim intus ſit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat*, inquit Gregorius Magn. *Hom.* 30. *in Evang.* Itaque etſi in privata Oratione aliquid ſit ſacri, non ille tamen eſt Templi ſacer uſus, qui potiſſime ab Eccleſia intenditur, & interdicitur. Quod libentius conceſſeris, ſi in animum revoces, *favores* quidem *ampliari*, ſed *odia reſtringi* oportere, *reg.* 15. *Jur. in* 6.

Ad Can. *Latorem*, reſpondemus, rectiſſime intelligi, ut pœnitens ille jubeatur ante fores Eccleſiæ orare, non quocumque tempore, ſed dum a Fidelibus divina intra Eccleſiam celebrantur. Additur enim, quod *completo anni tempore* poſſit *Eccleſiam introire*, & *ſtare inter audientes*. Is ergo ingreſſus illi prohibetur, quo inter audientes divinis interſit, juxta C. *Præſenti* 5. *quæſt.* 2. *Interdicta Eccleſiam intrandi licentia, & omnia divina officia audiendi*. Quæ duo, *Eccleſiam intrare*, & *officia audire*, non diviſim, ut vult Suarez, ſed conjunctim eſſe

acci-

accipienda ſatis per ſe, & ex dictis patet. Præterea Can. illum *Latorem* recitat *loc. cit.* Benedictus XIV., neque ideo putat, ex eodem dirimi quæſtionem, ut omnis ingreſſus in Eccleſiam negetur homini interdicto. Denique cum a Sacris Juribus præcipitur, ut Oſtiari ab Eccleſia indignos ejiciant, quo tempore id proprie facere jubentur? Scilicet, cum divina celebrantur, ut patet ex C. 1. *diſ.* 21. & 25. & ex C. *Epiſcopus* 59. *de Conſecr.*, idemque notat Suarez *diſp.* 12. *de Excom. ſect.* 3. *n.* 8. Hanc ſententiam docuit Innoc. in Cap. *Sacro de Sent. Excom.*, Covaruv. in Cap. *Alma Mater*, Sayrus, Avila, Palaus, aliique; imo ipſe Suarez non negat tandem, eſſe ipſam communiorem, & in praxi probabiliter, & ſecure ſervari. Itaque etſi *ad Eccleſiæ Miniſtros ſpectat ex proprio officio expellere indignos a participatione divinorum, ac procurare, ut Cenſuræ Eccleſiaſticæ obſerventur*, ut ex Suarez ibid, loquitur Bened. XIV., tamen Parochus tuto poteſt Thomæ interdicto permittere, ut in Eccleſia extra tempus divinorum privatim orans *adeat cum fiducia ad Thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequatur, & gratiam inveniat in auxilio opportuno*. Hæb. 4. 16.

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. Maurilius monet Cajum, ut promptos ſibi aureos mille detineat, ſoluturus intereſſe. Labitur annus, nec Maurilius aureos petit; & Cajus intereſſe exigit.

Qu. An licite?

Reſp. Quamvis vulgo vocabulo *intereſſe*, ſive *ejus quod intereſt*, intelligatur tum damnum emergens, cum lucrum ceſſans; tamen apud Juriſconſultos, ut notat Gerard. Noodt *lib.* 1. *de Fœn. c.* 3., nomine ejus quod intereſt venit tantum emergens damnum. Lucrum vero ceſſans dicitur *id quod intercipitur*. Sed de vocabulis non diſputemus, quæ jam promiſcue accipiuntur. Jamvero titulo emergentis damni, poſſe aliquid in mutuo exigi ſupra ſortem omnes DD. tradunt cum D. Tho. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 1. At idem licere ratione lucri ceſſantis negant plures præſertim Juris DD., quos citat Azor. P. III. *lib.* 7. *c.* 7., & etiam ex Theologis, inter quos de Camargo, Scotus, & Durandus, contendentes id perſpicue colligi ex eodem Angelico *loc. cit.*, ubi ſubdit: *recompenſationem vero damni, quod conſideratur in hoc, quod de pecunia lucratur, non poteſt* [mutuans] *in pactum deducere*. Sed ad ſcopum non eſt quæſtionem hanc exagitare. Imo ſupponimus utrumque titulum eſſe juſtum, ubi requiſitæ in utroque conditiones obſerventur. Et D. Thomas loqui videtur de compenſatione lucri mere poſſibilis & remoti, ut notat Sylveſt. *in ſumma*. Et Doctores plerique potius in aſſignandis, explicandiſque conditionibus, quam in re ipſa per ſe ſpectata diſcrepare. Perſpicua ſunt, quæ Benedictus XIV., qui Apoſtolicis etiam Conſtitutionibus uſuras publice inſectatus eſt, docet *De Syn. Diœceſ. lib.* 10. *c.* 5. *Non enimvero negamus poſſe mutuantem, qui ſolet pecuniam ſuam negotiatione augere, aliquid percipere a mutuatario, titulo* ejus quod intereſt, *hoc eſt lucri ceſſantis, aut damni emergentis*.

Itaque difficultas, quæ obvia eſt in caſu, ex eo naſcitur, quod Cajus pecuniam ſuam numquam Maurilio mutuam dederit, nec ullum ei beneficium præſtiterit; nec propterea, quod *mutuum ſit cauſa damni*; quæ

tamen

tamen conditio ex præcipuis eſt, ut in mutuo aliquid ultra ſortem licite exigatur.

Verum inquirendum eſt, num Cajus promptos revera ad Maurilii nutum aureos mille detinuerit, & inde damnum ſeu jacturam paſſus ſit, vel non. Si non: equidem nihil exigere poteſt. Deficiente enim juſto exigendi titulo, ſi quid ultra ſortem exigeret, in uſuræ crimen laberetur, ut patet. Si vero damnum vel jacturam eſt paſſus, poterit utique exigere. Nam etſi pecunia non ſit realiter tradita, tamen ad nutum, & voluntatem Maurilii detinetur; Quare ſi ex ejus detentione damnum ſequitur, Maurilii juſſu, & voluntate ſequitur: ideoque compenſare tenetur, juxta illud, *qui occaſionem dat damni, damnum feciſſe videtur*. & ſibi imputare debet, ſi ex ea pecunia nullum ſuſceperit beneficium; Neque enim per Cajum ſtetit, quominus mutuam realiter pecuniam reciperet. Ita ex communibus, notiſque contractuum legibus; ex quibus etiam facile deduces, quid reſolvendum, ſi qua peculiaris circumſtantia in praxi caſui immiſceretur.

CAS. II. Boeria poſt adulterium cum Sergio cogitat de occidendo Viro ſuo, ut Sergio nubat. Interim Boeriæ ſervus conſcius de amoribus Heræ ſuæ, ut rem eidem gratam faciat, Virum occidit. Homicidium ratum habet Boeria, ſervum remunerans, ut Amaſio nubere poſſit.

Qu. An revera nubere queat?

Reſp. poſſe. Ut Boeria adultera, propter Viri ſui homicidium, criminis impedimentum incurrat, equidem oportet, ut ipſa poſitive in ejus mortem influat; nec ſufficit, ſi crimen etiam ſuo nomine perpetratum ratum habeat. Etenim ideo Jura hoc impedimentum induxerunt, ne Conjuges ad machinandam ſibi invicem mortem ea libidine moverentur, ut poſſint cum Amaſiis matrimonium inire. Sed hæc ratio in ratihabitione criminis jam patrati locum non habet; Ergo nec impedimentum. Ita communis DD. quos refert Sanchez *De Matrim. lib. 7. diſp. 78. n. 6.*

Hæc ratio pluris quidem facienda eſt, quia, ut ajunt, *finis legis eſt anima legis*. Sed potior mihi ea eſt, quæ ex verbis ipſius legis eruitur. Nam Jura ita loquuntur, ut impedimentum ponant, cum Conjux adulter in alterius mortem vere influxerit. Sic Cap. *Super hoc, de eo qui duxit. Si adultera eſt in mortem Uxoris aliquid machinata*. Sic Cap. *Significaſti eod. tit. Niſi alter eorum in mortem Uxoris defunctæ fuerit machinatus*. Sic Can. *Si quis vivente 3. q. 1. Niſi forte Vir, aut Mulier Virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur*. Jamvero, quid machinatio importat? quidve, ut occidiſſe notetur? Nempe actionem vel phiſicam, vel moralem, quæ in occiſionem influat. Sed hujuſmodi non eſt ratihabitio. Ergo per ratihabitionem non contrahitur criminis impedimentum.

At enim eſt Reg. x. Jur. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*. Et revera ex cap. *Cum quis, de Sent. Excom. in 6.* decernitur excommunicationem Canonis incurri ab eo, qui ratam habuerit Clerici percuſſionem ſuo nominem factam. Ergo a pari.

Verum ratihabitio retrotrahi dicitur, & mandato comparari non per ſe, ſed ſola fictione Juris. Ut autem fictio juris obtineat, ejuſque vi ratihabitio mandato comparetur, duo requiruntur. I. Ut perſona ratum habens eſſet habilis ad actum ſeu mandatum, quo tempore mandatum eſt, II. ut actus adhuc ponibilis ſit, cum Perſona illum ratum habet.

Jam

Digitized by Google

Jamvero quo tempore Boeria ratam habuit Viri occiſionem, antecedenter executam, non amplius ponibilis eſt occiſio, Ergo neque ejus ratihabitio retrotrahitur, nec mandato comparatur, Sanchez *loc. cit.* Roſign. *prænct.* 13. *n.* 8. & alii. Sed melius, ac validius dixerim, ratihabitionem mandato quidem comparari in iis, quæ a voluntate mandantis, ſeu ratum gabentis pendent, ut ſunt contractus, & gratiæ, & beneficia, itemque quoad culpam, quæ in criminum approbatione committitur; at non item obtinere quoad pœnas ab alio infligendas, aut jam decretas, niſi in caſibus a Jure expreſſis, ut bene probat Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 3. *num.* 24. *&c.*

Hinc ſponte fluit ad ratihabentem Clerici percuſſionem diſparitas. Scilicet excommunicatio Can. *Si quis* incurritur a ratihabenter Clerici percuſſionem ſuo nomine factam, quia cit. Cap. *Cum quis* expreſſe ad ratihabentem extenditur, ſicut Cap. *Fœlicis*, *de Pœnit. in 6.* pœnæ contra percuſſores Cardinalium expreſſe extenduntur ad eos, qui *vel factum ratum habuerint*, itemque pœnæ contra percuſſorem Epiſcopi *Clem. I. de Pœnit.* Atqui impedimentum criminis ob Conjugis homicidum nullo jure extenditur ad ratihabentem: Ergo. Quid plura? Gloſſa in d. C. *Si quis vivente*, v. *occidiſſe*, perſpecte habet. *Sed nec impeditur, qui mortem Viri ratam habet. dum tamen non præcepit; licet alias in maleficiis retrotrahatur ratihabitio*. Poterit ergo Boeria Sergio nubere.

CAS. III. Cum Epiſcopus in Paſtorali Viſitatione Confirmationis Sacramentum conferret, Petronius eadem die pueros plures in Confirmatione ſuſcepit.

Qu. An licite?

Reſp. In Pontificali Rom. *p.* 1. *de Confirmandis* hæc expreſſe habentur: *Nullus præſentet niſi unum, aut duos, non plures, niſi aliter neceſſitas ſuadeat, arbitrio Epiſcopi*. Ex quibus intelligis: I. Generatim non licere plures, quam duos in Confirmatione eadem die ſuſcipere: II. Licere autem, ſi id neceſſitas poſtulet: III. Accedere tamen debere Epiſcopi confirmantis licentiam. Cohærent hæc cum publicis Epiſcoporum Edictis de Confirmandis. In Edicto Rom. *Di più neſſuno tengi a Creſima, ſe non uno, ò due, ſenza eſpreſſa noſtra licenza*. In Edicto Bononien. *Sia un ſol Padrino . . . . non tenga nel medeſimo giorno più di due, ſenza noſtra licenza*. Idemque in aliis aliorum Ordinariorum cavetur. En tibi pluſquam perſpicuam Caſus reſolutionem.

MENSE MARTIO.

CAS. I. Felinus iter longum aggreſſurus aureos mille apud Lælium deponit, ipſi facultatem faciens iiſdem utendi, ſi ſibi opus fuerit. Lælius Felino præſente acceptos nummos collocat in loco tuto. Data opportunitate ex iis tercentos dat mutuos amico, & repetitos reponit, ſed a reliquis diſtinctos. Accidit, ut fures domum invadentes tercentos hos aureos furentur.

Qu. Cui furati ſint?

Ut clarius reſpondeam duo in anteceſſum ſunt conſtituenda I. Pecuniam, ſi tantum ſit depoſita, ubi fortuito caſu pereat, perire deponenti; cum enim res pereat Domino, & Dominus Depoſiti ſit ipſe Deponens; Deponenti non Depoſitario perire debet. II. Si depoſitio pecuniæ ſit mutuum

tuum, cum ex mutuo dominium in Mutuatarium transferatur, pecuniam Mutuatario perire non Mutuanti. Hinc tota difficultas in caſu eſſe videtur, ut definiatur an tercenti illi aurei debeant ſub ratione mutui, an vero Depoſiti ſpectari.

Proclus olim, & Marcellus in l. *Certi Conditio §. Depoſiti ff. de Reb. Credit.*, itemque Ulpianus in l. *Quod ſi ab initio, eod. tit.* Francus, Ripa, aliique celebres ICti., quos citat Navarrus in *Manual. c. 17. n. 180.* ſenſere, ubi data ſit libera facultas utendi pecunia depoſita, Depoſitum ſtatim tranſire in mutuum, etiam ante omnem ejus uſum. Sub his Judicibus acta eſſet alea pro Lælio, nec ſolum quoad tercentos, ſed etiam quoad reliquos nummos, ſi caſu fortuito omnes periiſſent.

At communis non modo Theologorum, ſed etiam Juriſprudentum ſententia eſt, tunc Depoſitum cum utendi facultate factum in mutuum tranſire, cum Depoſitarius eodem uti cæperit. Idque probant ex l. *Si Saculum*, & *§. Si permiſſu meo ff. Depoſiti*, ex l. *Die deſponſaliorum §. Qui pecuniam ff. Depoſiti*, aliiſque juribus, in quibus clare exprimitur fieri poſſe facultatem utendi depoſito, quin ideo Depoſiti indoles & natura mutetur, cum adhuc integrum maneat Deponenti depoſitum repetere, quandocumque voluerit; ſed tantum per eam facultatem aliquid addi, quod eſt mutui proprium.

At Lælius 300. illis nummis uſus eſt. Ergo cum in mutuum ideo tranſiverint, eidem Lælio periiſſe dicendi ſunt.

Reſp. Si res ad Fori externi Judicium referatur, non dubito, quin eos Lælio periiſſe judicetur. Nam ex uſu cæpto conſtat quidem eos in mutuum tranſiiſſe: ſed æque non conſtat, pecuniam iſtam iterum factam eſſe Depoſitum, propterea quod in loco Depoſiti iterum repoſita non fuerit. Atque ideo præſumptio ſtat contra Lælium, quod adhuc ſit ſub mutuo pecunia, eidemque perierit. Idem etiam ſentiunt nonnulli Doctores in foro conſcientiæ, ſaltem in caſu, in quo locus Depoſiti fuerit a deponente electus, ſeu approbatus. Nam cum Lælius non ſervaverit Depoſitum ad mentem Deponentis, in culpa eſt, quod alibi pecuniam depoſuerit, ibique furto fuerit ſurrepta.

Hæc non equidem improbaverim omnino. Sed in foro conſcientiæ non præſumptio attendenda eſt, ſed res, & animus diligentius inquirenda. Ideoque inquirerem. An Lælius tercentos nummos in loco æque tuto locaverit, ibique vere depoſuerit animo conſtituendi depoſitum nomine ſui Deponentis, ut prius; vel non. Si non; evidens eſt, aut ejus culpa, aut ejus nomine, ac proinde ipſi, & non Deponenti eoſdem periiſſe. Si vero prius illud de loco, & animo in conſcientiæ foro conſtiterit, dico nummos Felino deponenti fuiſſe furatos, nec Lælium teneri ad damnum. Si enim teneretur, vel ex culpa, & dolo teneretur, vel ex dominio ejus pecuniæ. At neutro ex capite. Non ex culpa & dolo; nam in loco nummos locavit æque tuto, atque fuerit locus ſub oculis Deponentis determinatus. Non ratione ipſius pecuniæ; nam depoſita iterum eſt nomine Deponentis; unde ſublata mutui indole, iterum naturam induit, & ſubſtantiam Depoſiti. Depoſiti Dominus eſt ipſe Deponens. Ergo Deponenti Felino periiſſe dicendum eſt. Moron. *Reſp. 54. n. 50.*

CAS. II. Silvius Parochus longiori ægritudine decumbens, nunquam in Feſtis fecit per alium offerre pro Populo; eo quod putet onus offerendi pro Populo eſſe onus perſonale. Sylvinus vero putans eſſe onus rea-

 le,

le pingues aliunde habens in Feſtis eleemoſynas, ſemper alteri committit, ut Miſſam faciat pro Populo.

Qu. Quis eorum rectius judicet, & agat?

Reſp. Neutrum recte opinari. Namque onus offerendi Dominicis, ac Feſtis diebus Sacrificium pro Populo mixtum omnino videtur, primario quidem perſonale, ſecundario vero reale. Colligitur, ni fallor, perſpicue tum ex Trident. Concilio, cum ex celebri Encyclica Benedicti XIV. *Cum ſemper*, 19. *Auguſti* 1744. Siquidem Trident. *Seſſ.* 23. *c.* 1. hæc habet: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere &c.* In quibus ſane verbis palam eſt, onus offerendi pro Populo ita, & velut ex eodem præcepto divino deſcendens animarum Paſtoribus commemorari, atque onus prædicandi, & adminiſtrandi Sacramenta. Sed hæc munia ita per ſe exercere tenentur Parochi, ut ſi impediantur, per alios teneantur præſtare, ut idem Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 4. de Prædicationis munere, & *Seſſ.* 21. *c.* 4. de Sacramentorum adminiſtratione monet. Ergo idem de Sacrifici oblatione differendum eſt. Atque hanc eſſe Tridentini mentem ſatis declaraſſe videtur S. Congregatio ejuſdem Tridentini Interpres iis decretis, quæ Benedictus XIV. latius commemorat *Inſtit.* x. *vol.* 1.

In laudata vero Encyclica *Cum ſemper* ſingula aperte confirmavit Pontifex Optimus. In primis enim in recitatis verbis Tridentini *Seſſ.* 23. *c.* 1. ejuſmodi onus ex Divino præcepto velut deſcendens agnoſcit, atque ut inanes, frivolaſque rejiciens interpretationes eorum, *qui memoratam a S. Synodo obligationem de medio tollere, aut extenuare contenderunt*, eamdem animarum Paſtoribus repetit, & confirmat.

Dum vero ejuſmodi obligationem ad dies feſtos reſtringi decernit, in quibus tenetur Populus Miſſam audire, illud etiam ſatis innuit, ut quemadmodum debet Parochus, ſi ipſe impediatur, per alium Miſſam Parochialem facere, ita & debeat per alium Sacrificium pro Populo applicare. Denique commiſerans quorumdam Parochum Miſſarum ſubſidio indigentium inopiam indulget quidem, & Epiſcopis committit, ut cum ipſis diſpenſent ad hoc, ut in diebus feſtis ſi a pio aliquo offerente eleemoſynæ fuerint oblatæ, eaſdem recipere valeant, & pro ipſo Sacrificium applicare; ſed *dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent, & ea adjecta conditione, ut tot Miſſas intra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus feſtis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.*

Vides, quam ſevere hanc legem, quam adhuc Cardinalis Archiepiſcopus noſter docuit, repetat, & innovet Pontifex Benedictus; ut vel in ipſa diferenda oneris ſatisfactione Epiſcopi judicium interpoſitum velit. Unde ii improbandi, qui ſuo ſe regunt arbitrio. Sed a noſtris Parochis id religioſe obſervari teſtes ipſi ſumus, qui occaſione Concurſus, aut Præſentationis ad tenuem aliquam Eccleſiam, electum Parochum ſupplicem audivimus diſpenſationem illam ab Eminentiſſimo Præſule petere, & pro neceſſitate impetrare.

Quid vero, ſi inops Parochus longa infirmitate detentus vix habeat, unde vitæ ſuæ conſulere poſſit? Celebris Clericatus *De Benef. Diſc.* 29. ait, reſolvi objectionem „ negando hanc paupertatem, quia omnis Parochus

„ rochus de Jure habet ſuam congruam, & honeſtam ſuſtentationem; „ quæ ſi deſit, illam petere poteſt vel ab Epiſcopo, vel a Populo; „ & quantumvis tenues ſint redditus Parochialis beneficii; ipſe Parochus „ plus habebit ad ſui ſuſtentationem, quam alii ſimplices Sacerdotes. " Ceterum ſi contingat, dico, quod ſicuti Pontifex Epiſcopo committit, ut de Parochorum indigentia judicet, & diſpenſet in diferenda Miſſarum applicatione; ita ſe ad eundem remittat æger Parochus, ut ipſe æquo judicio, & providentia tum inopiæ ſuæ, tum ſpirituali populi bono conſulere dignetur.

CAS. III. Patritius, qui fuit Pippino in Baptiſmate Patrinus; cupit eumdem etiam ſuſcipere in Confirmatione; & a Parocho, utrum ſibi liceat, ſciſcitatur.

Qu. Quid reſpondebit Parochus?

Reſpondebit Parochus negative. Id enim habet in Edicto ſuperius citato *ad Caſ. III. Febr.*; *Sia un ſol Padrino . . . . . e chi è ſtato d' uno al Batteſimo, non deve tenerlo alla Creſima*. Eruitur vero ex C. *In Cathechiſmo* 100. *de Conſecr. diſt.* 4., ubi etſi neceſſitate cogente aliquando licere dicatur, tamen *& Eccleſiæ Rom. conſuetudine*, & Leonis Papæ decreto fieri non debere ſtatuitur: quemadmodum etiam in *Inſtruct. Rom.* ſuperius citata: *I Padrini non poſſono eſſere . . . . .*, *nè quelli che ſono ſtati Compari, o Commari dei medeſimi conſermati nel Sacramento del Batteſimo, ſecondo l' antichiſſima conſuetudine di queſta S. Romana Chieſa*.

MENSE APRILI.

CAS. I. Marinus muteos dedit Horatio aureos centum intra annum reſtituendos. Paullo poſt, domo ſua ruinam minante, cogitur Marinus, ejus pecuniæ defectu, cenſum inſtituere, ut domum repararet. Sub anni finem non ſolum aureos centum datos mutuo ab Horatio exigit, ſed etiam damnum, quod ſibi inde emerſit.

Qu. An licite?

Reſp. negative. Etenim ex potiſſimis conditionibus, quæ requiruntur, ut in mutuo aliquid ſupra ſortem poſſit licite exigi ratione emergentis damni, hæc eſt, ut damnum, quod eventurum eſt, mutuatario aperiatur. Is namque libere debet in compenſationem, quæ mutuo extrinſeca eſt, conſentire; cum nullus contractus ſine libero contrahentium conſenſu umquam perficiatur: Et præterea quia admonitus poſſet forte aliunde ſibi, ſuiſque rebus abſque eo compenſationis onere providere. Cum ergo Horatius non fuerit de damno illo admonitus, neque ad compenſationis onus poterit obligari. Itaque illicite illius damni compenſationem petit Marinus. Ita communis. Hinc celebris Daniel Concina *De Juſt. & Jur. lib.* 3. *Diſſ.* 3. *c.* 14. §. 2. etiam rejicit, quod ſcribit Leſſius *l.* 2. *c.* 20. *dub.* 10. *num.* 74. „ Adverte „ tamen, ſi revera ex mutuo 100. aureorum certo ſis accepturus de„ trimentum aureorum decem, non erit uſuræ peccatum, etiamſi „ *non monito mutuatario* de hoc damno paciſcaris tibi reddi 100. " Nam ſi ignorat, non conſentit, ſed in compenſationem damni, quod tibi deberet, ſi ſciviſſet, ſed in ſolutionem uſuræ, quam non tenetur ſolvere.

CAS. II. Pariſius dum anteactæ vitæ crimina in confeſſione Parocho

aperiret confitetur de copulis ante matrimonium habitantis cum duabus Sororibus Uxoris ſuæ, & a Sacra Pœnitentiaria fuiſſe his terminis diſpenſarum, ſuper impedimento primi affinitatis gradus *ob copulam habitam cum Sorore*. Hinc duplici angitur dubio I. quod copulam non expreſſerit, niſi ſemel habitam cum una, dum tamen pluries peccaverit. II. Quod de copula ſemel habita cum altera Sorore ex oblivione mentionem non fecerit.

Qu. An Pariſius debeat nihilominus de ea diſpenſatione eſſe tutos?

Reſp. Ad I. partem affirmative. Neque enim in petitione diſpenſationis neceſſe eſt multiplicem copulam exprimere habitam cum eadem Conſanguinea Sponſæ. Et ratio eſt, quia iſta affinitas, cum oriatur ex uno tantum capite, una tantum affinitas cenſetur; quæ proinde non multiplicatur per plures copulas, neque plures copulæ impedimentum augent, neque difficiliorem reddunt diſpenſationem. Confirmatur ex praxi, & ſtylo, quo ejuſmodi diſpenſationes impetrantur. Nemo enim multiplicitatem copulæ in petitione exprimit; neque Sacra Pœnitentiaria, aut Apoſt. Dataria ejuſmodi multiplicitatem unquam exquiſivit. Unum tamen juverit a Pariſio ſciſcitari: An ſcilicet omnes illas copulas habuerit & ante Matrimonium, & ante executam Diſpenſationem. Nam ſi vel unam tantum poſt executam Diſpenſationem habuiſſet, nova opus erit Diſpenſatione, cum Diſpenſatio non extendatur ad caſus poſtea exortos. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 24. *n.* 8. de Juſtis, Giribaldus, & alii communiter.

Ad II. partem vero negative. Quidquid enim ſecus docuerint DD. aliqui, quos citat Sanchez *cit. diſp. n.* 4., communis ſententia eſt, quod ſi duo contrahentes ſint duplici ejuſdem affinitatis, vel conſanguinitatis titulo conjuncti, debent de utroque in petenda diſpenſatione mentionem facere; ac propterea in caſu tutus non eſt Pariſius, qui copulam cum utraque Sponſæ ſuæ Sorore non expreſſit. Et ratio eſt, quia, ut diſſerit laudatus Sanchez *n.* 5., quamvis duplex conjunctionis gradus ſit eadem numero affinitas ex unitate ſubjecti, in quo reperitur, eſt tamen ex duplici capite, idest ex duabus perſonis, & perinde eſt, ac ſi eſſet alia conjunctio. Et certe ſicut in conſanguinitate, quæ ex duplici parte conſurgit, duplex eſt ejuſdem ſanguinis communicatio; ita in affinitate, quæ ex copulis cum duplici conſanguinea contrahitur, duplex illa ſeminum commixtio habetur, quæ duplicem pariat affinitatem. Igitur duplex erit & conſanguinitatis vinculum in primo caſu, & in primo caſu, & in altero duplex vinculum affinitatis. Atqui in Diſpenſatione, quæ datur pro ſimplici vinculo, non continetur diſpenſatio pro duplici. Ergo. Confirmatus & hæc ſententia ex ſtylo, & praxi, ut teſtantur De Juſtis, & Pyrr. Corrad. *Diſp. Apoſt. lib.* 7. *c.* 5. *n.* 84., eamque omnino vigere, & in Apoſtolica Dataria diverſas fieri compoſitiones in gradu duplici, atque fiant in ſimplici, perpetua ipſi novimus experientia. Igitur pro nova diſpenſatione erit Pariſio recurrendum.

Sed advertat tamen, eumque moneat Confeſſarius, ut in petitione non tantum exprimat affinitatis impedimentum, quod viget; ſed exponat etiam affinitatem alteram, in qua fuit diſpenſatus, juxta probabiliorem ſententiam, & ſtylum, & praxim. Scilicet, quando plura ſunt impedimenta ejuſdem rationis ſive ſpecificæ, ſive genericæ, ea non diviſim, ſed conjuncti in petitione exprimenda ſunt ne diſ-

diſpenſatio ſubreptitia ſit. Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 23. Giribald. *Tract.* 10. *de Matrim. c.* 8. *dub.* 7. De Juſtis &c.

CAS. III. Onuphrius Parochus novas Tunicellas pro Miſſa Solemni celebranda conſtrui juſſit; quas cum benedicere vellet, Capellanus contendit non eſſe benedicendas, eo quod in Rituali legatur tantum *Benedictio Sacerdotalium Indumentorum*; inter quæ certe non ſunt Tunicellæ.

Qu. An recte contendat?

Reſp. Non recte Capellanum contendere. Siquidem etiam Tunicellas, & Dalmaticas eſſe benedicendas, imo iiſdem illam ipſam competere *Benedictionem Sacerdotalium Indumentorum in genere* a Rituali Romano præſcriptam manifeſte eruitur ex verbis ejuſdem Benedictionis. Nam in Oratione prima, *Omnipotens ſempiterne Deus*, legitur: *his quoque Sacris Veſtibus Pontifices, & Sacerdotes, ſeu Levitæ tui induti*. Itemque in altera, *Deus invictæ virtutis Triumphator*, ſic exprimitur: *& hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis, & Pontificalis gloriæ Miniſtris tuis fruenda*. Itaque, non ſolum ad Sacerdotales Veſtes, ſed & ad Pontificales, & Leviticas extenditur præſcripta Benedictio. Neque obſtat titulus. Nam titulo certe præferendus eſt textus formulæ, inquit Cavaler. *tom.* 4. *c.* 11. *ad Decr.* 182., & aliunde in titulo exprimitur Benedictio Sacerdotalium Indumentorum *in genere*. Ex quo idem Cavalerius infert non oportere, ut ea formula mutetur, juxta varietatem paramenti benedicendi, neque ut exprimantur res, quæ benedicentur, ſed ea, prout jacet, bene legi poterit. *Ibid. n.* 3. & 4.

MENSE MAJO.

CAS. I. Sylvanus villicus, unicus Filius Antonii ex primis Nuptiis, portans pondus diei, & æſtus, induſtria, & labore notabiliter rem paternam auxit. Defuncto Patre vult a Fratribus ex ſecunda Uxore genitis ſeparari; & hæc contendit, paternam hæreditatem æquis portionibus inter ipſum, ſuoſque Filios, ejus fratres eſſe dividendam.

Qu. An juſte prætendat?

Reſp. Ut quæſtio clarius ſolvatur, recolenda hic ſunt, quæ de *Rerum dominio* differentes, de bonis Filiorumfamilias tradunt DD. communiter. Scilicet Filiumfamilias quatuor habere poſſe bonorum genera, quæ in Jure dicuntur *Peculium*. I. Caſtrenſe. II. Quaſi Caſtrenſe. III. Adventitium. IV. Profectitium. Prioris utriuſque habet Filiusfamilias & proprietatem, & uſumfructum. Peculii adventitii proprietatem quidem habet, ſed non uſumfructum. Profectitii demum nec uſumfructum habet, nec proprietatem, ſed utrumque ad Patrem pertinet. Ita ex diſpoſitione Juris *l. Cum oportet, C. de Bonis, qui liber.*, & Gloſſa ibi, & alibi paſſim & Jura, & Juriſperiti. Itaque difficultas omnis in eo eſt, ut definiatur, an quæ Sylvanus, bona lucratus eſt, quibuſque rem paternam auxit ad *peculium adventitium*, an potius ad *profectitium* revocanda ſint.

Nonnulli DD. apud Sylveſtrum *v. Peculium q.* 12. quæſtionem hanc celebrem: an bona a Filio ex rebus paternis acquiſita ſint profectitia? ſic diſtinguendo reſolvunt. Vel lucra ſunt tantum ex re Patris, veluti ex locatione agri, aut ex pecunia Mercatori credita; & ſic lucra ad profectitia bona revocantur. Si vero Filius labore ſuo, &

induſtria lucretur, ut agrum ipſemet excolendo, pecuniam negotiando; tunc lucra partim profectitia eſſe dicunt, quatenus ſunt ex re Patris, partim vero advertitia, quatenus labore & induſtria Filii parta ſunt. Ita Bartolus, & Angelus; imo etiam citatur Gloſſa in d. l. *Cum oportet*. Verum *Gloſſa ibi*, inquit Sylveſter, *dicit*, *quod hujuſmodi lucrum eſt profectitium*; ut reipſa cuiquam facile patet legenti v. *ex ejus ſubſtantia*.

Hinc melius diſtinguit Navarrus in *Manual*. *c*. 17. *n*. 161. & 244. ſcribens: Aut Filius particulari diligentia, & labore bona Patris adminiſtrat, & pacto inito cum Patre de ſtipendio; & ſic quod ſibi acquirit, in peculium advententium referre poteſt. At ſi ordinario labore, nec ullo inito pacto rem Patris excolit, lucrum omne erit profectitium. Judicandum eſt enim, Filium pietate & amore in Patrem id oneris ſuſcepiſſe, juxta id, quod habetur in l. *Niſſenus ff. de neg. geſt.* Idque ſentiunt non pauci apud Lugo *diſp*. 5. *n*. 42.

At communios nihilominus ſententia ſic probabilius differit. Vel Filius in domo Patris ſui commoratur, & ex paternis bonis liberaliter vivit, & alitur; Vel non. Si primum, quidquid ex bonis Patris ſua etiam induſtria, & labore lucratur, ad peculium profectitium pertinere dicendum eſt. Si vero extra paternam domum habitat, & ſua induſtria, & labore lucratur, & alitur, quidquid acquiſierit, in peculium adventitium cenſendum erit, quamvis ex rebus ejuſdem Patris lucrum proveniat. Ratio eſt, quia in primo caſu damna, pericula, expenſæ ad Patrem pertinent. Igitur æquum eſt, ut ad ipſum quoque ideſt ad peculium profectitium pertineant emolumenta. Et e contra in ſecundo caſu, cum damna, & pericula, & expenſæ ſit Filii, etiam Filii ſint lucra oportet; ideſt ad peculium adventitium referenda. Ita cum Sylveſt. *loc. cit.* Azorius *par*. 2. *lib*. 2. *c*. 23. *q*. 6., qui & alios refert, & communem ſententiam vocat.

Jamvero in noſtro caſu Sylvanus paternum agrum excolens paterna in domo habitabat, paterniſque alebatur bonis. Ergo lucra Patris erant, atque ideo in peculium profectitium referenda. Sed peculium profectitium paternæ hæreditatis eſt; & paterna hæreditas æqualiter inter filios dividenda. Ergo juſte pretendit Sylvani Noverca, ut inter filios ſuos, ejuſque ex Patre fratres æquis portionibus paterna hæreditas dividatur.

CAS. II. Laurus, & Laurentius ſub Veſperas Sabbathi Pentecoſtes cogitantes ire venationis gratia in montes diſſitos, prævident futurum, ut nequeant in proximis Feſtis Miſſam audire. Quærunt a Parocho, an poſſint nihilominus licite abire, & venari.

Qu. Parochi reſponſum?

Reſp. Caſum hunc lepide proponit doctus Tamburinus *in Decal. l*. 4. *c*. 11. §. 3. *n*. 9. de Nobilibus quibuſdam Convictoribus, quibus de hac re P. Sodalitatis Præſidem ſciſcitantibus, *reſpondit Pater ſine culpa licere*. At adoleſcens paullo ceteris religioſior huic conſilio non acquieſcens, P. Collegii Rectorem audivit, qui *nequaquam licere reſpondit*. Quid vero conſilii captum fuerit non refert Tamburinus, nec quid capiendum fuiſſet definit. Solum narrat, rem in magnam multorum litem evaſiſſe, quaſi de *Gordio* ſolvendo *nodo* ageretur, atque utrumque reſponſum probabile eſſe concludit. Sed Georgius Gobat *tom*. 1. *tract*. 5. *ſect*. 2. *n*. 449. tota exſcripta Tamburini narratione ſubdit: „ ego

tamen

„ tamen pro probabiliori habeo reſponſum Præſidis, utpote nixi & „ melioribus rationibus, & auctoritate quinque DD. ſuperius *n.* 447. „ nominatorum „. Superius autem quaſi regulam firmam ſtatuens docuit: „ Nemo obbligatur pridie feſti non ponere impedimentum ſacri „ poſtidrie audiendi „. Et adhuc paullo ſuperius *n.* 425. poſito caſu hominis ſic ſe accuſantis: *Pridie feſti ita læſi nimio potu valetudinem, ut nequirem altero die ædem ſacram ſubire, hancque impotentiam orituram prævidi*: „ tametſi peræzre ſuſcipio patrocinium Lurconum, ta„ men illum excuſo a mortali, inquantum præciſe ponit impedimentum „ ſacri de jure audiendi ſequenti die „. Et laudat ibidem Beccanum, qui Clericum „ illum excuſat, qui pari intemperantia ſe ineptum red„ dat ad dicendum ſequenti die canonicum officium „. Hæc tamen retuliſſe, ut puto, refelliſſe eſt.

Itaque in caſu Parochus Lauro, & Laurentio reſpondebit, non licere. Atque ut tota paucis attingatur quæſtio de impedimentis præceptorum obſervationi ponendis, plura ſpectanda eſſe vult Sanchez *lib.* 1 *in Decal. c.* 15., nempe I. vis, & rigor præcepti: II. neceſſitas, vel utilitas impedimenti: III. an impedit per ſe, vel per accidens: IV. an proxime, vel remote. Sed ad rem noſtram ceteris miſſis, poſtrema tantum diſtinctio de tempore proximo, vel remoto ſupereſt conſideranda. Jamvero certum eſt, non licere impedimentum libere ponere tempore proximo obſervationi præcepti. Id Tamburinus ipſe *loc. cit. n.* 7. perſpecte aſſeruit ſcribens „ non poſſe quempiam impedimentum „ ponere eodem die feſto, vel *feſti proximo*; quo poſito non valeat „ intereſſe ſacro „; quod etiam firmius de Sacerdote habente onus celebrandi docuerat *De Sacrif. Miſ. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 2. Et jure quidem. Nam cum præceptum urget, tenetur quiſquis impedimenta tollere ejuſdem obſervationi per ſe obſtantia. Qui enim obligatur ad finem, obligatur ad media per ſe proxime neceſſaria ad finem conſequendum. Ergo multo magis tenebitur impedimenta non ponere, quibus ab ejus obſervatione prohibeatur. Et certe ſi ponere liceret, facile omnes poſſent in ea ſe conjicere impedimenta, quibus ab onere audiendi Miſſam, vel jejunia ſervandi, & hujuſmodi ſe eximerent. Quod quam ſit rationi, & religioni adverſum nemo eſt, qui non videat.

De tempore remoto non quærit propoſitus caſus, tamen a ratione, & pietate alienum mihi videtur, quod cum Tamburino ſcribit Patritius Sporer *tract.* 3. *in* 3. *Præcep. Decal. c.* 4. §. 2. *n.* 30. „ Certum eſt, „ poſſe quempiam tale impedimentum ponere tempore remoto a die „ feſto e. g. ante 3., vel 4. dies etiam directe eo fine, ne audire ſa„ crum teneatur „, Vid. Dan. Concinam *l.* 1. *De Eccl. Præc. diſſ.* 3. *c.* 8. *q.* 8., & La Croix *l.* 3. 1334.

CAS. III. Capellanus in Altari celebrans, in quo Euchariſtia non aſſervatur, ut devotioni piæ mulieris communionem in Miſſa petentis ſatisfaciat, partem Hoſtiæ conſecratæ eidem tradit.

Qu. An licite?

Reſp. Id licere affirmarunt cum Paludano Suarez 3. *part. diſp.* 85. *ſect.* 2., & Gavantus in *Rubr. part.* 3. *tit.* 10. *n.* 2., innixi veteri Eccleſiæ conſuetudine, quæ nulla lege abrogata eſſe videbatur; nec immerito ita ætate ſua illi ſcripſerunt. At nunc extat Decret. S. Cong. 12. *Febr.* 1679. approb. Innoc. XI., quo, veteri jam mutata conſuetudine, præſcribitur, nulli tradendas eſſe, niſi *conſuetas Euchariſtiæ formas*,

ſeu particulas. Ex quo Cavaler. *to. 4. c. 4. Decr. 2. n. 9.* infert non licere hoſtiæ partem Laico tribuere, uno excepto mortis periculo. Et confirmat ex *Rub. part. 3. tit.* 10. *n.* 3., ubi ſtatuitur: Si Sacerdos celebrans infirmetur, vel in ſyncopen incidat poſt conſecrationem; *adeo ut tamen poſſit communicare, & non adſit alia hoſtia conſecreta, Sacerdos, qui Miſſam ſupplet dividat hoſtiam, & unam partem præbeat infirmo*. Porro ſi tantum in defectu alius hoſtiæ, danda ſte in caſu pars hoſtiæ ſacrificii Sacerdoti jam ſacrificanti, quanto magis cavendum erit, ne extra caſum extremæ neceſſitatis Laico præbeatur? Itaque non licebit Capellano, ut devotioni mulieris tantum ſatisfaciat, hoſtiæ partem eidem tribuere.

MENSE JUNIO.

CAS. I. Lucas, & Lucillus in Nundinis Mantuanis centum ſaccos tritici ab eodem Mercatore ſinguli emerunt, ut Venetias negotiandi gratia navi tranſmitterent. Locatis in navis fundo centum Saccis Lucilli quaſdam alias merces, tum centum Saccos Lucæ Nauta ſuperpoſuit. Lucillus terra iter faciens ad Portum prope Ferrariam appulit, ibique Frumentum ſuum vendidit; & ne omnia ſubverterentur, Saccos centum Lucæ, qui erant in ſuperiori navis parte, utpote ejuſdem qualitatis, & quantitatis, emptori tradidit. Poſtmodum Navis Venetias pergens naufragium paſſa eſt, & frumentum periit.

Qu. An frumentum iſtud Lucæ perierit, an Lucillo?

Reſp. Caſum hunc, aut huic ſimillimum invenio penes duos magnos Doctores contrariis plane votis in praxi reſolutum. Scilicet a celebri Theologo Ludov. Molina *De Contract. diſp.* 523. *n.* 6. & ab eximio Juris Doctore Joh. Clericato *Diſcord. Foren. Civ.* 87. Clericatus quidem a Brixienſi amico conſultus reſpondit, Saccos venditori Lucillo, cujus reipſa erant, non Lucæ periiſſe. Sex rationum momenta profert, ſed quæ facile ad hanc unam maxime revocantur. Frumenti illius, quod in Navis fundo extabat, verus Dominus erat Lucillus; illud enim ipſe Mantuæ emerat, & in Navis fundo locaverat. Sed res omnis, ſi caſu pereat, Domino ſuo perit. Ergo Lucillo frumentum periit. Neque dici poteſt, factam fuiſſe permutationem, & ideo ejus frumenti dominium in Lucam fuiſſe translatum. Siquidem in omnibus contractibus, omni jure naturali, & civili neceſſarius eſt utriuſque partis conſenſus, *l. Adeo ff. de Pactis*: & quod noſtrum eſt, abſque facto noſtro a nobis auferri non debet, *l. Jus noſtrum ff. de Reg. Jur.*, ac demum, qui rem alterius accipit ſine conſenſu Domini, tenetur ad reſtitutionem. Sed Lucas rei inſcius, & abſens nullum conſenſum præſtitit, nec præſtare potuit, *l. Si & me, & Titium, ff. Si certum petatur*; ac proinde Lucillus ſine conſenſu Lucæ, Lucæ frumentum permutavit, & ſine ejus facto illud accepit. Ergo. Nec valet, ſubdit idem, quod ſi non accepiſſet, & permutaſſet, certe in Navis naufragio periiſſet. Nam res non judicatu ab eo, quod erit, ſed ab eo, quod erat, aut eſt; futuri enim eventus fortuiti, & incerti non pertinent ad juſtitiam, vel injuſtitiam actionum humanarum, quæ fiunt de præſenti. Felin. in Cap. *Cum ad eo n.* 4. *de Reſcript.* Barboſa *axiom.* 6. & Tuſchus, & alii. Hæc Clericatus.

At Molina *l. c.* Luſitanis Mercatoribus reſpondit, rem Lucæ Mercatori al-

Digitized by Google

ri abſenti periiſſe. Ratio eſt, quia Lucillus ſaccos venditos cum totidem ſuis ex præſumpta, & rationabili amici ſui voluntate permutavit, inſuum uſum convertit, & ſuo nomine vendidit. Unde quamvis non fuerit in ea permutatione actualis, & explicitus Lucæ conſenſus, adfuit tamen tacitus, & præſumptus, qui omnino ad premutationis contractum ſufficere dicendus eſt; uti etiam in donationibus, aliiſque ſimilibus ſufficere ſæpe omnes concedunt. Molinæ conſentit Card. de Lugo *diſp.* 33. *ſect.* 1. *n.* 5. ſed eidem contradicit Bonacina *De contract. diſp.* 3. *q* 16. *p.* 1. *prop.* 1. & Sporer anceps eſſe videtur, & alii aliter.

Quid ergo reſolvendum? Dico: ſi ad rigidum jus res exigatur, non dubito fore pleroſque, qui Clericati Juriſconſulti ſententiam probent. At vero ſi ad jus æquum, & rationabile in conſcientiæ foro referatur, Molinæ Theologi ſententia præferenda omnino videtur. Etenim Lucillus venditor bona fide egit, & in iis circumſtantiis conſenſus Lucæ abſentis in permutationem rei ejuſdem prorſus naturæ, quantitatis, & qualitatis prudenter a Lucillo præſumptus eſt; eumdemque Lucas certe dediſſet, ſi præſens fuiſſet rogatus; in id enim, *quod tibi non nocet, & alteri prodeſt* rationabiliter præſumeris conſentiræ. Et revera Clericatus ipſe, qui venditi frumenti pretium Lucæ adjudicat, concludit, Lucam bene acturum, ſi ex gratitudine aliquam ejus pecuniæ partem Lucillo remittat. Quod dum aſſerit, ſatis ſe noſſe fatetur, æquitatem aliquam, & rationem Lucillo favere.

CAS. II. Tiburtius ſæpe renuens Uxori ſuæ ſe commiſceri, eidem denique occaſio fuit, ut adulteraret. Quod reſciens Tiburtius ipſi impoſterum debitum negat, quod ſibi jus eſſe contendat debitum negandi.

Qu. An revera id juris habeat?

Reſp. Jus iſtud Tiburtio aſſerunt communiter Doctores innixi argumento ex Cap. *Significaſti* 4. *de Devort.*, ubi Alexand. III. jus facit Judici, ut Viro concedat divortium ab adultera Conjuge, etiamſi illa in excuſationem ſui adulterii adducat, *ſe ab ipſo injuſte dimiſſam, & eundem ſibi materiam adulterandi dediſſe*; quia, ut ait Gloſſa *ibi*, mulier *in adulterium nulla conditione debet adduci*; ſed debet *potius quælibet mala tolerare, quam malo conſentire*. Can. *Ita ne* 3. *cauſ.* 32. *q.* 5.

Excipiunt tamen, niſi Virea prava mente debitum negaſſet Uxori, ut ipſa adulteraretur; ita enim perinde eſſet, ac ſi in adulterium conſentiret; ac propterea eo jure omnino privatur Cap. *Diſcretionem*, *De eo; qui cognovit &c.* Ita Suarez *lib.* 10. *Diſp.* 5. *n.* 6. Roſignol. *Contr.* 15. *De Matrim.* 6. *Prænot.* 11. *ſect.* 9. *n.* 5. cum Cajetano, & aliis ibi allegatis.

Verum etiam putaverim, adimendum eſſe Viro jus negandi debiti adulteræ, ubi ille ſæpius, & pertinaciter negans prævidere facile potuerit Uxoris ſuæ incontinentiam. Nam non debet crimen in bonum illius cedere, qui cenſetur cauſa criminis. Sed qui crimen prævdet, & impedire non vult, cum tamen poſſit, & debeat impedire, criminis cauſa cenſetur, ut patet ex communibus doctrinis de cauſis cooperantibus ad damnum. Ergo. Id clare eruitur ex Can. *Si tu* 24. *cauſ.* 23. *q.* 2. ubi ex D. Chryſoſt. expreſſe habetur: *Si tu abſtines ſine Uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ.* Hinc D. Tho. *lect.* 2. *in* 1. *Cor.* 7. perſpecte docet: *Septem ſunt caſus, in quibus, Vir non poteſt ob cauſam fornicationis*

Digitized by Google

Uxorem dimittere..... Tertius, quando ipſe ei occaſionem fornicandi dedit, ut quia non vult reddere debitum. Idem ſenſit Emin. Toletus *Inſtruct. Sacerd. l. 7. c. 24.* inquiens: *Sunt multi caſus.... Quintus caſus ſolet addi, quando Vir dedit occaſionem Fœminæ adulterandi, quia noluit reddere debitum. Tunc ſi adulteretur Fœmina, tenetur Vir reddere debitum.*

Nec obſtat Cap. *Significaſti* ſuperius relatum. Ibi enim loquitur Pontifex de adulterio publico, immo de nota & turpiſſima vita illius Uxoris, quæ *ſobolem de alio Viro ſuſceperat*, cui certe non ſola fuit cauſa Mariti durities, ſed potiſſime ejuſdem fœminæ libido; quæ circumſtantiæ in caſu noſtro non ſupponuntur. Igitur in praxi & conſcientiæ foro non erit Viris contra conjugii officia pertinaciter peccantibus jus illud indulgendum.

CAS. III. Dorilla pia fœmina in die infra octavam Corporis Chriſti occurrente Novendio S. Antonii petit a Capellano, ut Miſſam votivam de S. Antonio celebret.

Qu. An poſſit rite celebrare?

Reſp. Negative. Patet ex duplici Decreto S. Rit. Congreg. Alterum quidem edit. 21. Jun. 1670. ſic habet: *Infra Octavam SS. Corporis Chriſti probibentur Miſſæ Votivæ quæcunque vel pro Defunctis.* Alterum vero plenius. *Ad augendam fidelium venerationem erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque cultum in toto terrarum orbe promovendum probibuit celebrari Miſſa votivas, vel pro Defunctis infra Octavam Corporis Chriſti S. R. C. 15. Septemb. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.* Caval. *To. 2. Decr. 61. & 62.*

MENSE JULIO.

CAS. I. Bertholdus convento pretio juliorum quinque emit a Piſcatore quidquid piſcium jacto ſub oculis rete eſſet capturus; & a Paſtore ovium emit pretio ſcutorum totidem quidquid agnorum foret ex toto grege ſuperiori Junio menſe naſciturum. At nihil cæpit Piſcator, nihilque ex grege eo menſe natum eſt.

Qu. An in utroque caſu debeat nec ne pactum pretium ſolvere Bertholdus?

Reſp. Bertholdus non tenetur quidem pactum pretium ſolvere paſtori, at tenetur tamen ſolvere piſcatori. Sic jura aperte definiunt *l. Nec emptio 8. ff. de contrah. empt.*, tum *l. Emptorem 12. in fin.*, & *l. Si jactum 13. de Act. Empt.* Et ratio diſcriminis eſt, quia in venditione partuum, vel fructuum emitur *res futura*, ideoque ſi nihil naſcatur, nulla eſt res nec vendita, nec empta: Unde iſta venditio quaſi conditionalis eſt, quæ niſi edito partu, vel fructu perfecta eſſe non intelligitur; quemadmodum d.l. 8. preclare dicitur: *nec emptio, nec venditio ſine re, quæ veneat, poteſt intelligi. Et tamen fructus, & partus futuri recte emuntur: ut cum editus eſſet partus, jam tunc, cum contractum eſſet negotium, venditio facta intelligatur.* At contra in venditione captus piſcium, vel avium, vel miſſilium abſolute emitur *ſpes rei*, quæ in ipſo jactu elucet, & eſt pretio æſtimabilis; unde ſive multum, ſive parum, ſive nihil capiatur, tenetur emptor pretium ſolvere: *Empio enim contrahitur, etiamſi nihil inciderit: quia ſpei emptio eſt: eod. l. 8.* Et certe ſi jactum retis ita emas, ut non *ſpem rei*, ſed *rem futuram* eme-

emere videaris, eadem erit ratio, ac de partibus, & fructibus. Velut ſi dicam: *dabo tibi julium unum pro qualibet libra piſcium*; ſi nihil capiatur, ad nihil teneor: Nam initus eſt contractus determinatæ *rei futuræ*; quæ ſi non erit, contractus non firmabitur; ideoque ad nihil tenebor. Giribald. *De Contr. tract.* 3. *c.* 2. *n.* 21. Molina, Lugo, Roſignol. &c.

CAS. II. Fælix Diaconus ſive Officium recitet, ſive Miſſam in Feſto audiat, voluntariis in diſtractionibus mente detinetur.

Qu. An ſatisfaciat?

Reſp. negative. Ut Eccleſiæ præceptis de audienda Miſſa, & Canonicis Horis recitandis ſatisfiat, attentionem eſſe aliquam neceſſariam nullus negat. Sed attentio duplex diſtinguitur; altera externa, quæ excludit occupationem exteriorem impedientem attentionem mentis; interna altera, quæ eſt animi applicatio ad ea, quæ peraguntur, aut pronuntiantur. Fuerunt, qui ad utrumque præceptum implendum externam attentionem ſufficere, nec internam ullo modo poſtulari autumarunt. Ratio potiſſima illis erat, quia Eccleſia non precipit actus internos, Sylveſt. *v. Miſſa* 2. *q.* 6., & nulla revera lege attentio interna præcipitur. Gobat *tr.* 5. *n.* 228.

Verum quid Eccleſia præcipiat ex Sacris Juribus audiatur: De Horis Canonicis Cap. *Dolentes de celebr. Miſſ.* ita jubet Innoc. III. *Diſtricte præcipientes in virtute S. Obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrant pariter, & devote*. Ubi Gloſſa, ſtudioſe, inquit, *quantum ad officium oris*; devote, *quantum ad officium cordis*. De auditione Miſſæ, Can. *Omnes Fideles* 62. , *De Conſecr. diſ.* 1. dum ſub excommunicationis pœna præſcribitur, ut integra audiatur, etiam audiendi modus innuitur; *Qui autem non perſeveraverit in oratione uſque dum Miſſa peragatur, convenit communione privari*. Et Can. *Quando* 70. explicans Pontifex Pelagius II. cur *Surſum corda* in Præfatione dicatur, inquit: *vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat.... Ideo Sacerdos &c., ut dum reſpondet plebs*: habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil ſe aliud, quam Dominum cogitare debere*. Ac demum Decretis Conc. gen. Lugdun. relatis Cap. *Decet de Immun. Eccl. in* 6. diſtincte omnino ad Divinorum celebrationem externa reverentia, & interna attentio Fidelibus ſancte præſcribitur: *Sit ad Eccleſias humilis, & devotus ingreſſus .... Attendantur in locis iiſdem intentis præcordis ſacra ſolemnia.... Ceſſent confabulationes quælibet. Sint poſtremo quæcunque alia, quæ divinum poſſunt turbare officium....., ab ipſis prorſus extranea*. En Eccleſiæ leges, & ſenſa, quæ an ſint ſatis perſpicua, fidelis quiſque animus facile judicaverit.

His accedunt rationes, quas contra Sylveſtrum profert Suarez 3. *part. diſp.* 88. *ſect.* 3. Nempe Eccleſiæ lege præcipitur auditio Miſſæ ut actus humanus moralis, & religioſus, & ad cultum Dei pertinens. Non eſt autem actus humanus, & moralis ſine mentis attentione, ut patet in eo, qui dormiret, vel attentiſſime ſtuderet legendo, ſcribendo; nec eſt actus religioſus, & ad cultum Dei pertinens ſine interna religioſa attentione ad Deum, vel ad divina. Ergo attentio aliqua interna & religioſa riquiritur. Hinc non recte Sylveſter, dum ait lege humana non præcipi actus internos. Quamvis enim actus internus forte non

poſſit

poſſit ab Eccleſia præcipi directe, & per ſe; tamen ut conjunctus exteriori, & tamquam formam illius præcipi poteſt, ut conſtat ex iis, quæ in tractatu de Legibus traduntur communiter. Imo ſubdit Suarez *l. cit.*, ſi non præciperetur interna attentio, neque externa eſſet præcepta; exterior enim attentio non præcipitur, niſi propter interiorem.

Advertendum tamen eſt internam attentionem ad Sacrificium Miſſæ triplicem diſtingui juxta ea, quæ de Oratione tradit Angelicus 2. 2. *q.* 83. *a.* 13. Prima eſt, qua quis animum applicat ad acta & verba Celebrantis, & hoc pacto Deum colere ſtudet. Altera eſt attentio ad ſenſa, & myſteria, per verba & actiones repreſentata, maxime paſſionis & mortis D. N. J. C. Tertia eſt attentio generalis, qua, durante Miſſa, Deus colitur, & laudatur.

Itaque ſi Felix Diaconus ita voluntariis cogitationibus mente diſtineatur, ut nullam in audienda Miſſa, aut divino recitando officio ex his attentionibus habeat, Eccleſiæ præceptis non ſatisfaciet. Atque ſententiam hanc demum, omiſſis vanis argutationibus, omnes ut veram, & in praxi tradendam, & ſequendam eſſe fatentur, Gobat *tract.* 5. *n.* 232. La Croix *l.* 4. *n.* 1342.

CAS. III. Fernandus Clericus a Patre ſuo ad correptionem percuſſus, tanta ira accenditur, ut ſe ipſum in brachiis, ac manibus ad ſanguinis uſque effuſionem mordeat.

Qu. An Pater percuties, & Clericus ſe mordens excommunicationem incurrant?

Reſp. ad I. cum diſtinctione. Vel Fernandus eſt Clericus in minoribus tantum vel etiam in Sacri Ordinibus conſtitutus. Si in minoribus tantum; Pater ipſum ad correctionem moderate habita ratione culpæ percutiens excommunicationem minime incurrit. Ita expreſſe habetur Cap. *Cum voluntate, de Sent. excom. Si qui vero ratione officii .... excommunicatiouis ſententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum eſt, qui aliquos de familia ſua, vel propinquos inferiorum gradum ſimili modo, ut cobibeantur a ſuis inſolentiis, & ſcientia, boniſque moribus informentur, duxerint corrigendos*. At ſi Fernandus in Sacris conſtitutus ſit, Pater in excommonicationem probabilius incurriſſe dicendus eſt. Eruitur ex eod. Cap., ubi tantum ab excommunicatione excipitur, qui paterne corripit Clericos *inferiorum graduum*: Unde Gloſſa ibi: *ſecus, ſi ſint in ſuperioribus*; & merito quidem juxta illud: *exceptio firmat regulam in contrarium*. Et aliunde nihis Clericali ſtatui indecorum videreretur, ſi Laicis Clericos etiam in Sacris corrigendi per verbera eſſet poteſtas. Hoſtienſ., Panorm., de Butrio in *d. cap.* & Palaus, Layman, & alii Theologi communins contra Sylveſtrum, Suarez, alioſque.

Ad II. Dico Fernandum, qui ſe ex ira graviter percuſſerit, in cenſuram incurriſſe, Etenim Can. *Si quis* non tam in favorem Clericorum, quam ſtatus ipſius Clericalis facitus eſt. Et certe Cap. *Contingit de Sentent. Excom.* præcipitur excommunicari Clericum, qui conſenſerit, ſe ab alio percuti: *Si quis Clericus poſt probibitionem bujuſmodi ſponte ſe ſubjecerit, excommunicetur*. Ergo non minus Canonicis cenſuræ erit ſubjectus qui ſe actu percuſſerit, Panorm. in *d. Cap.* Speler. *Deciſ.* 45. *n.* 71. Navarrus, Barboſa &c.

MEN-

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. **M**Artina pia Mulier ſolita frequenter refici Sacra Synaxi, graviter ægrotans Sacro Viatico fuit a Parocho roborata. Tribus vel quatuor diebus elapſis, eadem durante infirmitate, & periculo, petit iterum Viatico refici; cui cum indulſiſſet Parochus, reprehenditur ab Archipresbytero, quod fecerit contra ſtatutum Synodi N. Diœceſanæ *lib.* 2. *c.* 3. §. *Ægrorum ſolatium*.

Qu. An juſta fuerit reprehenſio?

Reſp. Injuſtam fuiſſe reprehenſionem. Namque Synodus Diœceſ. Bononien. *loc. cit.* non indicit Parochis, ne infirmum in eadem ægritudine iterum Viatico reficiant, niſi dies ſaltem decem a prima ſumptione interfluxerint, ut quoſdam diſputantes audivimus; ſed pie ripolens, Euchariſtiam eſſe *Ægrorum ſolatium*, & *verum afflictorum levamen*, Parochos in primis monet, poſſe eos tuto infirmum in eodem vitæ diſcrimine iterum Viatico recreare; & reſciſſis quæſtionibus, quoto id tempore liceret, præcipit, ut elapſis ſaltem a prima ſumptione diebus decem, & præſertim morbo iterum ingraveſcente non denegent Viaticum infirmo illud devote efflagitanti. En verba: *Si æget in eodem Vitæ diſcrimine diutius perſeveret, aut ſuperato per dies periculo, relabatur in morbum, poterit iterum Viatico refici, nec petenti denegetur, dummodo dies ſaltem decem interceſſerint a prima ſumptione Euchariſtiæ*.

Et hæc ſapientiſſime conſtituta apprime cohærent iis, quæ poſtmodum Benedictus XIV. de Syn. Diœc. *l.* 7. *c.* 12. *n.* 4. tradidit, ſcribens: & *poteſt*, & *interdum debet Epiſcopus conſtituere, ne Parochi renuant Sanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui etiam perſeverante eodem morbi periculo, illam ſæpius per modum Viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiunt. Nullum enim invenimus*, ſubdit P. O., *alicujus nominis Theologum, qui neget* & *licitum*, & *pium*, & *laudabile eſſe illud ſæpius repetere*. Quanta vero majori id frequentia liceat, adhuc diſputatur. Alii enim cum Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 5. decem, vel octo dies ſufficere exiſtimant. Alii cum Ludov. a S. Johanne *to.* 1. *q.* 7. *art.* 3. tres dies. Alii demum cum Layman *l.* 5. *ſumm. tract.* 4. *c.* 6. *q.* 6. etiam inſequenti die illud repeti permittunt, ſi mortis periculum inſtet, aut ægrotus, qui, cum ſanus eſſet frequenter communicare conſueverat, denuo nutriri cupiat, & efflagitet. Quare cum nihil definitum ſit, in Parochorum judicio, ac prudentiæ remittitur, attenta loci conſuetudine, ægritudinis periculo, & ægrotantis devotione, ac pietate.

CAS. II. Carlinus Filius Hæres, defuncto Patre, cum ſcripturas a Patre relictas colligeret, ut jura cognoſceret ſuæ hæreditatis, ſchedulam invenit, in qua Pater defunctus manu propria pias dotes, & eleemoſynas notaverat, quas facere conſtituerat.

Qu. An Hæres ad eaſdem implendas teneatur?

Ut caſus recte ſolvatur, Schedulæ verba conſideranda ſunt. Etenim ſi ea charta manu Defuncti, ſeu Teſtatoris deſcripta ſpeciem Teſtamenti præſeferret, quæcumque in ea contineatur diſpoſitio ad cauſas pias, omnino eſſet obſervanda, etſi nulli interfuerint teſtes, omnique juris Civilis ſolemnitate eſſet deſtituta. Diſpoſitiones enim & inter

liberos,

liberos, & ad cauſſas pias ſunt a ſcrupuloſa ejuſmodi ſolemnitatum obſervatione immunes, *Auth. Quod ſint*, ibique Gloſſa *C. de Teſtam.*, Bartolus *l. 1. n. 76. & n. 85. de Sacroſ. Eccleſiis*, & Cap. *Cum eſſet*, & Cap. *Relatum 1. de Teſtam.*

At ſi ſimplex fuerit rerum notula, ut Caſus præfert, iterum eſt diſtinguendum, Siquidem vel ejuſdem verbis apparet, Defunctum, ſeu Veſtatorem eas eleemoſynas conſtituiſſe faciendas ex juſtitia, vel ex voto, veluti ſi legeris. *Nota eleemoſynarum, quas facere teneor, aut debeo ex voto, ex legato &c.*, & tunc palam eſt, quod Hæres debet eaſdem implere, niſi reperiret, fuiſſe jam a Patre adimpletas. Filius enim, & hæres quicumque univerſalis ſuccedit in omnibus juribus, & oneribus, & tenetur conſcientiam ſeu Patris, ſeu Teſtatoris exonerare, Cap. *In litteris 5. de Raptorib.*, & alibi.

Quod ſi ex verbis ſchedulæ appareat, eas Defunctum ex devotione, ſeu charitate determinaſſe, veluti ſi legas: *Nota eleemoſynarum, quas facere intendo ad Dei gloriam, vel ex charitate in Chriſti pauperes &c.*; & ſic non tenebitur Hæres eaſdem implere; eo quod præſumatur Defunctus eas ad ſui memoriam adnotaſſe, non vero ad obligandum hæredem. Imo etſi animum obligandi habuiſſet, & non expreſſiſſet, adhuc non teneretur hæres, quia propoſitum mente retentum nihil operatur, *l. Quinam ff. De Hæred. inſtit.* Et regula juris eſt, quod voluntas Teſtatoris non attenditur, niſi expreſſerit, Gravet. *Conſil. 301. n. 12.* & Ciarlin. *Controv. For. lib. 1. c. 33. n. 94.* Sed iterum adverto, quod ſi aliquo modo ſatis conſtaret de voluntate Defuncti, vel Teſtatoris, ut aliquid in cauſam piam diſtribuatur, licet id in foro externo probari nequeat, nenetur in conſcientia ſolvere. Tunc enim probatione opus non eſt, dum de veritate conſtat, ut bene advertit Antoine *De Ult. Voluntat. q. 5. n. 6.*

CAS. III. Hyacinthus Parochus occurrente Feſte S. Iſidori Epiſcopi Titulari. Eccleſiæ ſuæ in Feria IV. poſt Dominicam Paſſionis, ne ſolemnitatem mæſtitia turbet, utque devotionem Populi foveat, Imaginem ejuſdem S. Titularis, quæ in Altari proſtat, diſcooperit, &, ut facit Eccleſia in Miſſa Fer. V. in Cœna Domini, Crucem albo velo tegit.

Qu. An rite?

Reſp. negative. Nam primo de non detegendis imaginibus, & Crucibus, *etiamſi in Hebdomada Paſſionis occurrat Feſtum Sancti Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ*, extat *Decret. S.R.C. 16. Novemb.* 1649. Quod autem non liceat Crucem tegere velo albo, ſeu coloris juxta colorem feſti, quod ſolemniter celebretur, tum ex relato Decreto infertur, tum ex generali ritu Eccleſiæ, ob myſterium, quod eo tempore in violaceo colore repreſentatur, & colitur. Ritus autem tegendi Crucem albo velo ad Miſſam *Fer. V. in Cœna Domini* eſt ſpecialis ratio, & ſingularis diſpenſatio, quæ in exemplum trahi nequit, Cavaler. *to. 4. c. 18. Decr. 9.* Meratus, & Guyetus.

MENSE SEPTEMBRI.

CAS. I. Camillus, & Dorotheus Fratres honeſti quidem generis, ſed fortunis tenues, defuncto Patre, ut familiæ decori conſulant, conveniunt, ut unus tantum uxorem ducat. Camillus Dorotheo natu minori onus uxoris docendæ ceſſit ſimul cum tertia parte fructum

ſui

ſui Patrimonii, & promiſſione hæreditatis in favorem filiorum. Ducta his conditionibus Uxore a Dorotheo, Filiiſque procreatis, Camillus amore captus cujuſdam mulierculæ, ex ea filium genuit, promittens cum juramento, ſe illam ducturum in Uxorem.

Qu. Quid de hoc juramento, ac de ſorte progeniti naturalis filii ſit judicandum?

Reſp. Ad I. Juramentum invalidum cenſendum eſt. Quamvis enim maxima ſit juramenti religio, & vis; tamen nullius roboris eſſe convincitur, cum injuſte præſtitum eſt: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia* Jerem. 4. 2. Deſtituitur autem *juſtitia* juramentum, quod eſt contra bonos mores, nec ullam propterea parit obligationem, *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum, juramentum, reg.* 58. *Jur. in* 6. Ejuſmodi autem habetur, quod vel contra datam fidem, vel in præjudicium alterius præſtitum eſt. Primum patet ex Cap. *veniens, de jurejur.* ubi præcipitur, *ut ſi mandatum priori juramento licite facto repugnet, ipſum auctoritate noſtra denunciet non ſervandum*; ubi Hoſtienſ., Jo. Andr., Abbas, Ancharan., & alii communiter DD. docuere idem intelligi, etſi jusjurandum factum ſit contra ſimplicem promiſſionem; *Hinc demum*, ſcribit celeb. Fagn. in d. c., *ſolvitur aliud dubium, ut quamvis aliud juramentum non obviet priori juramento, tamen ſi adverſetur promiſſioni antea factæ non ſit ſervandum*. Et merito quidem, quia tale juramentum eſt contra jus naturale, quod datam fidem ſervandam eſſe preſcribit, Azor. 1. *part. l.* 11. *c.* 6. *q.* 1. Sanchez *in Decal. l.* 3. *c.* 17. *n.* 18. *&c.* Atque hac ipſa ratione ſuffulti DD. communiter omnes docent, ſponſalia facta poſt priorem aliam promiſſionem etiam jurata eſſe invalida, cum juramentum non ſit vinculum iniquitatis. Giribald. *de Matrim. tract.*10. *c.*2. *n.* 41. *&* 42.

Nec minus evidens eſt juramentum eſſe nullum, quod in damnum tertii redundat. Nam Cap. *Cum contingat, de Jurejur.*, jubetur ſervari juramenta, *cum in alterius præjudicium non redundent.* Idemquem ſtatuit Bonif. VIII. Cap. *Quamvis, de Pactis in* 6.; & prætermiſſis Sperell. *Deciſ.* 180. *n.* 32., Farinac., aliorumque auctoritatibus, Rota Rom. *Deciſ.* 612. *n.* 39. ſic difinivit: *Juramentum non attenditur, & non valet, quod operatur aliquid in tertii præjudicium*. Sed quid plura! *Signatum eſt ſuper nos vultus Domini*, ut hæc facile omnes intelligamus,

Jamvero in caſu, juramentum a Camillo factum mulierculæ Concubinæ eſt contra fidem Dorotheo fratri datam de non ducenda Uxore; qua promiſſione innixus, & fide onus familiæ ipſe ſuſcepit; & præterea vergit in damnum ejuſdem Dorothei, & nobilium Filiorum ejus; propterea quod hæreditaria bona Camilli iiſdem promiſſa devolverentur in ejus Mulieris Filios. Denique prætereunda non ſunt mala, quæ ex ejus juramenti obſervatione forent eventura; nec enim ſolum familiæ decori macula inureretur, & paterna bona contra datam fidem diſtraherentur, ſed odia, & rixæ excitarentur, quæ fraternos animos perpetuo turbarent; quæ ſane mala omnino eſſe præcavenda nemo non videt. Igitur juramentum illud nullius roboris ac religionis coram Deo, & hominibus eſſe videtur.

At Mulier ſub ea promiſſione copiam ſui corporis fecit. Quid ideo? Ex dictis, ratione juramenti non tenetur eam ducere Camillus. Multo minus ratione vel deceptionis, vel damni. Nam in primis nulla ſorte

fuit

fuit deceptio; quia diſpari conditione ſpectata, decipi ipſa voluit. Non ratione damni; eo quod alia via ſit illi compenſandum, ut fuſe Doctores differunt in tractatu de Matrimonio; nam de hoc non quæritur in caſu. V. Girib. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 5. Sanchez *lib.* 1. *Diſp.* 10. &c.

Ad II. Alimenta ſunt Filio a Patre præſtanda, ut honeſte vivere queat. V. *Caſ.* II. *Decemb.* 1777.

CAS. II. Florinda cum in generali Confeſſione delicta juventutis ſuæ Confeſſario exponeret, de una vel altera fornicatione ſe accuſat. Interrogata de ſtatu complicis, relatione ad ſe, reſpondit, complicem fuiſſe Fratrem præſentis Viri ſui.

Qu. Quomodo Confeſſarius, audita hac reſponſione, debeat ſe gerere cum Florinda?

Reſp. Prudentia non minus, quam ſana doctrina Confeſſario utendum eſt. Atque in primis explorare debet, an copula habita completa fuerit, & apta generationni. Nam ſi ſecus fuerit, ſicuti ex incompleta copula nulla eſt affinitas, quæ ex ſeminum commixtione naſcitur; ſic nulla eſſe debet de ejus Matrimonii nullitate ſuſpicio, ut notum eſt. Poſito autem veræ fornicationis crimine, ut Caſus ſupponit; Confeſſarius Florindæ conſcientiam circa ſui matrimonii valorem caute exploret, an ſcilicet ſit in bona fide, vel mala, aut etiam dubia.

Si mulier in mala fide eſſe reperiatur, ut nempe ſui matrimonii nullitatem perſpectam habeat, reprehendenda eſt de turpi concubinatu, in quo tamdiu formaliter permanſit, quamdiu cognita ſibi fuit matrimonii ſui invaliditas; tum monenda, ut ſecretam Diſpenſationem a Sacra Pœnitentiaria ſtudeat impetrare, ad quam quidem obtinendam non modo Parochus, ſed etiam quivis Confeſſarius, ſaltem ex charitate, debet, ubi opus fuerit, operam ſuam impendere; denique urgenda eſt, ut interim ab omnibus conjugii actibus abſtineat; utpote qui non conjugales, ſed inceſtuoſi ſunt; imo & opportune omne incontinentiæ periculum vitet, Sanch. *l.* 2. *diſp.* 39.

Si detegatur iu dubia fide, tenetur Confeſſarius pœnitentem de rei veritate docere. Nam ex una parte conſcientia dubia non eſt idonea regula morum; & ex alia Confeſſarius non ſecus ac Judicis, Doctoris perſonam ſuſtinet, & pœnitens ad ipſum tamquam ad Doctorem, & Vicarium Dei accedit, ut inſtruatur; atque ideo pænitentibus, qui ſcientia indigent, tenetur veritatem aperire; nec ulla de cauſa poteſt ab ea aperienda excuſari, cum directe contra ſui miniſterii legem peccaret; atque huc illa revocatur regula Juris *cap.* 3.: *utilius permittitur ſcandalum naſci, quam veritas relinquatur*. An vero ſi ad omnia ſe docilem exhibeat pœnitens ſive malæ, ſive dubiæ fidei, ſtatim abſolvi poſſit, affirmat Moron. *Reſp.* 56. cum aliis. Verum cum Florinda in occaſione proxima, utcumque neceſſaria verſetur, prudens Confeſſarius præ oculis habebit ea, quæ a ſanioribus Theologis de hac re traduntur, & maxime quæ D. Carolus in *Inſtrum. Confeſſ.* Hucuſque communis.

Difficultas, & nodus eſſe videtur, ſi mulier in bona fide reperiatur: Debet ne Confeſſarius matrimonii nullitatem detegere? Et quidem ſi nullum grave damnum, aut ſcandalum timeatur, nullus negat, debere Confeſſarium ſuo munere fungi, & veritatem docere, ut paullo ante dictum eſt. At ſi prudenter timeatur ſcandalum, incontinentiæ periculum, odia, rixæ, quid dicendum?

Re-

Reponimus, Confeſſarium non debere pœnitentem in eo caſu de matrimonii ſui nullitate admonere. Equidem non eſt generatim approbanda ſententia, quam cum aliis tradit Sanchez *De Matrim. l. 2. diſp. 38.*, quamque amplexi ſunt, & dilatarunt Salmaticenſes, Lugo, Sporer, Tamburinus, & alii, ſcilicet non debere Confeſſarium admonere pœnitentem in ignorantia invincibili conſtitutum, ſive ea ignorantia ſit juris humani, *ſive divini ac naturalis*, ſive etiam cum præjudicio proximi, ubi prævideatur *ſecutura perplexitas*, *vel ſcandalum*, *vel difficultas*; qua de re alias opportunius, ne longius æquo producatur oratio.

Ad rem noſtram animadvertiſſe ſat eſt, quod ii ipſi, ut Adrian. *in 4. q. 5. dub. 6. & 7.*, & Navar. *ſum. c. 22. n. 83.*, & Covaruv., & Elizalde &c., qui opinionem illam, vel in totum, vel ex parte ut improbandam rejiciunt, hunc excipiunt caſum ignorantiæ de Matrimonii nullitate, excipitque Daniel Concina, etſi ſententiam illam ſeverius inſectetur *De Conſcien. Diſſ. 1. c. 4.* Et ratio eſt, quia Mulier omnino in bona fide eſſe ſupponitur; ejuſmodi enim impedimenta juris humani, inquit Sanchez, vel ipſi aliquando Sacerdotes ignorant, & aliunde pericula incontinentiæ, diſſidiorum, & hujuſmodi non ex parte ſui, quo in caſu aliis ſibi remediis conſulere poſſet, ſed ex parte alterius Conjugis oriri ſupponuntur. Unde ipſa per ſe ad veritatem ſuſcipiendam, ad univerſam Dei legem ſervandam, atque ideo (ſi opus ſit, nihilque aliud obſtet) ad Sacramentalem excipiendam abſolutionem diſpoſita eſſe cognoſcitur. Addi ſolet reſponſum Inn. III. cap. *Quia circa*, *de Conſangu. Diſſimulare poteris*, *ut remaneat in copula ſic contracta*, *cum ex ſeparatione grave videas ſcandalum imminere*. Sed multa apud Sanchez, & Concinam producuntur, ut videatur a re alienum. Itaque Confeſſarius prudenter diſſimulabit, & interim a S. pœnitentiaria Diſpenſationem impetrare & exequi ſtudebit juxta Inſtructionem, quam late exhibet Bened. XIV. *Inſt. Eccl. 20. Vol. IV.*

CAS. III. Germanus Parochus vocatus ad celebrandum in die Feſto Eccleſiæ Monialium Monaſterii Ordinario ſubjecti, & intra Parochiæ ſuæ fines ſiti, vult urgentis Matrimonii denuntiationes facere. Sed Monialium Confeſſarius eidem ſe firmiter opponit.

Qu. An jure?

Reſp. affirmative. Extat Decr. S. Cong. Conc. 23. Aug. 1727. *Non poteſt Parochus in Eccleſiis. Monialium Ordinario ſubjectarum aſſiſtere Matrimoniis*, *vel eorum Denuntiationes facere*. Non quod Parochus abſolute nequeat Matrimonio aſſiſtere, vel Denunciationes facere extra Parochialem Eccleſiam; ſed ob defectum juriſdictionis in Eccleſia Monialium, quæ licet intra Parochiæ fines ſita ſit, ab ejus juriſdictione omnino exempta eſt, & immediate Ordinario ſubjecta. Unde cum aſſiſtentia, quæ publice fiat in Eccleſia, & Denuntiationes propter publicitatem valde imitentur contentioſam juriſdictionem, non poſſunt fieri ſine conſenſu Confeſſarii, ſeu Rectoris ejuſdem Eccleſiæ: Cavall. tom. 4. ad *d. Decr.*

CAS. I. MArcus Mercator Venetus committit Blaſio Proxenetæ Bo- nonienſi, ut ſuo nomine emat viginti librarum millia cannabis, Blaſius habens apud ſe decem librarum millia, hæc a ſe ipſo nomine Mercatoris emit communi pretio; tum alia decem ab indigentibus pecunia viliori pretio emit nomine proprio; & omnia mittit, traditque Mercatori pretio communi.

Qu. An licite?

Reſp. Duo proponit caſus. I. An Blaſius proxeneta potuerit rem emere a ſe nomine alieno. II. An ab aliis emere minoris nomine ſuo, ut pluris venderet Mercatori.

Ad I. affirmative. Non enim eſt dubium, poſſe quempiam a ſe ipſo rem nomine alieno emere, cum una eademque perſona duplicis juris cenſeri poſſit reſpectu diverſorum, *l. Miles §. pro parte de leg.* 2., Gloſſa in *Can. Quæritur* 2. *q.* 7. Abbas & alii apud Menochium *de recuper. Rem.* 1. *n.* 36. Difficultas eſt de Proxeneta, cui cum datur ſtipendium pro laboribus, & induſtria ad comparandas merces mercatori, nullum mercedis titulum habet, ſi emat a ſemetipſo. Verum in primis huc bene revocari poteſt doctrina, quam de campſoribus communiter tradunt Doctores. Scilicet Campſor pro trajectione pecuniæ licite pretium accipit, etſi quandoque trajectio ſit ſibi commoda, propterea quod in locis, ad que trajicere pecuniam pro Campſario debet, creditas pecunias habeat, quas hic a Campſario recipere, & illic totidem pro ipſo ſolvere ſibi utile eſt. Et ratio deducitur ex munere, quod in publicam utilitatem Campſores exercent, & quia per accidens eſt, quod munus per ſe oneroſum & Campſariis commodum, aliquando etiam Campſori commodum ſit; tum denique ex tacite conſenſu hominum communi, qui bene id ſæpe Campſoribus contingere norunt, nec tamen injuſtum judicant, ipſos ratione ſui muneris pretium trajectionis recipere, Cajet. Roſignol. Molina, & Concina *De Juſt. & Jur. Diſſ.* 4. *c.* 19. *q.* 3. Hæc ad Proxenetas transfer; imo ſi Blaſius ea mente cannabem prius comparaſſet, ut Mercatoribus ſuis promptius inſerviret, ne ullus quidem vel levis dubitandi locus relinquitur.

Ad II. Generatim loquendo negative. Certum quidem eſt, qui vel ſua, vel etiam aliena pecunia nomine proprio emit, eum fieri rei emptæ Dominum *l. Si ex eo. C. de rei vendicat*: (exceptis caſibus in Jure expreſſis) atque ideo poſſe eam rem alteri vendere. At non ideo videtur recte inſerre Moron. *Reſp.* 41., poſſe Proxenetam conductum, dum negotium Mercatoris agit, rem nomine proprio minoris emere, & eidem vendere pluris. Dum enim operam ſuam Mercatori locat, tenetur ejus negotia fideliter agere, & quanta majori poteſt utilitate intra recti, juſtique fines, ut in caſu ſupponimus, eidem emere & providere. Dixi *generatim loquendo*; nam a DD. excipitur lucrum, quod Proxeneta ſibi ſpeciali induſtria, & labore, aut quovis alio particulari titulo compararet. Sed neque iſtud poterit ſibi retinere, quotieſcumque aut Mercator ſpecialem Perſonæ induſtriam emiſſet, aut Blaſius eamdem ultro ſpopondiſſet; quod non raro facere homines ſolent, ut Mercatorum, aliorumque mandantium procurationes, & negotia ſibi captent. Igitur caute cum ejuſmodi conductis hominibus Con-

feſſario agendum eſt, ut infidelitatibus, & dolis aditum præcludant, ut monet laud. Concina *Diſſert.* 2. *cap.* 5. *q.* 3.

CAS. II. Fortunius hæres Confeſſario ſuo fatetur, ſe ab anno & ultro aditæ hæreditatis nondum quædam legata pia adimpleviſſe. Parochus ei denunciat numquam fore, ut ab ullo abſolvatur, niſi prius legata ſolverit. Quod audiens Fortunius, ſequenti die legatorum ſolutionem implet, & pœnitens ad Confeſſarium redit, ut abſolvatur.

Qu. An poſſit ſimplex Confeſſarius ipſum abſolvere?

Reſp. negative. Sententia quidem affirmativam ponit Lupus *de Caſ. Reſer. part.* 2. *c.* 3.; ſed obſervandum eſt, ipſum differere de caſu reſervato Eccleſiæ Bergomen., qui conditione appoſita ſic effertur: „ Qui pauperie non impediti ſolutionem ex legato pio debitam longius bien„ nio diſtulerint: „ *id vero tamdiu tantum, quamdiu in mora fuerint ſolutionis*. Igitur cum ſolutione facta, hæres non amplius ſit in mora, mirum non eſt, quod a Lupo reſervatio ceſſare dicatur. At bene mirandum eſt, Muzzuchellum *de Caſ. Reſer. cap.* 20. *diſp.* 2. *n.* 43. idem affirmare de reſervatione Eccleſiæ Mediol., quæ omnino eſt abſoluta, quemadmodum in noſtra Bononien. eſt ſub num. 8.: *tem culpabilis dilatio poſt annum in iiſdem* (Tab. Teſtament.) *aperiendis, vel in Legatis piis quibuſcumque ſolvendis*. Etenim cum reſervatio abſoluta ſit, ſi in eam Fortunius ob culpabilem in ſolvendo dilationem inciderit; in eadem quoque etiam facta ſolutione permanet; ſicuti enim per ſimplicem ſolutionem non tollitur patrata culpa, ſic nec tollitur reſervatio, quæ eidem culpæ abſolute adnexa eſt. Et quemadmodum ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; ita ubi lex conditiones non apponit; nec nos debemus apponere. Confirmatur prop. 44. damn. ab Alexandro VII. *Quod forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ*. Ergo neque in noſtro caſu ceſſante contumacia ſolutionis, non ceſſabit reſervatio. Non ergo poterit Fortunius a ſimplici Confeſſario, etiam facta poſtmodum Legati ſolutione, abſolvi.

CAS. III. Plautina pia Mulier petit a Capellano, ut Miſſam votivam celebret in honorem eorum Sanctorum, quorum effiges ſimul proſtant ad Majus Altare. Porro inter iſtos ſunt & Martires, & Virgines, & Confeſſores.

Qu. Quæ Miſſa rite legenda ſit, ut petentis devotioni ſatisfiat?

Reſp. Legendam eſſe Miſſam de Communi Martyrum, ſive tempore Paſchali, ſive extra illud, prout tempus exiget. At in Orationibus tacenda erit qualitas ipſorum Martyrum, vel ſumendæ Orationes de Miſſa S. Calliſti Papæ, & M. 14. Octobris, quæ communes omnino ſunt. Ita cum Guyetto Meratus *addit. ad Gavantum Part. I. Tit. IV. n.* 20. Neque enim melius & ſacris ritibus, & devotioni petentis Miſſam ſatisfieri poterit.

CAS. I. Vincentius Confeſſarius, pluribus abhinc annis ad Confeſſiones audiendas approbatus, pluries ab inceſtu affinitatis in primo gradu abſolvit. Nunc a Parocho intelligens ejuſmodi inceſtum eſſe caſum reſervatum, dubitat, I. an peccaverit, II. an aliquam pœnam in currerit?

Qu. Quid dicendum?

Reſp. Ad I. affirmative. Manifeſtum eſt enim, Vincentii ignorantiam omnino vincibilem, & culpabilem, eſſe judicandam, ut pote quæ & debebat, & facile poterat tolli & vinci; poterat quidem; namque ſatis illi erat vel ſimplicem reſervatorum elenchum legere. Debebat autem quia, ut ait Angelicus 1. 2. q. 76. art. 2., *quiſquis ſcire tenetur illa, ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum recte exercere. Unde omnes tenetur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant*. Quæ S. Doctoris præclara verba debemus timentes, & pavidi omnes perpendere, qui muneribus & officiis in Eccleſia fungimur, & ſæpe ſinguli orare; *Domine Pater, & Dominator vitæ meæ, ne increſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent*, Eccli. 23. & cum Regio Pſalte: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Pſ. 24.

Ad II. Ex Decreto S. Congr. Epiſc. & Reg. juſſu Clem. VIII. *ed.* 9. *Jan.* 1601. in Sacerdotes omnes tam Sæculares, quam Regulares, ex prætextu privilegiorum, ſeu facultatum præſumentes abſolvere a Caſibus clare vel dubie contentis in Bulla Cœnæ, ſive aliis Papæ reſervatis vel reſervatis ab Ordinariis locorum, hæ fuere pœnæ ſtatutæ: *Excommunicatio: privatio officiorum, dignitatum, & beneficiorum: inhabilitas ad confeſſiones audiendas, & ad quæcunque officia, beneficia, & prelaturas impoſterum obtinenda, & hæc ipſo facto, & abſque aliæ declaratione* incurrenda, & *Pontifici reſervata*. At ſequenti *an.* 1602. 26. *Novemb.* novo Decr. ejuſd. Clem. VIII. juſſu edito res ad ſolos Caſus Bullæ Cœnæ, omiſſis vocibus *clare vel dubie* contentos contracta eſt, & ad Caſus quinque extra Bullam, & ad Caſus ab Ordinariis locorum reſervatos, ac pœnam ſuſtulit inhabilitatis ad Confeſſiones audiendas, & ad abſolvendum non requiri licentiam in ſcriptis, ſed ſola voce conceſſam ſufficere. Hoc Decr. latius confirmavere Paullus V. 7. *Jan.* 1617., & Clem. XI. 13. *Maii* 1711. ut omnes etiam ſine privilegiorum prætextu abſolvere præſumentes afficere videntur.

At has pęnas incurriſſe ne dicendus eſt Vincentius? Omiſſa diſtinctione ignorantiæ legis, & pęnæ; Generalis regula eſt: *ignorantia legis, quæ non excuſat a culpa gravi, propter quam pœna lata eſt, nec excuſat ſimpliciter a pœna*, Panormit., Felin., & alii ex *l.* 1. *ff. de legib.* At excipiuntur cenſuræ, quæ pœnæ medicinales cum ſint, contumaciam poſtulant in tranſgreſſore & tunc maxime certa exceptio eſt, cum in lege additur clauſula, quæ ſcientiam vel dolum requirat, ut bene Suarez *de legib.* 5. *cap.* 12. *n.* 9., cujuſmodi ſunt *ſcienter, temere, conſulto, qui præſumpſerit, auſus fuerit &c.* Porro in citatis Decretis Clem. VIII. & Paulli V. habetur: *ne quis abſolvere audeat, vel præſumat*. Quid ergo dicendum? Ex doctrinis *De Conſcientia*, ignorantia cul-

culpabilis vel eſt invincibilis generaliter, vel craſſa, & ſupina, vel demum affectata. A cenſura ſub iis clauſulis lata ignorantiam generaliter vincibilem excuſare communiſſime docent Theologi. Salmaticenſes cum alii nonnullis defendunt vel ipſam excuſare ignorantiam affectatam. Sed graviores Theologi, inter quos Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 10. eam opinionem ut falſam rejiciunt, & merito, quia ignorantia affectata æquivalet ſcientiæ; & ex D. Thoma 1. 2. *q.* 76. *n.* 4. non modo non minuit, ſed *auget voluntarium, & peccatum*. Sanchez *De Matr. lib.* 3. *diſp.* 40. *n.* 7. putat etiam ignorantiam craſſam excuſare; ſed addit, *dummodo non ſit ita craſſa, ut ingens ſit temeritas*. Idemque ſentiunt Navar. *Sum. Hiſp. c.* 27. *n.* 74.; & Henriquez *lib.* 13. *de Excomm. c.* 23. Cujus ignorantię damnandus ſit Vincentius facile ex circumſtantiis, judicaveris, & caſum habebis penitus reſolutum.

CAS. II. Fauſtinus Confeſſarius, approbatus ad annum, & qui hucuſque in Parochiali Eccleſia cum multa charitate, & pænitentium fructu Confeſſiones exceperat, ne ſe examini, quod ab Ordinario communiter exigitur, ſubjiciat, ab audiendis confeſſionibus omnino ſe abdicat. Qu. An peccet?

Reſp. Attendendum in primis eſſe finem, ob quam Fauſtinus, quem idoneum, utilemque Confeſſarium caſus ſupponit, ſubjicere ſe examini recuſat. Vel enim renuit ex inani quodam metu, qui etiam in docti hominis animum cadere poteſt, ne ut ineptus rejiciatur; vel potius ex tumidi animi ſuperbia, qua ſuo ſe Superiori ſubjicere, ejuſque mandatis obtemperare detrectat. Si primum, non alio, quam levi puſillanimitatis vitio erit facile reprehendendus; atque ideo a Parocho, aliove docto Viro pro viribus cohortandus, ne tam pium, ſanctumque munus, tantamque de ſe apud Deum, deque proximo ſuo benemerendi occaſionem deſerat, ſed, inani excuſſa formidine, animos ſumat, ratus ſe omni humanitate ab Emimintiſs. Præſule fore excipiendum, quemadmodum ipſemet ſæpiſſime, Bened. XIV. veſtigiis inhærens, iiſdemque ſenſibus *Inſtit.* 19. *Vol. IV.* expreſſis animatus publice & verbis profeſſus eſt, & factis perpetuo comprobavit, humaniſſime examinandos complectens, deſignatiſque Examinatoribus indicens, ut *perſpicuitatem rerum, ac ſermonis omni ſtudio ſectentur*.

At ſi alterum; idem Benedictus Max. *Inſtit.* 6. *vol.* 5. eo differendo procedit, ut Fauſtinum gravis culpæ reum fore denunciet. Nam uti actionem bonam, ita etiam indifferentem rei utcumque bonæ omiſſionem in malam converti, & labem admittere poſſe ob nefarium finem, quo ſuſcipitur, vel omittitur, communis doctrina eſt ex D. Tho. 1. 2. *qu.* 18. *a.* 4.; atque huc reſpicit etiam illa Chriſti Domini ſententia Matth. 6. 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Quam quidem criminis labem in caſu admitti poſſe, non ægre intelliges, ſi ad obedientiam ac reverentiam attenderis quam Clerici debent ratione ſtatus & juramenti Epiſcopis ſuis impendere, Can. *Quia Frater* 7. *q.* 2. Qui etiam Superiori ſuo ita in hoc genere ſubjiciuntur, ut poſſit Epiſcopus ob legitimas cauſas eoſdem obedientiæ præcepto cogere, ut Populi confeſſiones excipiant, idem Bened. *cit. Inſtit.* 19. IV.

Deinde peccare etiam facile poteſt Fauſtinus contra charitatem. Nam, ut docet Suarez *to.* 4. *in D. Tho. diſp.* 32. *ſect.* 1. obligatio miniſtrandi Sacramenta oriri poteſt non tantum *ex officio, ſeu juſtitia*, aut *ex obedien-*

obedientia, ſed etiam *ex charitate*. Quanta vero eſſe poſſit in pravi hæc charitatis obligatio, atque ideo quantum ejus omiſſionis crimen, dimetiendum erit ex regulis generalibus de tempore, & circumſtantiis, in quibus relate ad gravem, vel communem, vel extremam proximi neceſſitatem obligat charitatis præceptum. Duo tamen cum eodem eximio Theologo juverit obſervare. I. Cum Sacramentum Pœnitentiæ ſit majoris, neceſſitatis, quam cetera, excepto Baptiſmo, ideo charitatis obligatio facilius occurrere poteſt in hoc Sacramento, quam in aliis. II. Gravem neceſſitatem ſpiritualem alicujus Communitatis, puta Parochiæ, aut Plebanatus non minoris æſtimandum eſſe, quam extremam alicujus privati, eo quod gravis neceſſitas Communitatis ſemper conjuncta ſit cum extrema alicujus privati. Cum vero ſpirituali extremæ proximi neceſſitati etiam cum periculo vitæ ſubveniendum ſit, Suarez, Azor., Antoine *De Virt. Theol. c. 3. q. 2.*; videat Fauſtinus, quouſque ipſum poſſit in quibuſdam præſertim inhoſpitæ Diœceſis locis charitatis præceptum urgere.

CAS. III. Pudentiana pia mulier petit a Capellano, ut Miſſam faciet pro Infantulo ſuo, qui ante uſum rationis deceſſit.

Q. An poſſit Capellanus Mulieri petenti morem gerere?

Reſp. affirmative. Quamvis enim Sacrificium Miſſæ offerri nequeat pro parvulis baptizatis decedentibus ante uſum rationis tamquam *Satisfactorium*, offerri tamem poteſt tamquam *Euchariſticum* ideſt in gratiarum actionem, & laudem pro beneficiis ipſis collatis; cum ipſi ſummum a Deo acceperit gratiæ, & perennis gloriæ beneficium, D. Tho. 4. *diſt. 12. q. 2. art.* 1. Neque omnino improbandam eſſe Pudentianæ pietatem, patet ex uſu Exequiarum, quæ pro parvulis juxta Ritualis Rom. præſcriptum celebrantur. Quamvis enim exequiæ non ſint Infantibus neceſſariæ, maxime tamen eos decent, ad quos parvuli ſpectant, ut ſcilicet gratias Deo agant, ipſis vero charitatis affectum, & honoris officium exhibeant, & Eccleſiæ, quæ de illis curam gerit, pietatem, charitatemque imitentur. Itaque a pari poterit Deo gratiarum actionis, & laudis ſacrificium offerri; quemadmodum etiam pro parvulis vivis, prout *impetratorium eſt*, offertur.

Hinc palam eſt, non eſſe tamen Miſſam faciendam *de Requiem*: utpote quæ beatiſſimo parvulorum ſtatui nequit convenire. Imo, ut notat Paſqualigus, peccaret mortaliter eam Miſſam faciens Sacerdos; quia in re gravi contra Eccleſiæ ritum ageret; oſtenderetque, ſe non bene de Infantium beatitate ſentire. Niſi forte Miſſa celebretur de Defunctis in communi applicando pro parvulis gratiarum actionem &, laudem, pro ceteris vero ſatisfactionem. *De Sacr. Miſſ. q. 159.*

MEN-

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. Cleonius moriturus Clotildi Uxori ſuæ committit, ut Marthæ famulæ aureos decem nomine ſuo donet. Reſpondet Uxor, ſe id relaturam Hæredibus, qui cum divites ſint, non renuent ejus voluntatem implere; cui nihil repoſuit æger, & mortuus eſt. Eo defuncto hæredes negant ſolvere, quod ea de re nihil legitime conſtet. Martha apud ſe aureos decem habet, & quærit a Confeſſario, an retinere eos ſibi in compenſationem poſſit?

Qu. Quid reſpondere debeat Confeſſarius?

Reſpondere debet Confeſſarius negative. Enimvero inter conditiones, quas requirunt DD., & jure requiruntur, ut privata compenſatio tamquam licita permitti queat, ea maxime eſt, ut debitum ſit *ex juſtitia debitum*, & *certum* ſit & *liquidum*, & *ex utraque parte non controverſum*, ut loquitur Accurſ. in Gloſſa *l. in quod* 23. *ff. de Compenſationib.* & Imperat. *l. Compenſationis C. eod. tit.* Jamvero decem illi aurei non equidem dici poſſunt debitum certum, & ex neutra parte controverſum ex eo precise quod Cleonius eoſdem dono dare Marthæ conſtituerit. Nam cum nullo juridico argumento efficax Cleonii voluntas conſtet, velut conſilium, ac propoſitum cenſeri poteſt, quod cum morte interveniente non fuerit executioni mandatum, hæredes ejus pecuniæ Domini effecti ſunt. Quinetiam cum Uxori renuenti, & rem ſe Hæredibus delaturam aſſerenti nihil Cleonius reſponderit, in hæredum voluntate, & arbitrio conquieviſſe viſus eſt. Adde neque in caſu locum habere debitum juſtitiæ, cum Cleonius ex ſola gratitudine, ac benevolentia, ut nummi iſti Marthæ ſolverentur, Uxori mandaverit. Quare reliquum eſt, ut Martha hæredes roget, ut bonam Defuncti erga ſe voluntatem velint revereri, ſibique exiguam eam ſummam ex charitate impertiri.

CAS. II. Salluſtius Clericus, ut ſuis rebus conſuleret, anticipata pecunia vendidit Cornelio per annos quatuor fructus ſui beneficii.

Qu. I. An valida ſit venditio? II. An uterque cenſuram aliquam incurrerint?

Reſp. ad I. Contractum eſſe nullum. Etenim primo pœna in alienantes bona eccleſiaſtica, non ſervatis requiſitis a jure ſolemnitatibus, eſt nullitas ejuſdem actus. Can. *Sine exceptione* 12. *q.* 2. & in *Extrav.* Paull. II. *Ambitioſæ*, *de Reb. Eccl. non alien. Si quis autem quidquam alienare præſumpſerit, alienatio nullius omnino ſit roboris, vel momenti*. Quod vero contractus a Salluſtio initus inter vetitas alienationes ſit recenſendus ex ejuſdem Extrav. verbis eſt manifeſtum: *Omnium rerum & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium &c. fieri prohibemus*. Cum ergo ad annos quatuor beneficii fructus per hypothecam, ſeu locationem alienaverit, contra Pontificis prohibitionem agere præſumpſit. Idem ſtatuit Benedictus XIV. Conſtit. *Univerſalis Eccleſiæ an.* 1741. ubi expreſſe ejuſmo-

di contractus, quibus anticipata pecunia beneficiorum fructus ad vitam, vel ad longum tempus, ideſt ultra triennium venduntur, *damnat*, *eoſque nullos*, *caſſos*, *& irritos decernit*, *& declarat*. Notandum vero eſt, triennium iſtud canonicum intelligi de tribus annis fructiferis; nam ſi alicubi, ut reipſa in quibuſdam Provinciis, prædia alternis annis fructificent, locari poſſunt uſque ad annos ſex, ut ſic Conductores poſſint tres fructus percipere, Rota Rom. 19. *Jun.* 1648. *in una Tiburtina*, & Gloſſa in *C. Item quæritur ſ. qui completo ff. Locati*, *& Cond.* Balb. & Bartol. &c.

Ad II. Præter nullitatem actus, majori excommunicationi uterque ipſo jure ſubjicitur. *Et tam qui alienat*, *quam is*, *qui alienatas res*, *& bona prædicta receperit*, *ſententiam excommunicationis incurrat*. Ead. Paullina *Ambitioſæ*. Præterea Salluſtius ipſo facto privari eo Beneficio dicernitur, cujus bona alienavit; *Eccleſiaſticis cum cura*, *ſive ſine cura*. *Secularibus*, *& Regularibus Beneficiis*, *quorum res*, *& bona alienarunt*, *ipſo facto privati exiſtant*. Aliæ quidem pœnæ inſuper adduntur, ſed iſta in Epiſcopos, Abbates, & Regulares latæ cum ſint, Salluſtium Clericum non afficiunt. Sed quæ ipſum afficiunt, eas ait Benedictus XIV. cit. Conſt. *renovare*, *decernere*, *ſtatuere intendimus*, *& volumus*.

Potius ad rem inquirendum venit, an excommunicatio in alienantes ſit nec ne Pontifici reſervata? Certum eſt per *d. Extravag. Ambitioſæ* nulli eſſe reſervatam. At inquit Clericat. *Diſc. Crim.* 42. *n.* 19. tamen *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *de Ref. c.* 11. cenſetur reſervata Papæ. Verum ſi dictam Tridentini Sanctionem, quam plures de hac re allegant, perpenderis, facile intelliges, ibi non de alienantibus, ſed de uſurpantibus Eccleſiæ bona diſſeri, neque *Extrav. Ambitioſæ*, confirmari, ſed illud decerni, quod parite in Bulla *Cœnæ Domini n.* 17. ſtatuitur, ut eod. cap. in margine adnotatur, & a Doctiſſimo Giraldo *Jur. Pont. to.* 2 *part.* 2. Sed quidquid ſit certe Bened. XIV., qui expreſſe in Clericos anticipata pecunia Beneficiorum fructus alienantes invehit, excommunicationem, quam in eos ipſo jure decernit, minime reſervavit, ut videre eſt *cit. Conſtit. Univerſalis Eccleſiæ*.

CAS. III. Archipresbyter, cantata Miſſa in nocte Nativitatis, ut ſit mane ad alia munia expeditus, ſtatim alias duas private celebrat, & in ultima etiam nonnullis piis Confratribus Euchariſtiam miniſtrat.

Qu. An hæc rite faciat?

Reſp. Utrumque illicite facit; & inſuper ſuſpenſionem, in Bononienſi Diœceſi, ipſo facto incurrit. Primum patet ex perſpicuis S. R. C. decretis: *In nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam Miſſam nullo modo poſſunt aliæ duæ immediate celebrari*; *nec fideles communicari* 20. April. 1641. Imo cum quidam Regulares ſe ex ſuis privilegiis eo decreto non comprehendi aſſererent, hoc alterum editum eſt: *Præceptum quod in nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam*, *non poſſint ſucceſſive aliæ duæ Miſſæ celebrari*, *nec Communio exhiberi Euchariſtica fidelibus depoſcentibus*, *ligat etiam omnes Regulares cujuſcumque inſtituti*, *etiam ſpeciali mentione nominandi*. Sac. Rit. Congr. 23. Mart. 1686.

Alterum ex Synodo Diœceſ. Bononienſ., quæ *lib.* 1. *c.* 5. §. *Ante auroram* poſtquam unam tantum Miſſam in Parochialibus Eccleſiis ea no-

cte

cte fieri ad mentem S. R. C. præſcripſiſſet, hanc ſanctionem adjungit: *Inhibentes, ne ſucceſſive reliquas duas Miſſas celebret, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, ſub eademque pœna ne fidelibus Euchariſtiam miniſtret.*

LAUS DEO.

C A-

Digitized by Google

CASUS RESOLVENDI IN DIŒCESI

ANNO 1779.

MENSE JANUARIO.

CAS. I. Calliopus Diœceſanus Bononia ad ſuam Parochiam redux, Diſpenſationem ſuper Denunciationibus ab Ordinario juſta de cauſa obtentam, Parocho abſente, præſentat Capellano, rogans ut Matrimonio ſuo, urgente neceſſitate, aſſiſtere velit, aſſerens, ſe in Urbe Parochum eſſe allocutum, ab eoque opportunam facultatem obtinuiſſe.

Qu. an Capellanus aſſiſtere poſſit?

CAS. II. Diomita confitetur Parocho fornicationes habitas cum Sacerdote, & in ea Eccleſia Confeſſario ſuo. Quod perpendens Parochus, zelo motus, ne Confeſſarios admittat in tantam ovium ſuarum perniciem, jubet Diomiræ, ut rem totam extra Confeſſionem ſibi manifeſtet, ut admonere ipſum, & ovium ſuarum bono conſulere poſſit.

Qu. I. an eſſet Diomiræ circumſtantia *Confeſſarii ſui* exprimenda? II. an Parochus bene ſe geſſerit?

CAS. III. In quadam Caſuum Congregatione cum legeretur de Miſſis votivis Rubrica non eſſe dicendum *Gloria in excelſis* in votitis, *niſi in Miſſa B. Mariæ in Sabbato*, diſputatum eſt, an id ſit de Sabbatis intelligendum in quibus ſit Officium *B. M. in Sabbato*, an vero de omnibus Sabbatis ſive feriarum, ſive ſemiduplicium, in quibus Miſſam votivam facere licet.

Qu. reſolutio?

MENSE FEBRUARIO.

CAS. I. Beritus, mortua Uxore, accedit ad Parochum, ut in Uxorem duceret Bertam famulam. Cujus conſuetudo cum eſſet Parocho ſuſpecta ipſum opportune interrogat, & an eidem umquam Matrimonium vivente uxore promiſerit. Berito utrumque affirmanti reſpondit Parochus, adeſſe impedimentum, atque ideo non poſſe Matrimonium celebrari. Poſtridie redit Beritus negans ſe vere promiſiſſe, ſed tantum amatoria verba protuliſſe, & juramento etiam confirmat.

Qu. an poſſit Parochus ejuſdem Matrimonio aſſiſtere?

CAS. II. Petrus filiusfamilias ſimul cum famulo aureos centum Patri reſpective & Domino furati ſunt; quibus negotiationi in ſocietate expoſitis alios centum ſunt lucrati, quos æquæ inter ſe diviſerunt. Unus poſt alium ad Confeſſarium eccedunt rem confitentes.

Qu. quid uterque debeat reſtituere?

CAS. III. Fulvius Parochus in feſto Titulari ſuæ Eccleſiæ an 1771. Indulgentia Plenariam obtinuit ad ſeptennium. Superiore anno 1778. inſtante Feſto advertit, ſe Brevis confirmationem non impetraſſe. At Capellanus eidem aſſeruit poſſe Indulgentiam exponi, propterea quod anno Jubilæi 1775. cum ſuſpenſæ fuerint omnes Indulgentiæ, adhuc perduret Indulgentia, ut ſeptennium conceſſionis completum ſit.

Qu. an recte aſſeruerit?

MEN-

Digitized by Google

MENSE MARTIO.

CAS. I. PRitanius de Parochialis Eccleſiæ decore, & ornamento ſollicitus, cum vivens plura eidem Eccleſiæ beneficia contuliſſet, moriturus Fratri ſuo hæredi inſinuavit, ut Thuribulum argenteum, itemque Oſtenſorium eidem donaret. Eo defuncto hæres paratus ad Fratris voluntatem exequendam, rem Parocho denunciat. Parochus perpendens Eccleſiam his donis non indigere; bene vero, ut Eccleſiæ pavimentum valde perditum inſtauraretur, conſulit, ut in ejus potius reparationem velit hæres eam pecuniam impendere. Hæres nihil renuit, ſed anceps quærit, an id ſibi liceat.

Qu. Reſponſio?

CAS. II. Nazarius cum ad locum acceſſiſſet, ubi plures ſimul eo ludo exercebantur, qui dicitur *Lotto Reale*, dummum aureum Bancario ſurripuit, quo ludens aureos triginta lucratus eſt.

Qu. an ſibi lucratus fuerit, an vero tum ſurreptum aureum, tum aureos lucratos debeat Bancario reſtituere?

CAS. III. Recurrente Feſto S. Matthiæ in Fer. IV. Cinerum Jucundus Sacerdos celebrans in privato Oratorio, rogatus ut Cineres benedicat, & audientium capitibus imponat, roganti morem gerit.

Qu. an contra jus Parochiale fecerit, aut pœnam aliquam incurrerit?

MENSE APRILI.

CAS. I. PRothus vovit ingredi religionem inter Sacerdotes. At linguæ latinæ ignarus remittitur, ut ſtudeat. Adit Confeſſarium, qui ei aſſerit teneri animum latinæ linguæ intendere. Sed durus ſermo, duriuſque ingenium. Itaque Confeſſarius ei denunciat, ut inter Converſos ad votum ſolvendum ingrediatur.

Qu. An tum primum, tum alterum rectum fuerit Confeſſarii reſponſum?

CAS. II. Ludovicus Clericus ad Subdiaconatum ordinandus, generalem confeſſionem apud Confeſſarium inſtituens, fatetur, ſe cum adhuc puer eſſet, ſocio manum caſu abſcidiſſe.

Qu. an ſit a Confeſſario judicandus irregularis?

CAS. III. Sacerdos celebrans a Clerico monetur, Cajum interdicto ſubjectum in Eccleſia Miſſam audire.

Qu. quid celebrans agere debeat; & maxime ſi id in ſolemniori Feſto contingeret?

MEN-

MENSE MAJO.

CAS. I. PPaullus Parochus ad Domum Lauretanam pie profecturus, Capellanum delegat, ut Matrimoniis interim contrahendis aſſiſtat. Quodam mane vocatus Capellanus, ut condictio Matrimonio aſſiſtat, febri decumbens alteri Sacerdoti commiſit, ut aſſiſteret.

Qu. an Matrimonium iſtud validum ſit?

CAS. II. Dorilla diſpenſationem ſuper ſimplici caſtitatis voto ad finem nubendi a Sacra Pœnitentiaria obtentam Confeſſario ſuo præſentat, ut eamdem exequatur. At Confeſſarius ex Dorillæ confeſſione intelligens votum ſuum fuiſſe juratum, & juramentum nec in precibus, nec in reſcripto fuiſſe expreſſum, diſpenſationem exequi renuit.

Qu. an jure renuat?

CAS. III. Lucius Parochus oblitus tertiam Denuntiationem Matrimonii facere intra Miſſarum ſolemnia, rogatur a Cajo Sponſo, ut eam faciat in Veſperis.

Qu. an rite poſſit?

MENSE JUNIO.

CAS. I. MArinus ſponſalia cum Lucia contraxit, & juramento firmavit. Captus amore Fillidis a Lucia ſponſalium diſſolutionem ea conditione obtinet, ut ei ſolvat aureos centum.

Qu. I. an ſic juramentum queat relaxari? II. an ſolutio aureorum centum obligationi juratæ ſubſtituta cadat ſub juramento?

CAS. II. Hortenſius Ruri agens die Feſto ad Eccleſiam accedit, ut Miſſam audiat. Eo autem pervenit, cum celebrans Præfationem legeret, nec alia ſupereſt Miſſa celebranda.

Qu. an teneatur reliquum Miſſæ audire?

CAS. III. Cecius Parochus interrogatus ab alio recens ad Parochiam electo, an oporteret, & quoto tempore Sacramentum, quod in Pyxide pro infirmis maxime aſſervatur, renovari, reſpondit, ſe id facere, ſi particulæ ſuperſint, poſt menſem circiter.

Qu. an rite?

CAS. I. VAlerio beneficiato ægrotante, Ranutius Clericus ad Beneficii Patronum accedit beneficium petens, a quo cum propediem eſſet Romam profecturus mandatum in perſona Œconomi ſui obtinet, ut ſeipſum, occurrente vacatione, ad beneficium præſentet. Poſt Patroni diſceſſum moritur Valerius, & Ranutius ad Beneficium præſentatur, & inſtituitur.

Qu. an valide?

CAS. II. Parocho una cum Matre ſua degenti famulatur Davus. Accidit, ut Parochus Defuncti Fratris Uxorem & Filios in domum ſuam exciperet. Aucta ideo familia putaverat Davus etiam ſibi augendum fore ſtipendium. At expleto menſe ſolitum ſalarium accepit; unde conqueritur de juſtitia.

Qu. an juſte conqueratur?

CAS. III. Liberius Sacerdos vocatus ad celebrandum in Parochiali, occaſione ſolemnis Expoſitionis SS. Sacramenti, obſervans omnes fere Miſſas ad Altare Expoſitionis celebrari, ibique fidelibus identidem miniſtrari Euchariſtiam, Parochum admonet, ejuſmodi uſum ſacri Eccleſiæ ritibus adverſari.

Qu. an recte aſſerat?

MENSE AUGUSTO.

CAS. I. FErnandus nuper ad Beneficium promotus intelligens a Parocho, eidem beneficio adnexum eſſe onus celebrandi Miſſas biſcentum, earum celebrationem aggreditur. Interim acta perquirens ab beneficium ſpectantia reperit quidem ab ipſa uſque fundatione anteceſſores ſuos Miſſas biſcentum celebraſſe; ſed in Tabulis fundationis non obligari beneficiatum, niſi ad Miſſas centum.

Qu. an Fernandus ad Miſſas ducentas obligetur?

CAS. II. Nicolaus propinato pharmato occidit infantem in utero Matris quæ antequam illum in lucem ederet, mortua eſt.

Qu. an in aliquam reſervationem inciderit?

CAS. III. Parochus Domum redux ab excepta moribundi Confeſſione, dum cogitat Viaticum deferre, violenta febri corripitur. Nullo extante alio Sacerdote, Remigius Diaconus ſe exibet Parocho, ut Viaticum deferat: Negat Parochus, & Remigius charitate motus erga moribundum Viaticum defert, & miniſtrat.

Qu. an licite id fecerit?

MEN-

CAS. I. Clotildes, contracto nulliter matrimonio propter occultum impedimentum dirimens, obtinet a Sacra Pœnitentiaria diſpenſationem. Confeſſarius dum eamdem exequeretur, Clotildem interrogans, an revera impedimentum occultum ſit, eaque reſpondet, ſolum eſſe notum duobus teſtibus ad matrimonium contrahendum adhibitis.

Qu. I. an impedimentum revera *occultum* cenſendum ſit? II. an matrimonium debeat *ſecrete*, an *publice* iterum contrahi?

CAS. II. Gorina, dum ageretur de contrahendis Sponſalibus cum Panutio, interrogata a Mediatore, an eſſet Virgo, reſpondit, hujuſmodi inrerrogationem ne eſſe quidem honeſtæ puellæ faciendam, qua facta reſponſione, contrahuntur ſponſalia.

Qu. an cum Virgo non ſit, ſit a peccato immunis?

CAS. III. In Parochiali Eccleſia Dominica prima Auguſti in publicam gratiarum actionem ſolet imago B. V. M. proceſſionaliter circumferri, & ſolemnis Miſſa cantari. Miſſam cantat Parochum votivam de B. V. M.

Qu. an rite?

MENSE OCTOBRI.

CAS. I. Defuncto Parocho vix collectis, & reconditis fructibus prædiorum beneficii, Severinus Parochus Succeſſor eoſdem petit ab hæredibus. Hæredes contra petunt a Severino pro rata fructus civiles affictuum, & cenſuum. Hinc Archipræsbyterum adeunt ſimul, ut rem ipſe componat,

Qu. quid juris, & æquum Archipræsbyteri judicium?

CAS. II. Brivius intuitu matrimonii contrahendi rem habuit cum Cloteria, quam putabat eſſe ſolutam. Deinde eam ducere cum vellet, Cloteria ſincere aperit, ſe eſſe conjugatam. Unde a nuptiis abſtinuit, ſed Matrimonium ſibi mutuo promiſerunt, caſu mortis Viri ſui.

Qu. an ullum obſtet impedimentum?

CAS. III. Damaris pia fœmina ſolita bona ſæpe propoſita elicere, adocta a Confeſſario violationem religioſi propoſiti Deo facti non eximi a veniali culpa, ſtatuit, ſe nullum impoſterum fore bonum propoſitum edituram.

Qu. I. an Confeſſarius recte docuerit? II. an Damaris ſic ſtatuens peccaverit?

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. BArtolus hæres, poſt aliquot annos, plura vendidit aditæ hæreditatis mobilia. At poſtea comperit, ex iis aliqua apud Teſtatorem extitiſſe loco depoſiti, alia loco commodati, alia demum fuiſſe per ipſum a furibus empta.

Qu. an Bartolus ad eorum reſtitutionem teneatur?

CAS. II. Dum Petrus Sacerdos Miſſam faceret, ingreſſi ſunt Eccleſiam duo rixantes, quorum alter læthaliter percuſſus jacens confeſſionem petit.

Qu. I. an Petrus, nullo alio extante Sacerdote debeat Miſſam interrumpere, ut moribundo Sacramenta adminiſtret? II. an poſſit poſtea Miſſam proſequi?

CAS. III. In Parochiali Eccleſia extat Altare SS. Matyribus Protho, & Hyacintho dicatum. Quo die (11. *Septemb. infra oct. Nativitatis B. V.*) occurrit eorum feſtum, Parochus Miſſam votivam de iiſdem celebrare facit, Sacerdotes admonens, ut recitent *Gloria in excelſ.*

Qu. an rite?

MENSE DECEMBRI.

CAS. I. FAbritius accedens pro reſervatis ad Confeſſarium privilegiatum ab eo abſolvitur, & pœnitentiam excipit. Quam poſtea cum non poſſet exequi, adit ſimplicem Confeſſarium, a quo commutetur.

Qu. an is commutare poſſit?

CAS. II. Arnaldus pluries & fruſtra petit a Mariano aureos decem ſibi debitos. Interim Arnaldi filia excipitur in domum Mariani, ut famuletur; quæ rei conſcia adit Confeſſarium petens, an poſſit de bonis Mariani, occulta compenſatione, Patri ſuo ſatisfacere. Expenſis ſingulis occultæ compenſationis conditionibus reſpondet Confeſſarius, poſſe.

Qu. an recte?

CAS. III. Parochialis Eccleſia plura habet quotannis adimplenda Anniverſaria. At contingit, ut ea incidant modo in diem Dominicam, modo in feſtum officii duplicis, etiam majoris, vel infra octavam Corporis Chriſti.

Qu. an iis diebus poſſit Solemnis Miſſa *de Requiem* celebrari?

F I N I S.

Il prezzo della preſente Appendice Decima val Lire 4.

Digitized by Google